348.71
F.412

SUMMA INSTITUTIONUM CANONICARUM

PARIS. — E. DE SOYE, IMPRIMEUR, PLACE DU PANTHÉON, 2.

SUMMA INSTITUTIONUM CANONICARUM

AUCTORE

C. FERRARI

EDITIO NOVISSIMA

TOMUS SECUNDUS

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM
ROMÆ
LIBRARIA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
Socio Eq. P. MARIETTI, administrator

1869

742

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER SECUNDUS.

ST. JOSEPH'S CHURCH, SAN JOSE, CAL.

TITULUS I.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM : 303. Quid significet Res, et quæ sint rerum divisiones? — 304. Quid sit, et quid requiratur ad Ecclesiæ sacramentum? — 305. Quomodo differant sacramenta a sacramentalibus? — 306. Quot sint Ecclesiæ sacramenta? — 307. Quæ requirantur in sacramentorum collatione? — 308. Conditiones necessariæ in ministro ad sacramentum efficiendum. — 309. Conditiones necessariæ in subjecto ad sacramentum recipiendum.

303. Exposito in libro superiore primo Juris objecto, quod in personis consistit; ad secundum exponendum progredimur, quod consistit in rebus. Nomine *rei* Canonistæ intelligunt quidquid est in Ecclesia præter personas, et judicia, quod vel ad futuram, vel ad præsentem vitam refertur.

Summa rerum ecclesiasticarum divisio est in *spirituales*, et *temporales*. Spirituales, vel spiritales illæ dicuntur, quibus spiritualis animæ vita fovetur, ut æternum vivere queat, quemadmodum sunt sacramenta, preces, ritus, etc.; quibus accedunt ex communi Doctorum sententia Ecclesiæ, altaria, sacrique calices, etc. Temporales vero illæ dicuntur, quibus corporalis clericorum, pauperumque vita in tempore sustinetur, et divini, externique cultus expensæ fiunt, quemadmodum sunt prædia, domus, beneficiorum fructus, Ecclesiarum reditus, etc. (1).

De rebus ecclesiasticis ampla et mixta nobis est cum Theologis, et cum Jurisconsultis tractatio. At cum omnia in uno opere constringi nequeant, de his rebus ea tantum, uti decet, exponemus, quæ canonici fori possunt excitare praxim. Et primo nobis se offerunt Ecclesiæ sacramenta.

(1) Res ecclesiasticæ a Doctoribus juxta juris civilis principia adhuc dividuntur in res *incorporales*, quæ tangi, et videri non possunt, ut servitutes, census, etc. quæ in jure consistunt, et *corporales*, quæ tangi, ut videri possunt, ut aurum, vestis, etc., quæ corpore constant: item in *immobiles*, quæ in solo consistunt, vel solo adhærent, et *mobiles*, quæ vel per se, vel per alterius potentiam incolumes de loco in locum possunt transferri, quarum propterea aliæ *se moventes*, et aliæ *simpliciter mobiles* appellantur, et quarum aliæ dicuntur *fungibiles*, quia usu statim consumuntur, ut vinum, oleum etc., et aliæ *non fungibiles*, quia usu statim non consumuntur, ut equus, dolium, etc.: item in *sacras*, quæ Deo consecratæ sunt, aut per se, ut Sanctorum reliquiæ, aut per episcopi consecrationem, sicut ecclesiæ, et altaria; in *sanctas*, quæ ab hominum injuriis pœnali sanctione defenduntur, sicuti ecclesiæ, quæ, si consecratæ sint sacrosanctæ appellantur, uti fuerunt, appellatæ ab Imper. Justiniano in titulo codicis de sacrosanctis ecclesiis; et demum in *religiosas*, quæ alicui ecclesiastico usui deputantur, uti sunt sepulturæ, cœmeteria, et loca, sive domus religiosæ, de quibus agitur in titulo de religiosis domibus. Istæ res quæ Deo sunt dicatæ, Dei veluti portio, et patrimonium efficiuntur; ideoque tamquam extra hominum commercium positæ jure Gentium, Romano, et canonico habentur, ita ut nec in alicujus bonis esse queunt, nec usibus profanis dicari, nec per actus inter vivos, aut per actus ultimæ voluntatis a religione avelli, nec proprio nomine ab aliquo usucapi aut possideri. Gonzalez ad cap. 1, de pignor. n. 8.

304. Sacramentum a Sacro nuncupatum pro jurejurando a civilibus Romanorum legibus interdum sumitur, et a sacris Scripturis interdum pro mysterio, sive re arcana; sed hic Ecclesiæ Sacramentum *est signum sensibile gratiæ invisibilis ad nostram justificationem a Jesu Christo institutum.* Quare ad Sacramentum constituendum tria requiruntur, nempe: divina institutio a Christo; divinæ gratiæ collatio, vel ejus incrementum ex opere operato pro eo, qui Sacramentum recipit, gratiæque obicem non ponit; et signum sensibile, quod gratiam designat, et confert.

Propterea Ecclesiæ Sacramenta differunt a Sacramentis an-

tiquæ legis, uti erat circumcisio, Agnus Paschalis, oblatio victimarum, Purificatio, consecratio Sacerdotum, etc. Nam hæc non fuerunt a Christo instituta, cujus erant umbræ et figuræ. Unde Innocentius III, de Circumcisione, et Baptismo loquens hæc habet : *Etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur*; *non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum ; sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum*, *et ad regnum Cœlorum etiam pervenitur*, *cujus januam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit* (1).

(1) Cap. 3 de baptis.

305. Differunt multo magis Ecclesiæ Sacramenta a Sacramentalibus, quæ consistunt in quibusdam rebus sacris, sive precibus ab Apostolis, vel ab Ecclesia institutis ad venialium peccatorum remissionem obtinendam, aut ad aliquem gratiam impetrandam, cujusmodi sunt consecrationes personarum, et rerum, ut Abbatum, et Ecclesiarum, benedictiones a consecratis Ecclesiæ ministris impertitæ, usus rerum benedictarum, ut aquæ lustralis, cereorum, cinerum, ac palmarum, et preces sive in administratione Sacramentorum, sive in celebratione Missæ recitatæ, etc. Hæc quidem Sacramentalia non fuerunt a Christo instituta, neque gratiam conferunt ex opere operato (1).

(1) His adjungi possunt indulgentiæ, quæ remittunt pœnam temporalem peccatis etiam condonatis adhuc debitam, non vero culpam peccatorum, etiamsi solum venialia sint. De indulgentiis ex decretis S. Congregationis Indulgentiarum maxime ex decreto 14 april. 1856, tria sunt notanda : 1^m^ quod omnes, qui impetrant indulgentias generales tenentur sub pœna nullitatis gratiæ exemplar earumdem concessionum ad secretarium congregationis Rituum deferre. 2^m^ quod indulgentiæ non in favorem privati, sed in favorem populi, debent, antequam publicentur, exhiberi Ordinariis locorum, qui eas recognoscant. et publicari permittant; sed hoc non procedit sub pœna nullitatis, ut supra ; 3^m^ quod vetitum est edere, et publicare indulgentiarum libros, diaria, summaria, quibus concessiones contineantur, absque S. Congregationis licentia.

306. Ex fidei dogmate septem sunt Ecclesiæ Sacramenta a Jesu Christo instituta, nempe : Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium (1). Inter hæc tria sunt, quæ nequeunt iterari, quia in anima imprimunt characterem, nimirum : Baptismus, Confirmatio et Ordo (2).

(1) Trid. sess. 7. c. 1. — (2) Trid. eod. loc. c. 9.

307. In Sacramentorum collatione hæc requiruntur, scilicet : materia sive res, ex qua Sacramentum conficitur ; forma sive verba, quibus Sacramentum perficitur ; minister sive ille, qui Sacramentum confert ; et subjectum sive ille, qui Sacramentum suscipit. De materia, et forma agunt Theologi ; nos pauca de ministerio et subjecto exponimus, tum hic in genere, tum infra de quolibet Sacramento in specie.

308. Minister Sacramentorum debet primo habere conferendi potestatem, quæ quandoque manat ex ordine, et quandoque ex ordine, et jurisdictione simul, ut infra videre erit. Debet secundo habere intentionem *actualem*, vel saltem *virtualem*, nam *habitualis* non sufficit (1). Intentio dicitur actualis, cum quis actu intendit conficere Sacramentum ; virtualis, cum quis, licet actu non intendat conficere Sacramentum, agit tamen virtute antecedentis actualis intentionis ; et habitualis, cum quis agit ex consuetudine, quin antecedentis actualis intentionis aliquis maneat effectus (2). Debet tertio observare ritus ab Ecclesia præscriptos, inter quas alii sunt *essentiales*, et alii *accidentales*. Essentiales consistunt in debita applicatione formæ ad materiam, juxta S. Augustini effatum : *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum*, aliter Sacramentum non fit ; accidentales vero consistunt in precibus, sive cæremoniis quibusdam ab Ecclesia statutis, quarum injusta omissio ministri quidem conscientiam vulnerat, sed Sacramenti vim non evertit (3).

Sacramentorum effectus ob ministri improbitatem non impeditur : nam minister in conficiendis, vel ministrandis Sacramentis non suam refert personam, sed Christi, a quo subjecti justificatio provenit, juxta illud D. Pauli, Deus est, qui

justificat (4). Licet enim Petrus, aut Paulus, aut Judas baptizet, tamen Christus est, qui baptizat : *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto* (5). Unde S. Augustinus egregie animadvertit, si pro diversitate meritorum in ministris baptismus sanctus esset, quia diversa sunt ministrorum merita, diversa forent baptismata, et tanto quisque aliquid melius putaretur accipere, quanto a meliore videretur accepisse. Verum *quod datum est, unum est, nec impar propter impares ministros, sed par et æquale*, quia Christus est, qui baptizat. Quare etsi omnia Sacramenta obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus (6).

(1) Intentio in ministro requiritur ex definitione Tridentini in sess. 7, can. 11, de Sac. in gen. ubi legitur : *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Actio profecto administrationis Sacramenti debet esse actio humana, et humana esse non potest, nisi sit libera, nec libera, nisi fiat ex rationis judicio, et cum intentione voluntatis. Cum præterea actio sacramentalis dirigi queat ad diversos fines, ut ablutio ad obtinendam munditiam corporis, vel ad procurandam munditiam animæ in baptismo, necesse est, ut in baptismo fiat ablutio ex intentione abluentis ad conferendum baptismi sacramentum. Demum, ut Sacramentum valide conferatur, qui illud administrat, gerere se debet, ut Christi et Ecclesiæ minister ; ad quod profecto necessarium est, ut illud omnino intendat, quod Christus instituit, aut facit Ecclesia. Benedictus XIV de synod. l. 7, c. 4, n. 3. — (2) Nec unquam permissum est sacramentorum ministro simulare conficere, dum non conficit Sacramentum. De Sacrificio Missæ a Sacerdote celebrato adest textus in cap. 7 de celeb. Miss. de eodem Sacrificio a non Sacerdote attentato adest bulla *Etsi* Clementis VIII, in qua damnantur isti simulatores, quia ita faciunt, ut fideles crimen idolatriæ committant, licet ignorent. Giraldus ad cit. cap. 7, de celeb. Miss. Nec licet Parocho dare hostiam non consecratam pro consecrata illi, quem cognoscit esse in peccato mortali Benedictus XIV de Sacrif. Miss. c. 20, § 1. — (3) Duo præterea hic notanda sunt. Primum quod ministro licitum non est Sacramenta ministrare cum opinione probabili tam circa materiam, et formam, quam circa ministri ipsius jurisdictionem. Giraldus cap. 1; ac Trid. sess. 23, de ref. Secundum quod sacramenta ministranda sunt gratis, quod eruitur ex illis Christi Domini verbis : *Qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Nec potest in contrarium prodesse consuetudo, ut definivit S. Congregatio die 17 mart. 1797, nec etiam sponte oblatum recipi potest, nisi tamquam eleemosyna offeratur. Monacellus p. 2, t 16, f. 2 n. 12. Benedictus XIV de Syn. l. 5,

c. 9, n. 6. — (4) Ad Rom. c. 8. — (5) Joan. c. 2. — (6) Can. 26, dist. 4 de consec.

309. Subjectum deinde Sacramentorum debet primo habere statum a Sacramento, quod recipere intendit, designatum. Sunt enim Sacramenta, quæ dicuntur *mortuorum*, uti est baptismus, et pœnitentia, quæ supponunt præexistentem culpam per Sacramentum delendam; et Sacramenta, quæ dicuntur *vivorum*, uti est Confirmatio, Eucharistia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium, quæ supponunt gratiam per Sacramentum augendam. Hæc ideo postrema Sacramenta statum gratiæ in subjecto requirunt, et qui labe peccati lethalis inquinatus vivorum sacramentum scienter sumit, sacrilegium committit. Debet secundo habere intentionem recipiendi Sacramentum, nisi agatur de baptismo infantium, et amentium pro quibus Christi et Ecclesiæ intentio sufficit, quia cum sine propria voluntate peccatum originale contraxerint, ita sine propria voluntate ab illo per baptismum liberantur. Debet tertio habere alias dispositiones, quæ a Theologis pro digna Sacramenti sumptione explicantur.

TITULUS II.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

Summarium: 310. Quotuplex sit baptismus? — 311. Quis sit ejus minister? 312. Quis ejus subjectum? — 313. Quid agendum in dubio circa validitatem baptismi? — 314. Quando in baptismo fuerunt omissæ cæremoniæ sunt cito supplendæ. — 315. In baptismo sunt adhibendi Patrini. — 316. Quid sit confirmatio, et quis ejus minister, et subjectum?

310. Baptismus trifarius est, nempe baptismus *sanguinis*, cum quis per martyrium pro fide sanguinem fundit; baptismus *flaminis*, sive spiritus, sive desiderii, cum quis aquæ baptismum exoptans per contritionem perfectam ad Deum convertitur; et baptismus *fluminis*, sive aquæ, cum quis per sanctum

aquæ lavacrum ad novam spiritualem vitam renascitur. Jam vero primi duo baptismi sanguinis, et fluminis possunt conferre omnium actualium, et originalis peccati remissionem, ubi nequeat tertius aquæ baptismus obtineri; baptismo quidem sanguinis vitam est consequutus æternam ille bonus latro, qui in Cruce cum Christo pendebat (1) : baptismo vero flaminis, docet Innocentius III, vitam potuisse consequi æternam quemdam Sacerdotem diœcesis Cremonensis, qui credens se baptizatum in fide, et ministerio vixerat, dum postea compertum fuit, sine baptismo illum vere decessisse (2). Sed hi duo baptismi vera sacramenta non sunt, quia in signa gratiæ communia non fuerunt a Christo instituta; non enim fiunt per accessionem verbi ad elementum, ut Sacramentorum natura requirit. Solus idcirco baptismus aquæ est verum Ecclesiæ Sacramentum; et sub hoc respectu baptismus unus est, uti una est fides, unusque Deus, ac recte potest cum Catechismo Romano definiri : *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

(1) Can. 34, dist. 4 de consec. — (2) Cap. 2, de presb. non bapt.

311. Minister baptismi ordinarius est, aut extraordinarius, vel necessitatis. Ordinarius præter Episcopum dicitur Parochus, qui in sua Ecclesia baptismali, adhibitis solemnibus baptismi cæremoniis, per se, vel per alium a se deputatum sacerdotem, subditis in suo territorio degentibus debet Sacramentum baptismi ministrare (1). Minister vero extraordinarius est Diaconus, qui necessitate urgente, ob Parochi, et alterius sacerdotis absentiam, aut impotentiam etiam solemniter potest baptizare, ut jam diximus supra. Minister demum necessitatis in privato baptismo, quando mortis periculum imminet, est quicumque Clericus, sive laicus, vir, sive mulier, fidelis, sive infidelis, modo servet formam Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia (2). Quod si plures puero periclitanti adsint, dignior inter eos debet baptizare (3); hinc præfertur Sacerdos Diacono, Clericus laico, et regulariter etiam vir mulieri. Diximus *regulariter*, nam interdum mulier, vel ob majo-

rem peritiam, vel ob majorem decentiam viro cuicumque præfertur, quod in obstetricibus contingit (4).

(1) Hinc non potest solemniter in domibus privatorum quempiam baptizare, exceptis filiis Regum, vel Principum. Clem. unic. de baptis. Giraldus ad eumd. tit. Item non potest baptizare solemniter subditum suum in aliena parochia, vel alienum in propria. Trid. sess. 24, c. 13, de ref.; Excipitur tamen casus peregrinæ quæ nullibi habeat quasi domicilium, et casus puerperæ, quæ a sua parochia multum absit, quarum proles potest baptizari a Parocho loci, ubi nata sit : sed si parum abesset, ut per duas, aut tres horas, nullumque esset in prole periculum, posset ad suam parochiam transferri, ibique baptizari. S. De Ligorio l. 6, n. 114. Missionarii in partibus infidelium possunt infidelium filios domi baptizare, si parentes renuerent eos ad ecclesiam deferre; immo et ibi Ritualis cæremonias adimplere, si prævideant, parentes postea numquam permissuros, ut modo debito super eorum filios baptismi cæremoniæ suppleantur. Inst. S. Cong. S. Offic. sub Pio VI. — (2) Can. 21 et 23, et per tot. dist. 4 de consec. — (3) Neque duæ personæ possunt esse ministri, veluti si una aquam funderet, et alia proferret formam. Sic enim baptizati sunt sub conditione rebaptizandi. Benedictus XIV de Synod. l. 7, c. 6, n. 8. — (4) Obstetrices ex jure civili ad proprium exercendum officium absque examine, et probatione non admittuntur; ita admittendæ non sunt ex jure canonico : pluris enim est salus animæ, quam corporis. Ideo S. Carolus Borromeus decrevit « ne obstetrices officium præstent, nisi per Vicarium « Foraneum... scripto probatæ sint idoneæ ad Sacramentum baptismi « ministrandum. Quæ autem probata est, cum baptizabit, curet, « quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres ac mater præsertim, « si potest, testes præsentes sint, quæ in baptizando verba ab ea « probata audiant. » Decrevit similiter Benedictus XIV, in sua Inst. 8, « ut obstetrices hoc munus præstare omnino cessent, nec ulla alia « deligatur, nisi prius in examen illæ vocantur, et pro conferendo « baptismo satis idoneæ reperiantur. »

312. Subjectum baptismi est omnis homo nondum baptizatus sive adultus sit, sive infans. Adultus tamen sanæ mentis antequam baptizetur exercendus est in catechesi, ut saltem ad salutem necessaria necessitate medii addiscat, cujusmodi sunt præcipua mysteria Trinitatis, et Incarnationis, et ut rite ad sacramentum recipiendum disponatur. Adultus vero mentis infirmæ baptizatur more infantium, si amentia fuerit perpetua, et baptizatur, quantum fieri potest, more adultorum, si amentia non fuerit perpetua, modo tempore sanæ mentis baptismum

petierit (1). Infans in lucem editus potest statim baptizari, quod explicat Benedictus XIV (2). Immo expedit ad æternæ salutis dispendium avertendum, ut quam primum commode fieri poterit, baptizetur (3).

Filii infidelium, ut gentilium, aut judæorum, etiam invictis parentibus, possunt baptizari, si rationis sint compotes, et baptismum petant; si vero rationis usu adhuc careant, invitis parentibus, baptizari regulariter nequeunt, quia filii sub patria sunt potestate parentum, quæ lædi non debet, quæque læsa Sacramenti profanationem procuraret cum majore baptizatorum præjudicio. Unde si quæ devota fœmina, ut magis assolet, studio charitatis clam, aut privatim alicui infidelium puero baptismum conferat, debet arbitrariis pœnis a judice ecclesiastico puniri; sed baptismus collatus valet, et baptizatus ab infidelibus parentibus est separandus, et apud Christianos in catholica fide educandus (4).

Quod autem infidelium infantes, invitis parentibus, baptizari nequeant, limitatur: 1° si infantes sint in certo et proximo mortis periculo constituti (5); 2° si sint a parentibus projecti, et in loco publico derelicti absque eos recuperandi animo; 3° si sint perpetuo amentes, nam cessat perversionis periculum; 4° si sint in bello capti, nam incidunt in potestatem victoris; 5° si unus ex genitoribus consentiat, alio etiam repugnante (6); et 6° si, patre mortuo, consentiat avus, vel avia paterna, etiam repugnante matre, et tutoribus (7).

(1) Cap. 3, in fin. de baptis. Cum tamen adultorum baptismi difficultates plures possint habere, sapienter constitutum fuit in ultima Genuensi diœcesana Synodo, parochum non posse, inconsulto Episcopo, adultum baptizare. Missionarii tamen in partibus infidelium etiam adultos baptizant. Sed ex declarationibus S. Officii: 1° non est licitum baptizare adultos infideles absque debita mysteriorum fidei instructione; 2° non sufficit ad dictam instructionem cognoscere Deum remuneratorem, et vindicatorem; sed requiritur cognitio omnium, quæ necessaria sunt necessitate medii juxta captum baptizandi, et maxime fides in D. Jesum Christum; 3° Missionarii debent baptizando moribundo intimare omnia præcepta legis positivæ, et maxime ea, quibus magis repugnare præsumitur; 4° debent baptizare sub conditione, si dubitent, an adultus in periculo mortis sufficienter mysteria fidei cognoscat. Hæc ita a pluribus decisioni-

bus S. Cong. S. Officii definita fuerunt. — (2) De Synod. l. 7, c. 5 et S. de Ligorio l. 6, n. 121 et seqq. — (3) Bul. *Cantate* Eugenii IV. Immo ex definitione plurium Synodorum diœcesanarum infanti baptismus infra octo a nativitate dies conferendus est. Si vero infans in publico hospitali expositus sit, adhuc baptizari debet sub conditione, licet habeat collo appensam schedulam, qua declaretur, eum fuisse baptizatum, nisi schedula certitudinem habeat, ut pluries declaravit S. Congregatio concilii. Giraldus ad cap. 2, de baptis. — (4) Can. 11, c. 18, q. 1 et Benedictus XIV in bul. *Postremo mense.* Hoc onus separationis baptizati a parentibus infidelibus adeo grave est, ut neque baptizari possit filius ab infidelibus sponte oblatus, si post baptismum in eorum potestate relinquendus sit, S. Congreg. ita definivit an. 1777. Unde Pius VI die 27 jul. 1785, hanc edidit generalem regulam, non esse baptismum filiis infidelium ministrandum, nisi adsit quasi moralis certitudo, hos filios in Religione Christiana victuros. — (5) Sed hoc casu periculum debet esse actuale, et personale ; unde baptismus non potest ministrari infantibus probabiliter morituris tempore grassantis pestis, vel epidemiæ, dum adhuc sani sunt. Cit. decis. S. Cong. — (6) S. Cong. S. Offic. 17, Feb. 1671. Sed eadem S. Congregatio majorem rigorem attulit in alia decisione 22 jul. 1840, in qua permisit, infidelium filios, parentibus afferentibus, baptizari *in casu, in quo vitæ periculum imminere videatur.* — (7) Benedictus XIV in cit. bul. et in alia incip. *Probe te.*

313. Cum semel baptizati nequeant amplius baptizari, quia baptismus imprimit characterem, quæri potest, quid sit agendum in dubio circa collationem, et validitatem baptismi? Respondemus; si dubium prudens et rationabile sit, ita ut, summa adhibita diligentia, parum de baptismi collatione, aut validitate constet, baptismus est iterum conferendus sub conditione : *Si baptizatus es, non te baptizo; si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris* (1), etc. Quare ubi dubia adhibita sit materia, aut forma, aut intentio, baptismus est sub conditione prædicta repetendus : neque propterea rebaptizans aliqua ligatur irregularitate, aut macula peccati notatur, cum hic non interveniat temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis, ut ait Pontifex. Debet idcirco Parochus ab omnibus in necessitate baptizantibus diligentissime exquirere, an in casu practico debita materia, forma, et intentio adhibita sit : debet hæc ipsa scutari Episcopus ab illis, qui a castris hæreticorum veniunt ad unitatem Ecclesiæ catholicæ : nam si in utroque casu certum sit, baptismum valide collatum fuisse, non

potest sine piaculo iterari, secus, ut diximus, est sub conditione iterandus. Cæterum legitima baptismi receptio probari potest per unicum testem ocularem, et fide dignum tam marem, quam fœminam (2), et quandoque per ipsam violentam præsumptionem, ut est de illo, qui natus est ex Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus : hæc quidem præsumptio recepti baptismatis, de quo aliter non constat, pro certitudine habetur, donec contrarium probetur (3).

(1) Cap. 2, de baptis. — (2) Can. 112, dist. 4, de consec. — (3) Can. 3, de presb. non bapt.

314. Quoties quis privatim baptizatus fuit ex necessitate, aut ex licentia Episcopi, et solemnes baptismi cæremonias, vel sacramentalia non recepit, quo citius fieri potest, ad ecclesiam deferendus est, ut in eo omissæ sacramenti cæremoniæ suppleantur. Benedictus XIV videtur admittere, posse Episcopum, ejusque Vicarium Generalem concedere, ut absque vera necessitate quis privatim baptizetur sub lege exinde supplendi cæremonias in Ecclesia, *quia expectatur vir dignitate, et genere insignis, qui patrini munere fungatur, aut alium loco suo substituendum designet* (1). Quoties vero aliquis absque dictis cæremoniis in hæresi validum recepit baptismum, et, abjurata hæresi, ad veram fidem convertitur, potest petere, ut in se Sacramenti cæremoniæ omissæ suppleantur, aut petere ab iisdem dispensationem, quam illi Episcopus legitime indulget (2).

(1) Inst. 98, n. 13. — (2) Baruffaldus in com. ad Rit. Rom. Hic demum quoad validitatem baptismi novam S. Cong. S. Offic. decisionem referimus, qua declaratum fuit, non valere baptismum sub hac forma collatum : *Ego volo ministrare tibi sacramentum baptismi peccatorum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Decis. 10 junii 1840.

315. Denique in collatione baptismi solemnis sunt adhibendi Patrini, quorum est filiorum spiritualium institutioni invigilare, quam si parentes negligerent, ipsi deberent supplere. Patrini designandi sunt a parentibus, qui possunt designare

unum tantum, sive virum, sive mulierem, aut ad summum duos, nempe unum virum, et unam mulierem (1). Sed nequeunt per Parochos in patrinos acceptari Monachi, Moniales, impuberes, excommunicati, et criminosi. Præterea hujus actus effectus est, ut tum conferentes baptismum, tum patrini cognationem spiritualem contrahant cum baptizato, baptizatique patre, et matre, de qua agimus infra, ubi de impedimentis matrimonii.

(1) Can. 101, dist. 4, de consec. et Trid. sess. 24, c. 2, de ref. matr.

316. His de baptismo dictis, pauca subjicimus de confirmatione, quæ potest definiri : *Sacramentum novæ legis a Christo institutum, quod baptizatis per S. Chrismatis inunctionem gratiæ plenitudinem confert* (1). Minister Confirmationis est Episcopus, licet summus Pontifex simplicem sacerdotem possit ad hoc ministrandum Sacramentum delegare (2). Subjectum vero hujus sacramenti est omnis homo baptizatus, et nondum confirmatus, sive sit adultus, sive impuber, sive etiam amens, dummodo sit Episcopi confirmantis subditus. Mos tamen invaluit, ut tantum septennio majores post opportunam in fidei præceptis institutionem confirmentur, nisi rationabilis causa, ut periculum mortis, aut diuturna Episcopi absentia, aliud suadeat. Patrini ut in Baptismo, sic in Confirmatione sunt adhibendi, qui utroque in casu cognationem spiritualem contrahunt. Sed in Confirmatione unus tantum, aut una in patrini munere admittitur, ita tamen ut ex Ecclesiæ consuetudine patrinus Confirmationis non sit idem, qui Baptismi patrinus fuit (3).

(1) Can. 5, dist. 5, de consec — (2) Benedictus XIV, de Synod. l. 7, c. 7 et 8. Tridentinum definivit, solum episcopum esse ordinarium ministrum sacramenti confirmationis, et anathema intorsit in eos, qui contrarium assererent. Sess. 7, can. 3, de Confir. Cum tamen concilium nominat ministrum *ordinarium*, non excludit *extraordinarium* ex delegatione summi Pontificis creatum, ut declaravit S. Congregatio 3 maii 1575. Dicimus ex delegatione summi Pontificis, quia episcopi hanc delegationem dare nequeunt. Revera S. Gregorius Magnus scribens Januario Calaritano episcopo concessit Presbyteris ejus, ut possent confirmationis sacramentum ministrare. Can. 1, dist. 95.

Hujusmodi exemplum postea secuti sunt alii Pontifices, qui similia privilegia simplicibus sacerdotibus concesserunt, quorum cathalogum conscripsit Benedictus XIV, de Synod. l. 7, c. 7, n. 6, et novissime Pius VII, qui Mazariensi episcopo indulsit, ut posset deputare sacerdotem ad ministrandum sacramentum confirmationis incolis cujusdam insulæ, ad quam difficilis erat accessus. Bul. Rom. nov. tom. 5. pag. 44, quique similiter indulsit cuidam abbati Helvetico, ut posset conferre confirmationem catholicis in illa regione occultis, *qui sine gravi periculo catholicam religionem palam profiteri nequeunt*. Id. Bul. tom. 7, pag. 369. Insuper presbyteri Ecclesiæ Græcæ ex vetustissima consuetudine statim post collatum baptismum pueros sacro chrismate liniunt, id est confirmant, quod ab expressa, vel tacita summorum Pontificum delegatione provenire necesse est, ut probat Gazzaniga de sac. Conf. c. 5, n. 176. Quoad presbyteros a summo Pontifice ad hoc delegatos observandum est : 1° quod hæc facultas a S. Sede non conceditur nisi ex urgentissima causa et in absentia episcopi ; 2° quod delegatus adhibere debet chrisma ab episcopo benedictum ; 3° quod presbyteri Græci adhibere nequeunt proprium ritum cum Græcis in Italia, atque insulis adjacentibus commorantibus ; 4° quod episcopi Latini debent absolute confirmare baptizatos in suis diœcesibus a presbyteris Græcis, et confirmare sub conditione, si verosimiliter dubitari possit, an ab episcopis Græcis fuerint baptizati ; 5° quod confirmati a presbytero non sunt cogendi, ut confirmentur ab episcopo, si ex coactione scandalum oriri possit ; monendi tamen sunt, eos peccare graviter, si cum possint, confirmationem negligant ; 6° quod valet confirmatio a presbyteris Græcis in Græcis diœcesibus simul cum baptismo administrata, modo non adsit expressa reprobatio hujus consuetudinis a summis Pontificibus facta, qualis adest quoad Bulgaros ex decreto Nicolai 1. Bulgaria enim pertinebat ad Patriarchatum Occidentis, ut probat Christ. Lupus cit. a Benedicto XIV, d. l. c. 9, n. 3. Similiter expressa reprobatio adest quoad Cyprios ex decreto Innocentii IV. Gazzaniga l. cit. n. 178. Benedictus XIV, de Synod. l. 7. c. 7, 8 et 9, Giraldus ad cap. 1, de sac. Unct. sect. 112. — (3) S. De Ligorio l. 6. n. 171, 177 et seqq.

TITULUS III.

DE EUCHARISTIA ET POENITENTIA.

SUMMARIUM : 317. Eucharistia ut sacramentum definitur. — 318. Quis sit ejus minister, et subjectum? — 319. Eucharistia sumenda a jejunis. — 320. Saltem semel in anno in Paschate. — 321. Quæ sint pœnæ contra contumaces? — 322. Eucharistia ut sacrificium definitur. — 323. Qui sint, qui hoc sacrificium offerunt? — 324. Sacerdotes tenentur omnino aliquoties in anno offerre. — 325. Quotuplex sit hujus sacrificii fructus? — 326. Sacerdotes pro aliis celebrantes possunt licite justam eleemosynam accipere. — 327. Quæ circa hanc eleemosynam sint præscriptæ regulæ? — 328. Onera missarum adimplenda sunt juxta veram, aut præsumptam benefactorum voluntatem. — 329. Quæ sint observandæ regulæ si missarum redditus imminuantur? — 330. Quid sit compositio quoad missas non celebratas? — 331. Quid reductio missarum, et quis habeat reducendi potestatem? — 332. Quæ sint præcipuæ reductionum regulæ? — 333. Sacramentum Pœnitentiæ quid, quis ejus minister, et subjectum? — 334. Minister habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. — 335. Quandonam episcopi possint peccatorum absolutionem sibi reservare? — 336. Quando Papa sibi absolutionem reservet propter peccatum, et quando propter excommunicationem?

317. Eucharistia vocabulum græcum est, quod apud Latinos significat gratiam bonam, vel gratiarum actionem, et sumitur pro novæ Legis sacramento, et pro sacrificio. Eucharistia sub primo respectu accepta *est sacramentum novæ Legis a Christo institutum, omnium nobilissimum, et maximum, quod veraciter continet Corpus et Sanguinem Jesu Christi sub consecratis panis, et vini speciebus.* Dicitur hoc Sacramentum omnium nobilissimum et maximum, quia non solum continet gratiam, sed ipsum gratiæ auctorem Jesum Christum verum Deum, et hominem, a quo miris modis divina gratia reficimur, et augemur.

318. Minister, qui Eucharistiam conficit, est solus Sacerdos : solos quidem Sacerdotes allocutus est Christus in Cœna post hujus sacramenti institutionem dicens : *Hoc facite in meam*

commemorationem (1). Attamen verba consecrationis, quibus transubstantiatio fit, sacerdotes non proferunt in propria persona, sed in persona Christi. Minister vero, qui Eucharistiam dispensat, est iterum sacerdos ; at quandoque Diaconus ex commissione Sacerdotis, aut in necessitate ad dispensandum hoc ipsum sacramentum admittitur, ut jam vidimus (2). Sed nomine Sacerdotis dispensantis non intelligitur absolute nisi Parochus, cum alii sacerdotes simplices habeant quidem sacramenti conficiendi potestatem, non vero semper ministrandi auctoritatem. Immo ministrandæ Eucharistiæ sæcularibus personis auctoritatem non habent Regulares in die Paschatis per jura allegata a Benedicto XIV (3).

Subjectum Eucharistiæ est omnis Christianus, qui sit in statu gratiæ, et juste Eucharistiam petat : idcirco neganda est publicis peccatoribus, qui vel tales fuerunt a judice declarati, vel per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari tales publice habentur (4) : item neganda est pueris antequam ad annos discretionis devenerint, quod contingere solet ab anno ætatis septimo ad decimum quartum, nisi agatur de mortis periculo, in quo etiam pueri doli tamen capaces sunt SS. Viatico reficiendi (5).

(1) Luc. 22. — (2) Sup. n. 117. — (3) De Synod. l. 9, c. 16. Eucharistia in processione Corporis Christi deferenda est manibus Sacerdotis celebrantis, ut præscribit Cæremoniale Episcoporum, et S. Rituum Congregatio. Corresp. de Rom. an. 1852, p. 128, et ministrari non potest in Oratoriis privatis, nisi de Episcopi licentia. Id Pontifex in bul. *Magno*, et S. De Ligorio l. 6, n. 359, neque in feria sexta, et sabbato in Parasceve, nisi per modum Viatici. Benedictus XIV, de sac. Miss. l. 3, c. 18, § 14. — (4) De hoc ita legimus in Rituali Romano de Eucharistia « Arcendi autem sunt (a communione) pu« blice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique « infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, « blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum « pœnitentia, et emendatione constet, et publico scandalo prius sa« tisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos « emendatos agnoverit (sacerdos) repellit ; non autem, si publice « petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat. » — (5) Benedictus XIV, de Synod. l. 7, c. 11 et 12.

319. Eucharistia conficienda, et sumenda est tantum ab iis,

qui a media nocte naturale jejunium servarunt. Nam licet primum Christus discipulos suos non jejunos communicaverit; tamen inde placuit Spiritui Sancto, et Ecclesiæ, ut ait S. Augustinus, ad plura mala, et scandala avertenda præcipere, ut in tanti sacramenti honorem jejuni dumtaxat sacram Communionem reciperent, cujus præcepti originem ab ævo Apostolorum repetit Cardinalis Bona, et vim confirmat Martinus V (1).

(1) In bul. *Apostolicæ Sedis.* Sunt nihilominus aliqui casus, in quibus non jejunus potest communionem recipere, ut si id fiat per Viaticum in periculo mortis, aut per indultum S. Pontificis in ægritudine, quæ jejunium servari non patitur; cujusmodi indulta pro Regibus et Principibus commemorat Benedictus XIV, in bul. *Quodam de more;* qui simile privilegium Jacobo III, Regi Britanniæ concedit, et cujusmodi indulta interdum concedunt summi Pontifices etiam privatis personis, quæ propter eamdem ægritudinem nequeunt jejunium servare, ut valeant nimirum non jejuni semel, aut pluries in anno sacram communionem accipere.

320. Temporibus Apostolorum, et inde per plura sæcula omnes fideles Missæ celebrationi præsentes quotidie S. Communionem sumebant : sed labentibus in deteriora temporibus necesse fuit quosdam desidiosos fideles ad S. Communionem aliquoties in anno sumendam per Ecclesiæ præceptum compellere, quod factum fuit sæculo Ecclesiæ tertio a S. Fabiano Papa, qui præcepit, ut, si non frequentius, saltem ter in anno fideles non impediti communicarent, scilicet in Paschate, in Pentecoste, et in Natali Domini (1). Ac denique prodiit decretum Innocentii III, editum in concilio Lateranensi IV, quod sic se habet : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti* (2), *et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum ; alioquin et vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura* (3).

In vim præfati decreti, ut ex eodem manifeste liquet, sacræ Communionis præceptum ita fuit reductum, ut absolute tan-

tum obliget semel in anno in Paschate, hoc est a Dominica Palmarum ad Dominicam *in albis* inclusive (4) : quod intelligitur de Christiano, dum sanus est ; nam si ægrotet, et periculum urgeat mortis, ex ipso divino jure ad S. Communionis perceptionem tenetur, quamquam in Paschate jam communicaverit. Dum tamen tempus paschale pro S. Communionis perceptione taxative determinatur, non adimitur, sed conceditur proprio Sacerdoti facultas ob aliquam rationabilem causam ad tempus prorograndi præcepti executionem. Verum an liceat Episcopo tempus taxatum prorogare, aut amplificare generatim pro omnibus, dubitari juste potest, licet plures Doctores id affirment, et in praxi quandoque servetur. Nam hæc temporis determinatio a summo Pontifice, et a Generali Concilio facta fuit ; et aliunde expediti juris est, Episcopum non posse summi Pontificis constitutionem, aut Generalis Concilii decretum mutare, aut extendere, vel amplificare (5).

(1) Can. 16, dist. 2. de consec. — (2) Huic canoni quoad primam partem jure derogatum fuit, et nunc cuique facultas est confitendi sacerdoti ad confessiones audiendas approbato. Giraldus ad cit. can. — (3) Cap. 12, de pœnit. et remiss. Trid. Sess. 13, can. 9. — (4) Ita declaravit Eugenius IV. in bul. *In fine.* — (5) Ita observat Benedictus XIV, de Synod. l. 12, c. 6, n. 10, qui affert casum hujus speciei practicum. Neque idem Benedictus, dum adhuc Archiepiscopus Bononiensis erat, exemplum hujus prorogationis dare visus est in sua Institutione 45, n. 18, in qua proprie non prorogavit tempus paschale ; sed solum eos benigne invitavit, qui præcepto paschali suo tempore non satisfecerant, ut saltem in solemnitate Nativitatis B. Mariæ Virginis curarent satisfacere.

321. Pœnæ contra refractarios in eodem decreto sancitæ consistunt in interdicto ingrediendi ecclesiam, et in privatione sepulturæ ecclesiasticæ, quæ ex communi Doctorum sententia non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ. Hoc quidem eruitur ex ipsis decreti verbis, *arceatur*, *careat*, quæ aliquid faciendum, non factum demonstrant ; et a disciplina Ecclesiæ, quæ ipsas pœnas non decernebat, nisi per judicis sententiam post Pentecostem pronunciandam, et post triplex propositum citatoriale edictum, ut contumaces resipiscerent. Nihilominus quidam sunt auctores, quos citat Giraldus in dicto capite, qui

autumant pœnam interdicti ab ingressu in Ecclesiam esse quidem ferendæ sententiæ, ut mox exposuimus, sed pœnam privationis sepulturæ esse sententiæ latæ, ita ut reum defunctum etiam ante judicis sententiam afficiat. Sed an hæc opinio solido nitatur fundamento dubitari potest, tum ob contrariam communem Doctorum sententiam, quam sine hæsitatione sequitur S. De Ligorio (1), tum ob inverosimilitudinem, quam involvere videtur; nam nemo plus mortuus, quam vivus punitur (2), et si quis vivus plena fruebatur ecclesiæ ingrediendæ libertate, non carebit mortuus jure ingrediendi sepulcrum, antequam per judicis sententiam, aut per synodale statutum reapse privetur.

(1) Lib. 6, n. 674. — (2) Can. 2, c. 24, q. 2.

322. Eucharistia, ut supra diximus, sumitur quoque pro Sacrificio novæ Legis. Eucharistia hoc secundo modo excepta *est Sacrificium novæ Legis complectens consummationem, et perfectionem omnium Sacrificiorum Legis naturæ, et mosaicæ, quo in Missa consecratur, et offertur Corpus et Sanguis Jesu Christi.* Prima hujus definitionis pars ex eo evincitur, quod omnia Legis naturæ, et mosaicæ sacrificia ex eorum fine erant aut *Latreutica*, hoc est oblata in honorem Dei, aut *eucharistica*, hoc est oblata in gratiarum actionem, aut *propitiatoria*, hoc est oblata in expiationem culpæ pœnæve, aut *impetratoria*, hoc est oblata ad bona a Deo obtinenda. Sed Missæ sacrificium has omnes rationes perfecte continet (1). Secunda vero ejusdem definitionis pars ex eo evincitur, quod Missæ sacrificium est ipsum Sacrificium Crucis : nam eadem est hostia, quæ in utroque offertur, sola offerendi ratione diversa (2). Quare differt Eucharistiæ Sacramentum a Sacrificio, quod illud consecratione perficitur, hoc vero consecratione et oblatione; et illud digne sumentibus ex opere operato gratiam confert, hoc vero prodest aliis, pro quibus offertur.

(1) Trid. sess. 22, c. 1. — (2) Trid. ead. sess. c. 2,

323. Hoc tremendum maximumque Missæ Sacrificium æter-

no Deo offert principaliter ipse Christus sacerdos summus; offerunt sacerdotes in ejus nomine ac persona, ob potestatem in eorumdem ordinatione acceptam; et aliquo modo minus proprie offerunt ipsi fideles, quatenus eidem tamquam Christi membra devote assistunt, et in oblationem conveniunt. Soli tamen sacerdotes sunt, qui hoc Sacrificium queunt celebrare, cum soli sunt, qui queant in Missa consecrare (1).

(1) Bul. *Sacerdos in æternum* Benedicti XIV.

324. Quamquam expediat, sacerdotes omnes legitime non impeditos quotidie, excepto triduo mortis Christi, hoc adorandum Sacrificium offerre, ne SS. Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, et seipsos medicina et subsidio, juxta memorandum Ven. Bedæ monitum privent: tamen ubi de simplicibus sacerdotibus agatur, absolute non tenentur, nisi aliquoties in anno, hoc est saltem ter, vel quater in præcipuis anni solemnitatibus (1). Sed Tridentinum Episcopis jubet vigilanti sollicitudine ita facere; ut sacerdotes saltem diebus solemnibus, et Dominicis celebrent, et, si habuerint curam animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant (2). Plures tamen Missas celebrare eodem die, excepto die natalis D. N. J. C. Sacerdos sine speciali privilegio et necessitate prohibetur : nam *sufficit sacerdoti*, ut ait Innocentius III, *semel in die unam Missam solummodo celebrare* (3), quod confirmat Benedictus XIV, in responsione ad Episcopum Oscensem (4).

(1) Cap. 9 de cel. Miss. — (2) Sess. 23, c. 14, de ref. — (3) Cap. 3, de celeb. Miss. — (4) Litt. *Declarasti nobis.* Speciale ab antiquo privilegium extat in regnis Castellæ, Valentiæ, et in ducatu Catalauniæ, per quod quilibet sacerdos sæcularis ter potest celebrare in die Commemorationis defunctorum. Necessitas creditur adesse, si unus Parochus duas regere debeat parochias, aut duos populos separatos, et ab invicem valde distantes, ita ut fideles nequeant ad eamdem ecclesiam convenire ad audiendum sacrum diebus festis de præcepto, et nullus sit omnino sacerdos, qui in altera ecclesia sacrum facere queat. Sed necessitas adesse non creditur, si agatur de diebus ferialibus, aut de festis ex devotione assumptis, in quibus

non est Ecclesiæ præceptum audiendi sacrum. Idem dicendum, si in ecclesia celebretur alia missa, si fideles queant sine magno incommodo in unam convenire ecclesiam, si queat inveniri sacerdos, qui in altera ecclesia celebret, etc. Causa necessitatis probanda est ab Episcopo, qui debet rem accurate perpendere, et videre, an alio modo, ex. gr. per dismembrationem, aut per alium sacerdotem, possit fieri necessitati consultum. Episcopus autem hanc facultatem habet ex jure; nam Innocentius III, in cit. cap. 3 de celeb. Miss. in quo prohibet plurium Missarum celebrationem eodem die, excipit, *nisi causa necessitatis suadeat*; et idem confirmat, et magis declarat Benedictus XIV in cit. Litt. *Declaravit nobis*. Quod si agatur de aliis causis, quæ necessitatem non afferunt, solus Papa potest secundæ celebrandæ missæ eidem sacerdoti licentiam concedere; nec consuetudo, usus, aut prescriptio id aliquo modo licitum reddit, quamquam ab antiquo, et ab immorabili originem traheret, ut demonstrant plures sacrarum Congregationum decisiones, quas affert auctor Analect. Jur. Pont. ser. 1 a pag. 543 et seqq. Quando vero Sacerdos ex speciali privilegio, aut ex necessitate secundam celebrat missam, in prima nequit purificationem sumere, neque alio in secunda uti calice; sed, cooperto calice cum patena et palla, ut in Missis Natalis Domini, deponere eum debet in tabernaculo, si adsit, velo involuto, et ligato, ut in feria V in Cœna Domini, et si non adsit Tabernaculum, calicem sic paratum debet relinquere super corporali in altari, donec requisita decentia ad aliam Ecclesiam transferat, ut decisum fuit a S. Cong. Rit. 16 Septemb. 1815. Vid. cit. Auct. n. 14, qui rem copiose pertractat. Vide in eodem auctore (fasc. 25.) nuperrimam decisionem quæ permittit uti alio calice, cum quibusdam tamen conditionibus.

325. Fructus Sacrificii Missæ triplex est, nempe: *generalissimus*, de quo omnes fideles participant; *specialissimus*, quo solus sacerdos celebrans fruitur; et *medius*, sive *specialis*, quem ipse sacerdos applicat pro iis, pro quibus Missam celebrat. Hi fructus, quatenus proveniunt ex opere operato, non imminuuntur ob malitiam indigni sacerdotis celebrantis, modo impedimentum nullum obsistat; sed quatenus proveniunt ex opere operantis, imminuuntur, et augentur pro minori, aut majori sacerdotis sanctimonia, et devotione in celebrando adhibita (1).

(1) Benedictus XIV de sacrif. Miss. l. 2, c. 13, § 20.

326. Sacerdotes pro aliis Missam celebrantes possunt ab illis licite eleemosynam accipere. Hoc plane simoniacum non est:

nam eleemosyna datur non in pretium consecrationis, sed in stipendium substentationis, cum qui servit altari, de altare vivere debeat. Olim fideles in Missa oblationes faciebant in pane, et vino, aliisque similibus, quæ in substentationem cedebant sacerdotum ; deinde offerre cœperunt pecuniam, quæ substentationis præberet subsidium, ut nunc fit. Sedulo tamen curandum, ne in eleemosynarum acceptione aliquis sit excessus, aut intentio, vel pactum simoniacum, quod nemo potest satis odisse (1). Justa Missarum eleemosyna, vel est taxata ab Episcopo, pro missis præsertim adventitiis, quod facere solet in Synodo, et proinde dicitur taxa *synodalis* (2); vel est taxata ab offerente, et benefactore in missis præsertim perpetuis, quæ regulariter loquendo non debet esse taxa synodali minor (3).

(1) Unde Tridentinum episcopis mandat, ut, *quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generum mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.* Sess. 22, in decr. de observ. et vit. in cel. Miss. — (2) Hæc taxatio observanda est etiam a Regularibus ; nam S. Congregatio concilii die 15 januar. 1639 declaravit, *eleemosynam pro qualibet missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis.* Benedictus XIV, Inst. 36, n. 10. — (3) Ultra eleemosynam taxatam nequeunt Sacerdotes pro celebratione petere. Nihilominus potest afferens eleemosyna taxata majorem dare, quæ non prohibitur acceptari ; et ex adverso potest sacerdos eleemosynam taxata minorem acceptare, modo id ab episcopo non prohibeatur, ne consuetudo minus accipiendi in aliorum præjudicio introducatur. Benedictus XIV de Synod. l. 5, c. 8. Norma vero taxandi sumitur a consuetudine, et a necessitate ; nam ut tradunt Doctores, Missæ eleemosyna datur ad Sacerdotis substentationem. In archidiœcesi Genuensi hæc taxa synodalis est unius libellæ pro qualibet missa.

327. Urbanus VIII (1) et Innocentius XII (2), plura confirmando S. Congregationis Concilii decreta, inter alia, quæ respiciunt locorum piorum visitationem, et administrationem, sequentia præsertim sub gravibus pœnis in hac materia decreverunt : 1° totidem esse precise Missas celebrandas, quot sunt eleemosynæ acceptæ, licet sint exiguæ (3) ; 2° Sacerdotem certam Missæ eleemosynam acceptantem non posse alteri Mis-

sam celebrandam committere, parte eleemosynæ sibi retenta, etiamsi magna sit, vel taxa synodali major (4); 3° non posse acceptare manuales, sive adventitias Missarum eleemosynas, nisi intra modicum tempus possit iisdem satisfacere; quando majorem dilationem offerens expresse, aut tacite non concedit (5); 4° non posse acceptari onera perpetua Missarum, nisi de licentia Ordinarii, vel Superioris Generalis, si de Regularibus agatur (6), qui ante licentiæ concessionem debent sedulo perpendere tum reditus assignatos qui investiti esse debent in bonis immobilibus, et esse sufficientes, tum de possibilitate, et securitate adimplementi in perpetuum (7); 5° non licere in ecclesiis exponere capsulas ad colligendas eleemosynas Missarum, neque die omnium Defunctorum pro mortuis, nisi de licentia Ordinarii, quod statutum fuit, ne collector sibi ad libitum eleemosynam præfigat (8).

Propterea Benedictus XIV, duabus editis ad hoc bullis (9), damnavit collectores eleemosynarum pro celebrandis Missis, qui collectis Missarum eleemosynis in una diœcesi, ipsas Missas postea committunt celebrandas in alia diœcesi, in qua minor est taxa synodalis, ut sibi salva sit earumdem eleemosynarum pars in excessu taxæ synodalis unius diœcesis præ alia. Hoc quidem declarat Pontifex esse absonum ab ipsa voluntate expressa, vel tacita offerentium (10), esse injustum, et turpem quæstum, qui punitur restitutione injuste acceptorum, et pœnis sibi reservatis ipso facto incurrendis, excommunicationis scilicet contra laicos, et suspensionis contra Clericos (11). Quod ut facilius executioni mandari posset Clemens XI Notariis præscripsit, ut certiorem redderent Episcopum, sive Parochum de Missarum oneribus relictis in testamentis a se confectis (12).

(1) Bul. *Cum sæpe.* — (2) Bul. *Nuper a Congregatione,* quam per extensum refert Giraldus ad sess. 22 Trid. de obs. et vit. in cel. Miss. — (3) Sacerdos insuper, qui elcemosynam accepit, tenetur omnino missam celebrare juxta offerentis voluntatem, et per se, si ita voluit offerens, ac ad altare, dieque ab eo designato. Nec umquam unica Missa pluribus missarum oneribus satisfieri potest : unde qui tenetur celebrare pro legato, vel pro beneficio non potest pro ea missa eleemosynam manualem accipere cit. Bul. *Nuper* § 3, 4 et 22, n. 4. — (4) Huic regulæ duæ fiunt exceptiones. Prima est in favorem Sacerdotis beneficiati, qui missas beneficii sui alteri Sacerdoti cele-

brandas committit : non enim tenetur Sacerdoti sic celebranti eleemosynam beneficii fructibus respondentem dare ; sed sufficit, si eleemosynam synodalem offerat ; quia beneficii titulus semper beneficiato ad sui substentationem prodesse debet, licet alter missarum oneribus satisfaciat. Ibid. n. 8. Quod hic dicimus de beneficiato Doctores trahunt ad Capellanum etiam amovibilem, modo capellaniæ redditus non sint taxati pro unaquaque missa, quia hic etiam vigere putant rationem supradictam. Secunda est in favorem ecclesiarum, et locorum vere pauperum. Hæc enim loca si in tali versentur paupertatis statu, ut nequeant sustinere expensas pro missarum celebratione necessarias, ut paramentorum, luminum, vini, et hostiarum, possunt eleemosynarum partem retinere, modo tot celebrentur missæ, quod fuerunt oblatæ, earumque eleemosyna maneat adhuc congrua. Ibid. n. 7. Hæc pars, quæ licite retineri potest, est scutum unum pro quolibet centenario missarum. Pittonus de controv. patron. alleg. 54, n. 46. — (5) Modicum tempus a S. Congregatione designatum est spatium unius mensis, ut ait Benedictus XIV Inst. 56, n. 14, quod communiter a Doctoribus ad duos menses extenditur, ubi præsertim de missis non agitur pro defunctis applicandis. — (6) Cit. bul. *Nuper* § 8. Aliter acceptantes sæculares privantur ingressu in ecclesiam, regulares vero privantur officiis, et voce activa, et passiva, ibid. Hæc prohibitio respicit onera perpetua : unde non videtur prohibita acceptatio legati ad 30 aut 50 annos. Monacellus t. 6, f. 9, n. 6 ; et ratio est, quia perpetuum non dicitur, quod tempus saltem centum annorum non attingit. — (7) Onera missarum sic acceptata describenda sunt in tabella in sacrario asservanda, inque aptis libris, ut de earum missarum institutione, et adimplemento constet, et alia observanda in cit. bul § 27 et seqq. præscripta. — (8) Ibid. § 14. — (9) Bul. *Quanta cura* ad omnes episcopos, et bul. *Pro eximia* ad archiep. Taurinensem. — (10) Ratio est, quia eleemosynas offerens præsumitur velle potius in sua ecclesia missas celebrari, quam in alia sibi ignota. — (11) Hæc prohibitio respicit tum missas manuales, tum perpetuas ex legatis, et capellaniis, ut colligitur ex citatis bullis. Unde hæredes, et executores testamentarii missas a testatoribus relictas non possunt committere celebrandas in alia diœcesi, in qua pro exigua eleemosyna Sacerdotes sacrum faciunt, quia id præsumitur esse contra testatoris voluntatem. — (12) Bul. *Una delle cure.*

328. Onera missarum a piis benefactoribus, sive testatoribus instituta, quantum possibile est, secundum eorum veram, vel præsumptam voluntatem adimplenda sunt. Damus utriusque voluntatis exempla. Ob veram, vel expressam voluntatem, si celebrationis tempus testator designavit, hoc est a celebrante servandum ; si designavit ecclesiam, vel altare, ibi debet

omnino sacrum fieri; nec possunt executores, vel hæredes onus in aliam ecclesiam transferre; neque hoc ipsum potest Episcopus, nisi ad tempus ex causa rationabili, vel in perpetuum ex necessitate; quod contingeret, ubi ecclesia designata funditus concussa non foret amplius reparanda : hoc enim in casu constituitur Episcopus voluntatis testatoris legitimus interpres, et executor (1). Ob voluntatem præsumptam, si testator mandavit Capellano suo, ut toties, vel determinatis anni diebus celebraret pro se, vel pro se oraret in missa, Capellanus tenetur nedum missas celebrare, sed et pro eodem applicare, quia in capellania instituenda talis fuisse præsumitur ejus voluntas, nisi ex verbis institutionis, vel ex conjecturis aliud sit inferendum (2). Item si testator designavit ecclesiam cum suo Religiosorum, vel Canonicorum corpore, et, hac relicta ecclesia, in aliam se transtulerint Regulares, vel Canonici, secum deferunt missarum onus, si ratione præcipue personarum sit institutum; et si ex adverso sit institutum præcipue ratione ecclesiæ, illud onus deserunt in prima ecclesia; quod evenit, cum testator pro commoditate alicujus populi, aut pro sua erga aliquam divinam imaginem devotione missarum onus reliquit (3). At ubi locus per testatorem nullo modo sit designatus, possunt hæredes in quacumque ecclesia missarum oneri satisfacere (4).

(1) Monacellus tit. 13, for. 2, n. 58 et 60. — (2) Benedictus XIV de sac. Miss. l. 3, c. 9, § 2 et 3. — (3) De Luca in Annot. Ad Conc. Trid. disc. 17. (4) Monacellus l. cit. n. 59 et 62.

329. Quando occurrit, redditus imminui pro missarum eleemosynis constitutos, inter alia hæc præcipue observanda sunt. 1° Si legatum deperditum fuit, vel factum sit in toto infructiferum sine culpa illius, qui debebat celebrare, et non adsit, qui illud debeat reficere, nulla est amplius obligatio celebrandi, ut pluries declaravit S. Congregatio (1). 2° Si legatum diminutum tantum fuit in parte, distinguendum est, aut testator determinavit eleemosynam ex. gr. unum florenum pro qualibet missa; aut determinavit tantum numerum missarum celebrandarum pro redditu a se assignato. In primo casu, diminuto

redditu, sacerdos celebrat tot dumtaxat missas, quot florenos accipit; in secundo vero casu, quidquid alii dicant, consultius est ad S. Congregationem pro reductione recurrere, quia hæc etiam reductio videtur S. Sedi reservata (2). 3° Si ob adauctam taxam synodalem redditus non amplius correspondeant numero missarum celebrandarum, servanda est taxa antiqua ab Ordinario, vel benefactore constituta; et quando obligatio celebrandi numerum determinatum missarum firmata fuit inter ecclesiam et benefactorem per contractum, vel quasi-contractum, neque reductio a S. Congregatione conceditur; sed tantum implorari potest officium judicis, ut contractum, vel quasi-contractum injustum, et læsivum resolvat (3). 4° Si legata a testatore relicta reducenda sint, quia testator ultra vires hæreditatis disposuit; legatum tamen missarum pro una vice institutum non minuitur: nam credendum est, in tali casu testatorem noluisse imminutionem habere locum in legato pro anima sua facto (4).

(1) Monacellus tit. 6, form. 9, n. 1 et 2. S. de Ligorio l. 6, n. 324. — (2) De S. Ligorio cit. l. 6, n. 331, dub. 2. — (3) Monacellus tit 16, for. 10, n. 17. Illud hic notamus, quod taxa, ita exigente temporum et locorum necessitate, augeri potest: nam taxa hæc concurrit ad quotidianam sacerdotis substentationem; et ideo adaucto victualium pretio, adaugeri etiam potest synodalis missarum taxa, sicut ubique fere nostris temporibus contingit. — (4) Amostazo de caus. piis lib. 2. de miss. c. 6, n. 10; qui tenet hoc procedere nedum in legatis relictis pro una vice, sed etiam in legatis perpetuis, quia eadem est ratio.

330. Cum missarum onera in antecessum non fuerunt adimpleta, vel in posterum non possunt adimpleri intrat *Compositio*, et *Reductio*. Compositio est condonatio vel remissio missarum, pro quibus fuerunt eleemosynæ, vel fructus beneficiorum absque celebratione jam percepti, quæ fit aut immediate per summum Pontificem, aut mediate per organum Pœnitentiariæ, vel S. Congregationis Concilii, vel S. Congregationis Fabricæ S. Petri, ut frequentius accidit. Hæc S. Petri Fabrica congruum quotidie missarum per deputatos Capellanos in Basilica Vaticana celebrare facit in suffragium animarum, pro quibus omissa Sacrificia erant applicanda, dum supplet in reliquo ex spirituali Ecclesiæ thesauro, et illis injungit, qui suo non sa-

tisfecerunt muneri, ut quædam emittant opera pia, modicamque offerant eleemosynam, quæ compositio etiam dicitur. Sed non admittitur, nisi ex rationabili causa, et cum clausula, *dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem ;* quæ si deficiat, ipso jure nulla est compositio (1).

(1) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. ult. n. 13. Compositio habet quoque locum in debitis incertis. S. De Ligorio, Theol. Mor. l. 3, n. 591.

331. Reductio missarum proprie dicta est immunitio missarum in posterum celebrandarum ex juxta causa, et legitima auctoritate facta (1). Justa causa consistit in exiguo Sacerdotum numero, qui omnibus acceptatis missarum oneribus satisfacere nequeunt, in tenuitate stipendii, propter quod nemo est Sacerdotum, qui velit celebrationis onus sibi assumere, et in necessitate ecclesiæ, aut monasterii, aut ipsius beneficiati, si aliter ecclesia, aut monasterium regi, vel beneficiatus vitam agere non possit (2). Legitimam deinde auctoritatem missas ad minorem numerum reducendi habet tantum summus Pontifex, non Episcopus : nam etsi Tridentino (3) hæc facultas attributa reperiatur Episcopis, ut in Synodo diœcesana possint pro sua conscientia missas reducere ; tamen primo ex S. Congregationis decisionibus hæc eadem facultas restricta fuit ad libera, non beneficialia missarum onera ante ipsum Tridentinum imposita, inque prima post Concilium diœcesana Synodo reducenda (4); et deinde fuit Episcopis omnino sublata per decreta Urbani VIII et Innocentii XII (5), in quibus sub nullitatis pœna prohibetur, *ne Episcopi in diœcesana Synodo.... vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum. Sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis* ad S. Sedem statuitur fore recurrendum, nisi ipsi testatores, vel donatores reducendi missas a se institutas potestatem Episcopis fecerint (6).

Quamquam directe, ut mox exposuimus, missas reducendi auctoritas Episcopis sit adempta; eadem tamen quandoque utuntur in vim specialium concessionum, ob quas illud jure delegato faciunt, quod efficere nequeunt jure ordinario. Et

quidem in Concilio Romano sub Benedicto XIII celebrato (7), concessum fuit omnibus Episcopis eidem Concilio per se, vel per procuratorem præsentibus, ut, quibusdam observatis conditionibus, ad triennium possent onera missarum reducere. Hoc ipsum indultum inde postularunt, et obtinuerunt alii Episcopi, qui dicto Concilio non adfuere. Unde ob prorogationem, vel extensionem indulti in dicto Concilio concessi omnes Episcopi solent de triennio in triennium a S. Sede obtinere missarum reducendarum delegatam potestatem, cum onere eam exercendi juxta instructionem, quæ illis in actu primi recipiendi Indulti traditur.

Hoc indultum reductionis comprehendit missarum onera, non vero alia legata pia, aut dispositiones etiam inter vivos, quibus subsidia pauperibus, eleemosynæ indigentibus, aut virginibus dotationes relinquuntur (8) : comprehendit facultatem reducendi missarum onera, quæ alias non fuerunt reducta, quæque manuali carent eleemosyna, non vero onera missarum vel tantum semel reducta, vel quæ synodalem habent eleemosynam : et comprehendit facultatem absolvendi vere pauperes a præteritis omissionibus ; non vero transferendi missarum adimplementum de una in aliam ecclesiam (9).

(1) Hoc interest discrimen inter compositionem, et reductionem, quod illa respiciat omissiones in præteritum ; hæc illas, quæ in futurum obvenient, quibus justus adimplendi modus determinatur. — (2) S. De Ligorio, l. 6, n. 331. — (3) Sess. 25, c. 4, de ref. — (4) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. ult. n. 18. — (5) Cit. bul. *Cum sæpe*, et bul. *Nuper* § 2. — (6) Hæc missæ reducendi facultas videtur etiam Episcopis competere in limine fundationis, quando redditus relicti pro missarum eleemosynis taxæ synodali non correspondent : Nam Innocentius XII, in cit. bul. *Nuper* § 10, mandat Ordinariis, ne licentiam concedant acceptandi onera missarum perpetuarum, nisi *redditus, qui Ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino correspondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis*. Ergo quando redditus non correspondent, videtur Ordinariis concessa facultas usque ad æqualitatem onera, et missas reducendi, et ita cum aliis sentit Monacellus t. 6, for. 9, n. 7. Sed rectius dicendum est, etiam in hoc casu recurrendum esse ad S. Congregationem : nam idem Innocentius in cit. bulla hæc habet : *Et si legatum sit adeo tenue, ut non sit, qui velit* onus illi injunctum subire ; *nihilominus pro reductione oneris* erit ad S. Sedem recurrendum. § 21, n. 1; et sic sæpe S. Congregationem declarasse docet Giraldus

ad cap. 4, Sess. 25, de ref. Trid. quod probat ipse Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. ult. n. 19. Sanctus tamen De Ligorio cum Fagnano hanc missas reducendi facultatem concedit Episcopis, quando redditus a principio fuerunt sufficientes, et postea ita imminuti fuerunt, ut nullo modo amplius sufficiant. Theol. Mor. l. 6, n. 331, dub. 1. Sed hoc etiam in casu consultius erit ad S. Sedem recurrere ob rationes, quas affert pro parte contraria idem S. De Ligorio, ibid. ad dub. 2, quod supra jam citavimus, et ita in praxi in his Italiæ regionibus solet observari. — (7) Tit. 15, c. 8. — (8) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. ult. n. 22. — (9) Sed si hæc, quæ in genere in indulto reductionis non comprehenduntur, specialiter a S. Sede petantur, ut plurimum petenti conceduntur. Specialiter vero conceditur facultas reducendi in vera necessitate onera missarum jam reducta, quando capitalia relicta novam subierint imminutionem, et transferendi missarum adimplementum de una in aliam ecclesiam, ubi ob sacerdotum penuriam, vel ob aliam justam, et rationabilem causam in loco a fundatore designato missæ celebrari non possint.

332. Præcipuæ reductionum regulæ assignantur sequentes. 1ª Si legatum contineat missarum, aliarumque eleemosynarum onera, reductio ab eo, qui habet ad hoc facultatem, prius in eleemosynis est facienda, ut missæ salvæ maneant, quia Sanctum Sacrificium cæteris aliis piis operibus infinite præstat. Exceptio tamen fit in casu, quo fundator alium pro onere missarum, et alium pro eleemosynarum onere fundum taxative reliquerit; et etiam in casu, quo eleemosynas ex. gr. in pauperes, vel in alios pios usus ipse fundator missarum celebrationibus expresse, vel tacite prætulerit (1). 2ª Si datæ imminutioni reddituum quis debeat ex fundatione occurrere, reductio non potest habere locum; sed sic obligatus tenetur defectum supplere (2). 3ª Si testator jusserit, hæredem suum pro missarum dote legatario fundum tradere, facta fundi traditione, hæres in quocumque eventu ad aliquid supplendum non tenetur. Hoc enim casu debitum est certum, quod certa solutione omnino solvitur. Hinc in eventu imminutionis fundi debebit legatarius, non hæres missarum reductionem quærere. Si vero testator jusserit hæredem suum quotannis legatario dare tot ex sua hæreditate redditus, ut pro missarum a se relictarum dote sufficiant, et hæres fundum dederit, non propterea hæres liberatur, sed ipse reductionem, si habeat locum, quærere te-

netur (3). 4° Demum Episcopi indultarii in missarum reductione debent jugiter servare eleemosynæ synodalis mensuram, sive de missis privatis, sive de anniversariis, sive de missis cum cantu celebrandis agatur, in quibus præ cæteris ex regionum consuetudine eleemosyna et major. Cum vero simul reducendæ sint missæ cantatæ et lectæ, in illis potius, quam in istis reductio regulariter cadit, quod ecclesiæ, et fundatoribus utilius est. De cætero Episcopi indultarii secundum præstabilitas leges possunt etiam pro Regularibus suarum diœcesium missas reducere (4).

(1) Si vero Episcopus habeat indultum generale reducendi missas, quod de eleemosinis, et aliis piis legatis mentionem non faciat, pro executione hujus primæ regulæ ad S. Sedem recurrendum est. Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. ult. n. 23 et 24. — (2) Verum difficultas in eo latet, ut dignoscatur, quandonam fundatoris hæredes teneantur contingentem defectum supplere. Doctores communiter tenent, tunc hæredes obligari ad supplendum defectum, cum fundator respexit principaliter ad onus missarum, quas initio orationis designavit, et secundario ad fundum, quem in posteriori orationis parte pro missarum dote assignavit; et non teneri in casu contrario : quia ex taxativa assignatione missarum præsumitur in fundatore voluntas supplementi; et ex adverso in taxativa assignatione fundi præsumitur in fundatore voluntas ab alia præstatione hæredes liberandi in casu deminutionis, aut interitus fundi assignati, quæ theorica ab Instructione probatur Episcopis indultariis dari solita. Benedictus XIV, loc. cit. n. 30 et seqq. — (3) Id. Pontif. eod. loc. n. 33.— (4) Id. n. 34 et 35. Sed circa praxim illud hoc loci observandum, quod ubi quis a summo Pontifice missarum reductionem postulat, supplex libellus Pontifici, vel S. Congregationi oblatus ad loci Ordinarium pro informatione et voto remitti solet; et si reductio facienda judicetur, opportunum Rescriptum in curia Romana expeditur, quo reducendi facultas ipsi Ordinario committitur.

333. His de Eucharistia expositis, pauca adjungimus de Pœnitentiæ Sacramento, quod a sanctis Patribus dicitur *secunda post naufragium tabula,* et *laboriosum baptisma,* quia ut est necessarium baptisma non regeneratis, ita est Pœnitentia illis necessaria, qui post receptum baptisma in lethale peccatum lapsi sunt. Pœnitentia ita considerata *est Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo a Sacerdote lapsis post bapti-*

smum, contritis, confessis, et satisfacere proponentibus absolutio a peccatis tribuitur.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, qui in ordinatione sua potestatem obtinuit absolvendi a peccatis. Episcopos enim, et Sacerdotes allocutus est Christus, dum post resurrectionem suam insufflavit in discipulos suos dicens : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (1). Sed hac ordinis potestate uti nequeunt Sacerdotes, nisi et illam habeant jurisdictionis, qua subditi sibi assignentur, uti ex hac probatur Tridentini sanctione : *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem* (2). Accedit insuper quod confessarius est judex, et ejus absolutio est sententia, quæ proinde valida esse non potest, nisi sit super subditis pronunciata. Ordinariam absolvendi jurisdictionem habent ex. gr. Episcopi in tota sua diœcesi, et Parochi in sua parochia, et semper ubique quoad eorum subditos, quorum tamen potestas ad casus, et censuras reservatas regulariter non extenditur ; delegatam vero habent omnes simplices Confessarii approbati, omnesque Sacerdotes in articulo mortis, ubi alter desit Confessarius, quo in casu, nulla est amplius reservatio (3).

Subjectum denique hujus Sacramenti est omnis Christianus, qui post baptismum in peccata misere prolapsus fuit, modo habeat dispositiones ad absolutionem consequendam necessarias. Cum autem humanum sit peccare, etiam frequenter; ideo angelicum erit, se confessione purgare, etiam frequenter : quo in munere cum Christianos nimium desides invenisset Ecclesia, ut Communionem, sic annuam præcepit Confessionem, et gravissimas in refractarios pœnas indixit (4).

(1) Joan. c. 20. — (2) Sess. 14, c. 7. — (3) Trid. cit. loc. — (4) Cap. *Omnis utriusque sexus* 12, de pœnit. et remis. in quo præscribitur, ut omnis fidelis *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confitetur proprio sacerdoti.* Consequenter omnes fideles debent confiteri proprio Parocho, Parochus Episcopo, et sic de aliis respective Su-

perioribus. Sed Gregorius IX, dedit Episcopis, et minoribus Prælatis exemptis facultatem, ut possent sibi eligere Confessarium. Cap. 16, de pœnit. et remis. et Tridentinum tacite in hac parte citato capiti 12, quoad omnes derogavit, dum cuicumque fideli concessit, ut sua possent peccata confiteri cuicumque ab Ordinario approbato Confessario sæculari, sive regulari, sess. 23, c. 15, de ref. et sess. 24, cap. 7, de pœnit. Pœnæ autem in hoc continentur, quod qui huic præcepto, et præcepto Communionis paschalis neglexit satisfacere, vivens ab ingressu Ecclesiæ privandus est, et moriens ecclesiastica sepultura carere debet, ut supra de communione paschali agentes jam explicavimus.

334. Nullum est peccatum, quod per potestatem a Christo Ecclesiæ suæ relictam remitti non possit : ait enim ipse Christus : *Quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo* (1). Vocabulum *quæcumque* omnia peccata comprehendit, et nullum excludit. At hujusmodi Ecclesiæ potestas variis modis Sacerdotibus distribuitur : alii habent ordinariam, ut Parochi; alii delegatam, ut Sacerdotes absque beneficio parochiali approbati; et approbatio dari potest in genere pro utroque sexu, vel in specie pro viris, vel pro monialibus : immo quidam graviores casus possunt in quocumque themate a Superioribus reservari. Unde Tridentinum anathema pronunciavit in eos, qui dicerent, *Episcopos non habere jus reservandi sibi casus* (2); a fortiori hoc idem jus habent summi Pontifices in universa Ecclesia. Revera *merito*, aiunt Tridentini Patres, *Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita casus atiquos criminum graviores suo potuerunt pæculiari judicio reservare* (3).

(1) Matth. 18. — (2) Trid. Sess. 14, can. 11. — (3) Id. sess. 14, cap. 7. Videatur insuper bulla Pii VI, diei 28 novembr. 1786, in qua damnat impium Cybelium, qui Papæ reservationes maxima perfidia calumniatur, in abominabili suo liberculo : *Quid est Papa?*

335. Episcopi in his reservationibus præ oculis habeant necesse est Tridentini monitum, quo præcavetur, ut hac potestate in Ecclesiæ ædificationem utantur, et non in destructionem (1), quod explicans Sacra Episcoporum Congregatio, Clemente VIII approbante, Episcopos consuluit, ut casus *paucos* (2), eosque

atrociorum tantum, et graciorum criminum sibi reservent (3), neque regulariter eos, quibus annexa est excommunicatio major non reservata, vel onus restitutionis, aut alterius operis; neque denique eos, qui ad carnis peccata referuntur *propter periculum scandalorum* (4). Possunt utique Episcopi hac facultate uti quomodo eis libuerit per edictum, vel per epistolam; sed expedit, ut hoc peragant tantum in Synodo diœcesana ob rationes, quas affert Benedictus XIV (5).

(1) Trid. cit. sess. cap. 7. — (2) S. Cong. 9 Januarii 1601, penes Giraldum ad cit. cap. Trid. — (3) S. Cong. 26 novemb. 1602, penes Giraldum eod. loc. — (4) Epist. encycl. ejusd. S. Cong. penes Giraldum loc. cit. — (5) De Synod. l. 5. c. 4. Hic illud est notandum, quod nemo potest a casibus Episcopo reservatis absolvere, etiamsi haberet facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Bul. *Superna* Clementis X, et etiamsi esset de Ordine Fratrum mendicantium. Giraldus ad cap. 1, Sess. 23, Trid. de ref. ubi affert propositionem damnatam ab Alexandro VII.

336. Summi Pontifices sibi quorumdam casuum absolutionem reservant propter aliquod gravissimum peccatum, cui non est adjuncta excommunicatio, quod rarissime contingit, vel propter majorem excommunicationem reservatam peccato adjunctam. Propter gravissimum peccatum summo Pontifici reservatur: 1° Crimen ordinationis ab Episcopo factæ de Clerico, qui est inhabilis per scientiam, aut ætatem, vel indignus propter nativitatem, et mores, vel extraneus absque sui Ordinarii commendatitiis litteris, vel alia de causa ad præscriptum Tridentini male promotus. Sic enim ordinans suspenditur, et sui beneficii fructibus privatur, ac tantum ab his pœnis a summo Pontifice absolvi potest (1). 2° Crimen calumniæ illius, qui Sacerdotem innocentem apud Superiorem ecclesiasticum de sollicitatione accusat per se, aut procurat, ut alius accuset. Hoc peccatum nullam habet adjunctam excommunicationem, et tamen est S. Sedi reservatum (2).

Propter excommunicationem vero peccato adjunctam plurimi summo Pontifici reservantur casus, quorum alii continentur in Bulla *Cœnæ* (3), et alii huc, et illuc in conciliorum canonibus, et in Apostolicis Constitutionibus inveniuntur (4). Reser-

vatio non habet locum in casibus, qui peccatum continent mere internum, nec in casibus occultis respectu ad episcopum, qui in casibus papalibus occultis habet a Tridentino facultatem absolvendi (5), exceptis casibus Bullæ *Cœnæ*, excepta censura ob simoniam in ordine, et exceptis casibus post Tridentinum summo Pontifici reservatis (6).

(1) Bul. *Sanctum et salutare* Sixti V. — (2) Bul. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV. Hæc bulla confirmatoria alterius præcedentis Gregorii XV incip. *Universi*, importat, absolutionem iis denegandam esse, qui sollicitantem denunciare recusent, simulque statuit, crimen falso denunciantis esse S. Sedi reservatum, et confessorem sollicitantem complicem absolvere non posse extra mortis articulum, quod si faciat, excommunicationem S. Sedi reservatam incurrit. Hac de re copiose agunt moralistæ ; nos vero breviter observamus : 1° Quoad formam, denunciationem esse faciendam a persona sollicitata comparente coram Ordinario, vel ejus delegato, interpositò veritatis dicendæ juramento, et in scriptis, eo ferme modo, quo denunciatio fit in causa hæresis. Si vero ita absolute denunciatio fieri nequeat, facienda est per epistolam a denunciante subscriptam cum indicatione sui domicilii ; aliter sollicitatus a peccatis suis absolvi nequit, nisi dispensationem a denunciatione a S. Sede obtinuerit, nec epistola anonyma ad Ordinarium directa sollicitatum a denunciationis obligatione liberat. 2° Quoad probationem, non sufficere denunciationem unius feminæ, maxime si de diversis casibus agatur : unde regula esse debet, ut denunciatus pro prima vice *vigiletur* ; pro secunda *vigiletur attentius* ; et pro tertia *procedatur ad probationem*, cujus sufficientiam judicat Ordinarius, consultis EE. cardinalibus S. Romane Inquisitionis, pro qualitate, et numero denunciationum, denunciantium, et denunciati, et aliarum delicti, et rerum circumstantiarum. 3° Quoad pœnas, sollicitatorem esse severissime puniendum pœnis judici arbitrariis juxta sceleris gravitatem, uti suspensione ab officio, ab ordine, depositione, inhabilitate perpetua ad celebrandum, perpetua reclusione in monasterio, et etiam degradatione. Ad punitionem tamen requiritur justa sententia legitime prolata coram testibus viris ecclesiasticis, et secreto quantum fieri potest : non enim licet talem sententiam publicare. Ideo ipse denuncians tenetur ad silentium reservandum super denunciatione a se facta, cui in sua depositione præter citatum juramentum veritatis in principio, dari solet juramentum in fine de silentio servando, ad quod tenentur omnes testes, et ipse judex, ne reus diffametur, et religio damnum patiatur. 4° Quoad absolutionem falso, vel calumniose denunciantem, et eum, qui sceleste procurat, ut id ab aliis fiat, non posse absolvi in vita, sed solum in articulo mortis, facta retractatione, sine qua nec Papa absolvit, etiamsi crimen

sit occultum. 5° Quoad modum recipiendi denunciationes, et conficiendi processum contra sollicitatorem, observamus, sollicitatorem sive conveniatur in judicium, sive sponte compareat ad se accusandum ut facilius veniam consequatur, severe per judicem monendum esse, ut diligentissime caveat, ne in responsionibus, sive depositionibus suis Confessionis sigillum frangat, quod si eveniret, tamquam sigilli violator foret puniendus, et ejus dicta sigillo contraria cum omnibus circumstantiis neque in processu scribenda, ut si jam scripta delenda sunt. Cæterum sollicitator non potest interrogari de nomine personæ sollicitatæ, et tanto minus de consensu ab ea præstito, quod si fiat delendum est a processu : neque potest interrogari de effectibus sollicitationis ; sed si denunciator tales effectus exposuerit, e ipse sollicitator tales effectus sponte expresserit, possunt in processu retineri, quia melius determinant crimen. Denunciator vero nequit interrogari an sollicitationi consensum præbuerit, quia nemo tenetur turpitudinem suam detegere, et similiter nequit interrogari de effectibus a sollicitatione productis, quos tamen si sponte ipse denunciator exponat, in processu sunt scribendi, quia sunt circumstantiæ aggravantes, quæ propter multa pericula non sunt a judice exquirendæ, sed possunt cum debitis cautelis recipi, si sponte exponantur. Hæc omnia fusius explicamus in Theorica et Praxi Vicarii Capitularis a num. 188, ad quam lectorem remittimus.— (3) Hæc bulla incipit *Pastoralis*, et dicitur *Cœnæ* quia olim quotannis Romæ die Cœnæ Domini per Papam publicabatur, cujus ultima promulgatio facta fuit a Clemente XIII an. 1768. Censuræ autem hujus Bullæ ita enumerantur a Reiffenstuel in sua Theol. mor. tract. 13 dist. 2, n. 56 « 1° Excommunicantur hæretici, apostatæ a fide, receptores, fauto- « tores, et defensores hæreticorum, legentes eorum libros de reli- « gione tractantes, imprimentes, defendentes, et schismatici. 2° Ap- « pellantes a sententiis, et mandatis summi Pontificis ad futurum « concilium generale. 3° Piratæ, seu latrunculi maritimi, eorumque « fautores, etc. 4° Rapientes bona naufragantium Christianorum ubi « vis terrarum. 5° Imponentes nova pedagia, seu gabellas, præte « habentes auctoritatem ad hoc..... 6° Falsificantes litteras Apostoli « cas. 7° Deferentes arma, et alia usui bellico idonea ad Saracenos « Turcas, et alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos express « et nominatim a Sede Apostolica declaratos. 8° Impedientes eos « qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt. 9° Afficiente « injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam. 10° Vexante « Romipetas. 11° Offendentes Cardinales et Ecclesiæ Prælatos. 12 « Offendentes eos, qui ad Romanam curiam accedunt pro negotiis « negotiorumque gestores. 13° Appellantes a gravamine, vel futur « executione litterarum Apostolicarum ad laicum potestatem. 14 « Officiales et alii, qui causas ecclesiasticas avocant a judicibus ec « clesiasticis. 15° Judices sæculares, qui personas ecclesiasticas a « sua tribunalia trahunt. 16° Impedientes Prælatos, ne jurisdiction « sua ecclesiastica utantur. 17° Usurpantes jurisdictionem Sedi

« Apostolicæ, aliarumque Ecclesiarum, seu fructus, redditus, et « proventus earum. 18° Imponentes decimas, vel alia onera perso- « nis ecclesiasticis. 19° Judices sæculares, qui in causis capitalibus « Clericorum sese interponunt. 20° Occupantes bona, et terras Ec- « clesiæ Romanæ, et supremam jurisdictionem in illis usurpantes. » In vim citatæ Bullæ præsumentes absolvere a prædictis excommunicationibus, ipsi excommunicatione innodantur, quæ tamen non est reservata, — (4) Præcipuos inter hos casus enumerat S. Stremler in tract. de pœn. eccl. app. 2. Hoc modo, id est, casus est pro absolutione summo Pontifici reservatus. Primus, defendere etiam disputandi causa opiniones ab Ecclesia damnatas. Bul. *Ex omnibus* S. Pii V; Bul. *Unigenitus* Clementis XI; Bul. *Detestabilem* Benedicti XIV. Secundus, retinere absque necessaria traditione intra viginti dies litteras Apostolicas, quæ agnoscuntur falsæ. Cap. 4, § 2, de crim. fals. Tertius, impedire executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. Bul. *Rationi congruit* Julii III. Quartus, immittere manus violentas in clericum, monachum, vel monialem. Can. 29, c. 17, q. 4. Quintus, conspirare contra personam, vel statum Pontificis Romani. Extrav. *Etsi dominici* 3, de pœnit, et remis. inter com. Sextus, violare interdictum constitutum a Papa. Clem. *Gravis* de sent. excom. Septimus, vexare judices ecclesiasticos causa censurarum ab illis illatarum. Cap. 2, de sent. excom. Octavus, delicere in adimplemento conditionis promissæ in recipienda absolutione ab excommunicatione. Cap. 22, de sent, excom. in 6. Nonus, committere simoniam realem, et confidentialem. Bul. *Intolerabilis* S. Pii V. Decimus, furari cum effractione in Ecclesia post, furti sacrilegi sententiam reo a judice denunciatam. Cap. 22, de sent. excom. Undecimus, violare clausuram monasterii ad malum finem. S. Cong. 26 nov. 1602. Bul. *Regularis* Benedicti XIV. Duodecimus, comburere incendio ædes, vel possessiones, postquam incendiarius fuit publice denunciatus. Cap. 19, de sent. excom. Decimus tertius, Pugnare in duello, etiam quoad cooperatores. Trid. Sess. 25, c. 19, de ref. Bul. *Ad tollendam* Gregorii XIII; bul. *Illius vices* Clementis VIII; et bul. *Detestabilem* Benedicti XIV. Decimus quartus, dare nomen alicui societati secretæ, ut Massonorum, et Carbonariorum, ac recusare eos deferre ad Ordinarium; qui agnoscuntur ad easdem sectas pertinere. Bul. *Providus* Benedicti XIV. Bul. *Ecclesiam a Jesu* Pii VII; Bul. *Quo graviora mala* Leonis XII. Bul. *Inter præcipuas* Gregorii XVI, et bul. *Quibus pluribus* Pii IX. Decimus quintus, Regulares ministrare Viaticum, aut Extremam-Unctionem, aut adsistere Matrimonio absque licentia Parochi. Clem. I, de privil. Decimus sextus, Regulares absolvere pœnitentes a casibus Episcopo reservatis prætextu privilegiorum. Cit. Clem. I, de privil. Decimus septimus, absolvere complicem in peccato contra sextum Decalogi præceptum. Bul. *Sacramentum pœnitentiæ* Benedicti XIV. Decimus octavus, defendere esse licitum exquirere nomen complicis in confessione audienda. Bul. *Ubi primum* Benedicti XIV. Decimus nonus, communicare eum excom-

municatis in crimine criminoso. Cap. 29, de sent. excom. Vigesimus, dare, vel recipere aliquid pro gratia, vel justitia apud Sanctam Sedem, et intra trium dierum spatium non denunciare, quem quis scit esse in hoc culpabilem. Clem. 1, de sent. excom. Vigesimus primus, occupare bona Ecclesiarum, vel impedire, quominus ab iis eorum fructus percipiantur, ad quos pertinent. Trid. sess. 22, c. 11, de ref. Alii casus citantur a Doctoribus, et specialiter a S. De Ligorio l. 7, n. 218 et seqq, — (5) Trid. Sess. 24, c. 6, de ref. — (6) Giraldus ad cit. cap.

TITULUS IV.

DE EXTREMA-UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

Summarium : 337. Extrema unctio quid, quis ejus minister et subjectum? — 338. Ordo quid, quis ejus minister, et subjectum? — 339. Matrimonium quid, et quæ sint in eo consideranda? — 340. Monogamiam Christus probavit. — 341. Solam polygamiam successivam admittit Ecclesia, et alias conjunctiones damnat. — 342. Matrimonium ut sacramentum definitur. — 343. Quis sit ejus minister? — 344. Quotuplex matrimonium sit? — 245. Quæ requirantur in contrahendo matrimonio conscientiæ? — 346. Quam ob causam hoc secretum matrimonium queat publicari? — 347. Quale sit matrimonium ad morganaticam?

337. Plures fiunt in Ecclesia sacræ unctiones, ut in Baptismo, in Confirmatione, et Ordine ; sed hic agimus de Extrema-Unctione, quæ ita appellatur, quia ultima est, et in vitæ extremitate fit. Extrema unctio *est novæ Legis sacramentum a Christo institutum ad conferendam ægroto vita periclitanti salutem animæ, vel etiam corporis per olei benedicti unctionem sacerdotis.* Ex hujus definitionis verbis apparet, sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum. At quamquam quilibet sacerdos valide hoc sacramentum ministret ; licite tantum ministratur a Parocho. Parochus enim in sua Parochia circa forum internum jurisdictionem habet ordinariam, qua, sicut jure proprio ægrotantes sacrosancto reficit Viatico ; ita eos sacra Extrema-Unctione adjuvat. Quare ita dicitur hujus sacramenti minister,

ordinarius, ut extra necessitatis eventum nulli fas sit sacerdotum absque Parochi licentia hoc sacramentum ministrare (1).

Subjectum Extremæ-Unctionis est Christianus ægrotus, qui vita periclitatur, et peccata commisisse præsumitur, quorum sint hoc sacramento expiandæ reliquiæ. Sed periculum non requiritur extremum, in quo anima in primoribus labiis laboret; aliter, ut nobis objurgat impius Calvinus, non infirmos curaremus, sed semimortua cadavera, quod faxit Deus, ne unquam contingat. Illud sane periculum sufficit, ob quod adeo quis ægrotat, ut in gravi vitæ discrimine constitutus esse videatur. Quare hoc sacramentum non est conferendum capite damnatis, neque irruentibus in bellum, licet certo, aut gravissimo periculo se exponant vitæ amittendæ, quia non ægrotant; neque infantibus nondum doli capacibus; neque perpetuo amentibus, aut furiosis, qui culpæ reatu carent Sacramenti virtute delendo (2).

(1) Cat. Rom. de Sac. Extr. Unct. n. 13. — (2) Eugenius IV in decret. ad Armen.

338. Ordo deinde dupliciter in Ecclesia sumitur, scilicet: ad designandum certum hominum cœtum, quo sensu dicimus ordinem ecclesiasticum, ordinem regularem N., ut eos indicemus homines, qui Ecclesiæ ministerio, vel certæ Religioni sunt addicti; et ad significandum unum ex septem Ecclesiæ sacramentis. Ordo hoc ultimo respectu acceptus *est sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo traditur ordinato spiritualis potestas certa quædam munia ex officio exercendi in Ecclesia.* Ordo itaque convenit cum ipsa, quæ conceditur, potestate, dum ordinatio est actus, sive cæremonia, qua eadem potestas confertur. Cum vero potestates sint plures, plures quoque sunt ordines, et septem precise numerantur, quos cum propriis attributionibus jam exposuimus (1). Ordinis sacramentum imprimit characterem; ideoque reiterari non potest, nisi satis dubia sit ejus collatio; quo casu repeti sub conditione debet.

Minister ordinarius sacramenti Ordinis est solus consecratus Episcopus, qui non omnes, sed suos tantum subditos licite

promovere potest, ut jam videbimus (2). Nihilominus abbates regulares solemniter benedicti propriis regularibus subditis tonsuram, ordinesque minores licite conferunt. Subjectum vero est omnis homo baptizatus, nulla irregularitate præpeditus, mas, non fœmina (3), quia non decet fœminas in Ecclesia loqui, aut docere (4).

(1) Sess. n. 119. — (2) Potest tamen etiam promovere ad ordines aliorum Episcoporum subditos, quando habent a suis Ordinariis dimissorias litteras, sicut ipse potest subditos suos alteri Episcopo cum citatis litteris ordinandos committere. Examen vero ordinandorum regulariter fit coram Episcopo proprio, de quo idem testimonium fert in dimissoriis, et regulariter ordinans non potest iterum ordinandos examini subjicere ne absurdum sequatur, quod ordinandi a diversis Episcopis probentur, et reprobentur. Nihilominus liberum est Episcopo diœcesano examen ipsum Episcopo ordinanti committere, et hic non tenetur absolute attestationi diœcesani Episcopi quoad idoneitatem deferre. Giraldus ad cap. 3, sess. 23. Trid. de ref. Ordines conferendi sunt diebus a jure statutis, ut alibi notavimus, sup. num. 96; et servatis interstitiis. Sed Pius VI in magna Galliæ subversione anno 1790 Episcopis illius nationis concessit, ut possent clericos ad quatuor minores ordines promovere una die, et ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus ordines tribus Dominicis, seu aliis festis diebus non continuis. Brev. *Quo luctu* 4 maii 1790, quod refertur a Theiner Docum. ined. tom. 1, pag. 97. — (3) Cap. 10, de pœnit. et remis. — (4) 1 ad Corinth. c. 14; et 1 ad Tit. c. 2.

339. Matrimonium denique indicat legitimam viri et mulieris societatem ad filios procreandos institutam, et a Christo sacramenti virtute confirmatam. Hanc societatem dicimus *matrimonium*, quasi *matris-munium*, vel *munus*, quia prima et præcipua filiorum cura matris est (1). Tria consideranda sunt in matrimonio, nempe: contractus (2), sacramentum, et vinculum inde productum. Matrimonium uti contractus *est conjunctio legitima viri et mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens*. Matrimonium est conjunctio legitima, hoc est a legibus probata. Conjunctiones viri et mulieris tres a Doctoribus designantur: 1ª est *Monogamia*, scilicet matrimonium unius cum una; 2ª est *Polygamia*, qua proprie, et specialiter intelligitur matrimonium unius viri cum pluribus fœminis;

3ª est *Polyandria*, scilicet coucubinatus unius mulieris cum pluribus viris.

(1) Dicimus etiam *Conjugium*, quia sub uno fœdere, veluti sub uno jugo vir et mulier conjunguntur. Dicimus *Connubium*, vel *nuptias*, quia velamine quodam quasi nube obtegebatur olim virgo nuptura. Hodie tamen nuptiarum nomine intelligitur illa exterior solemnitas, quæ matrimonium comitatur, quæque tempore Adventus, et Quadragesimæ est a jure interdicta, licet hoc tempore ex licentia Episcopi possit contrahi matrimonium. Dicimus demum *Sponsalia de præsenti*, quia præsens spondetur matrimonium, et differunt a sponsalibus de futuro, in quibus futurum tantum matrimonium spondetur, ut infra videbimus — (2) Contractus hic sufficit, ut sit naturalis, nec civilis requiritur : nam Christus evexit ad dignitatem sacramenti illum matrimonii contractum, qui primum in paradiso terrestri initus fuit; at ille contractus simpliciter fuit naturalis, quia nullæ leges civiles exstabant. Insuper Christus gratiam matrimonio tribuit, *quæ naturalem illum amorem perficeret*. Trid. in Sess. 24, in doct. de sac. mat. Ergo matrimonium in contractu naturali fundatur. Si vero a quibusdam Doctoribus hic contractus appellatur civilis, id fit ad indicandos alios effectus extrinsecos, qui a matrimonio manant, ut sunt jura dotis, successionum, aliorumque bonorum temporalium, ad quorum determinationem certe requiritur contractus civilis, sive a civilibus legibus probatus. Cæterum hic contractus a cæteris aliis contractibus differt in hoc potissimum, quod institutus sit ab ipso Deo, et quod Deus ipse ejus statuerit conditiones : *unitatis*, ut duo sint in carne una ; *indissolubilitatis*, ut quod Deus conjunxit, homo non separet; et *sanctitatis*, ut sanctificaret conjuges ad repræsentandam unionem Christi eum Ecclesia, juxta illud D. Pauli : *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.* Ad Ephes. 5.

340. Monogamiam instituit ipse Deus-creator ; Adamo equidem unam dedit conjugem Evam, quamquam in mundi primordiis plures possent videri viro copulandæ uxores, ut citius genus humanum propagaretur. Hoc est *connubium honorabile in omnibus, et thorus immaculatus* (1). Habentur sane in eo cuncta matrimonii bona : casta vegesque sobolis procreatio, accurata ejusdem educatio, sincera conjugum dilectio, constans sobolis amor, pacifica cohabitatio, unitas familiæ, mutuumque omnium auxilium.

Nihilominus polygamiam simultaneam in sanctis Patriarchis Abraham et Jacob toleravit Deus, quibus ex divina dispensa-

tione sibi revelata licitum fuit plures simul habere uxores (2). Attamen licet præfati ab adulterio per propagandæ posteritates providentiam fuerint excusati, non propterea eorum familiæ gravissima polygamiæ incommoda potuerunt effugere, ut pluribus in locis S. Scriptura testatur.

Sed Christus in nova Lege, quacumque dispensatione sublata, ad integram perfectionem matrimonium revocavit : primum etenim sacrarum Scripturarum oraculum : *Relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (3), Christus renovando de verbo ad verbum repetivit in Evangelio S. Matthæi (4) ; et non dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori ; neque dixit, erunt tres, vel plures, sed duo in carne una (5). At rem absolvit Tridentinum, in quo hæc leguntur : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit* (6).

(1) D. Paulus ad Hebræ. c. 13. — (2) Unde Innocentius III ait : *Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum ; quæ, mos quandoque interdum et fas censetur : per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* Cap. 8 de divort. — (3) Genes. c. 2. — (4) Cap. 19. — (5) Ita explicat Innocentius III in cit. cap. 8, de divort. — (6) Sess. 24, c. 2. Hujus naturalis præcepti æquitatem agnovit ipse Imperator Justinianus, et legis sanctione firmavit, dum ita decrevit : « Eadem duobus nupta esse non potest, et duas « uxores habere eodem tempore non licet » § 6, Inst. de nupt.

341. Polygamiam successivam licitam esse aperte declarat D. Paulus his verbis : *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino* (1). Permissæ hinc sunt secundæ, et ulteriores nuptiæ ; sed secundo nubentes viri fiunt irregulares, et secundo nubentes mulieres nequeunt nuptialem benedictionem amplius recipere (2). Horum ratio est, quia in secundo nubentibus deficit significatio unionis Christi cum Ecclesia sua, quæ typum virginitatis utrinque refert, quæque Christianorum matrimoniis inest, et quia nuptialis benedictio communis utrique sponso non est iteranda, ut non iteratur be-

nedictio Ecclesiæ, vel altaris. Immo secundæ nuptiæ sunt permissæ absolute loquendo statim post mortem conjugis, neque annus exspectandus est luctus, ut ex justa causa sub infamiæ pœna præscribebant leges Romanorum (3) : non hæ leges a jure canonico fuerunt abrogatæ (4).

Polyandriam denique, sive polygamiam plurium virorum cum una muliere omnia jura damnant, et ipsa natura execratur. Ideo numquam fuit permissa, nec poterit umquam permitti, nisi Deus inconvenientia impediat, quæ ex his conjunctionibus in sobolis procretionis perniciem proveniunt, ut post Mastrium docet La-Croix (5). De aliis damnatis conjunctionibus egimus supra (6), quæ tamen huc non spectant, quia maritales non sunt.

(1) I ad Corinth. 7 et can. 11 et seqq. c. 31, q. 1. — (2) Synod. Prov. Genuen. de sac. matr. — (3) L. 1, cod. de secund. nupt. et nov. 22, c. 22. — (4) Cap. 4, de secund. nupt. Hæc ita sunt accipienda quoad forum ecclesiasticum, et quoad matrimonii validitatem : nam secundum leges civiles, si vidua ante decem menses a morte viri ad secunda vota transierit, in temporalibus bonis puniri potest, quia incerta fit proles, an ad primum, vel ad secundum maritum pertineat. — (5) Theol. moral. l. 6. p. 3, n. 41. — (6) Supra num. 276.

342. Matrimonium deinde ut sacramentum ita potest definiri, videlicet, matrimonium *est sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo viro te mulieri fidelibus, sibi mutuo legitime per verba de præsenti desponsatis ad perpetuam habendam vitæ consuetudinem, et ad alia matrimonialia officia adimplenda, divina gratia confertur.* Quod autem matrimonium vere et proprie sit novæ Legis sacramentum, tamquam fidei dogma proponit concilium Tridentinum (1), et D. Paulus commemorat non tantum ut sacramentum, sed ut magnum sacramentum ita scribens : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (2), quia spiritualem Christi conjunctionem cum Ecclesia significat, cujus varias similitudines ibidem adducit Apostolus. At Christus quando matrimonii contractum ad gratiam, et dignitatem sacramenti evexit, hoc pro fidelibus, vel baptizatis tantum effecit ; cum non baptizati nul-

lius sint sacramenti capaces; et similiter effecit, ut in valido fidelium matrimonio ratio contractus a ratione sacramenti separari non possit (3), quod ita esse definierunt summi Pontifices (4).

(1) Sess. 54, c. 1. — (2) Ad Ephes. c. 5. — (3) Zallinger de spons. n. 17, et seqq. — (4) Ita sane definivit Benedictus XIV in sua bulla, quæ incipit *Redditæ sunt nobis*, quæ refertur in suo opere de Synod. l. 6, c. 7, n. 5. Hanc definitionem confirmavit Pius IX in sua bulla *Apostolicæ* 22 Aug. 1851 et in suo Syllabo 8 decemb. 1854, n. 66, ubi damnata fuit sequens propositio : *Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.* Syllabus, prop. 65; et similiter damnata fuit alia sequens propositio : *Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.* Ib. prop. 66. Ac demum eodem jure damnata fuit sequens propositio : *Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.* Ib. prop. 73.

343. Circa hujus sacramenti ministrum, an nimirum minister sit sacerdos matrimonio assistens, an sint ipsi contrahentes ministri, magna est inter Theologos contentio, quam breviter, et sapienter describit Benedictus XIV (1). Sed nos nequimus a communi sententia recedere, in qua statuitur, ipsos contrahentes esse hujus sacramenti ministros. Nam illi sunt hujus sacramenti ministri, qui sunt ministri contractus, cum Christi ipsum contractum ad sacramenti dignitatem evexerit : atqui ipsi contrahentes sunt ministri contractus ; ergo sunt etiam ministri sacramenti. Illud quoque accedit, quod ante Tridentinum, et etiam nunc iis in locis, in quibus hoc concilium non fuit publicatum, matrimonium clandestinum absque sacerdote a solis contrahentibus celebratum est verum matrimonium; ergo et sacramentum, quia ratio contractus a ratione sacramenti inter fideles non distinguitur (2). Circa subjectum denique observamus, omnem hominem baptizatum posse hoc sacramentum suscipere, modo sit capax consentiendi in nuptias, nulloque dirimente impedimento laboret, ut infra videbimus.

(1) De Synod. l. 8, c. 13. — (2) Pirhing ad tit. de spons. n. 76. Hoc ipsum certius adhuc fit ex declaratione S. Congregationis concilii in una *Tricarensi* 27 mart. 1632, quæ censuit valere matrimonium absque præsentia Parochi, servata in reliquo forma Tridentini, saltem adhibitis duobus testibus, in casu, in quo nullus erat Parochus, nec episcopus, nec capitulum cathedrale. Hic agitur de matrimonio ad formam Tridentini, quod consequenter est sacramentum ; et nihilominus valere declaratum fuit, Ideoque contrahentes sunt hujus sacramenti ministri. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 164.

344. Matrimonium pluribus modis dividitur. Primo in *legitimum, ratum,* et *consummatum.* Illud legitimum, quod secundum leges Gentium ab infidelibus fuit contractum ; illud ratum, quod secundum leges Ecclesiæ a Christi fidelibus initum sola animorum conjunctione constat ; illud demum consummatum, quod fuit spiritali, et corporali unione perfectum. Secundo in *verum,* et *putativum.* Verum illud est, quod inter personas matrimonii capaces legitime fuit contractum ; putativum autem est illud, quod a personis matrimonii incapacibus ob aliquod impedimentum latens publice, et bona saltem unius conjugis fide fuit contractum.

Matrimonii putativi tanta est vis, ut prolem in eo susceptam faciat legitimam (1). Sed an tanta quoque sit ejus vis, ut prolem ante matrimonium ex putativis conjugibus susceptam valeat per subsequens legitimare, inter Doctores controvertitur, et probabilior negativa sententia videtur ; quia filii in putativo matrimonio suscepti criminis macula carent, qua afficiuntur ante matrimonium nati (2).

Præterea aliæ tres sunt singulares matrimoniorum species, nempe : matrimonium *præsumptum*, matrimonium *conscientiæ,* et matrimonium ad *morganaticam.* Matrimonium præsumptum olim erat illud, cum quis, post contracta cum aliqua sponsalia conditionata, vel pura, eamdem cognoverat : nam per hoc factum præsumptione juris, et de jure, contra quam non admittitur probatio, censebantur sponsi conditioni renunciasse, et in præsens matrimonium realiter consensum dedisse (3). Sed hoc matrimonium post decretum Tridentini, in quo ad validitatem matrimonii parochi, testiumque præsentia requiritur (4), non potest amplius subsistere, nisi de locis agatur, in quibus dictum decretum non fuit publicatum.

(1) Cap. 2. Qui fil. sint, legit. et hoc confirmatur a Jure civili. — (2) Reiffenstuel ad tit. Qui fil. sint legit. n. 36. — (3) Cap. 6, de cond. appos. et cap. 15 et 30, de spons. — (4) Sess. 24, c. 1, de ref. matr.

243. Matrimonium conscientiæ est illud, quod coram Ecclesia, et ad formam Tridentini contrahitur ea lege, ut occultum maneat (1). Necessaria in eo est gravis, urgens, et urgentissima causa non a parocho, sed ab Ordinario probanda (2), diligens inquisitio super qualitate, gradu, et conditione sponsorum (3), clara et indubia probatio status liberi, dispensatio a publicis denunciationibus, specialis Ordinarii commissio data parocho, vel alteri sacerdoti assistendi matrimonio privatim (4), observatio silentii quoad omnes assistentes, et cooperantes ad ipsum (5), et demum inscriptio celebrati matrimonii in libro peculiari in ipsa curia perpetuo asservando.

Quæ Tridentinum ad matrimonii validitatem requirit, in hoc etiam matrimonio habentur : nam adest parochus, vel delegatus ab Ordinario, adsunt duo saltem testes (6), adhibetur formula præscripta, et vere coram Ecclesia celebratur, licet fiat secreto in ecclesia ipsa, vel alibi, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Propterea hoc matrimonium non describitur in solito parochorum libro, in quo alia matrimonia describuntur; nam per hoc illico fieret publicum; sed in alio peculiari libro, quem Ordinarius in sua curia servat semper clausum, sigillis obsignatum, et caute custoditum (7). Neque hic liber potest aperiri absque Ordinarii licentia, et justa causa, ut puta, si aliud in eo simile sit describendum matrimonium, vel ex eo aliquid sit depromendum documentum, quod nulla alia ratione queat suppleri (8). Ubi ex his conjugibus proles nascatur, ea baptismate regeneranda est in sua parochia, facta, vel non facta mentione parentum (9). Sed pater, vel, eo defuncto, mater debet statim Ordinario denunciare prolem a se natam, et baptizatam exhibendo documenta comprobantia prolem tali loco et tempore natam, et baptizatam, esse vere legitimam, et ex vero matrimonio secreto procreatam (10). Hæc vero nativitatis, et baptismi documenta in alio apposito libro fideliter transcribenda sunt, qui, ut alter supe-

rius citatus, clausus, et sigillis obsignatus in curia asservandus, et custodiendus est (11).

(1) Ecclesia quidem semper exoptavit, et præscripsit, matrimonia publice celebrari ; sed occulte celebrata matrimonia quandoque admisit. ut eruitur ex cap. 1 et 2, de cland. desp. quo jure etiam nunc admittuntur matrimonia conscientiæ. Sed notandum quod ad rem scribit Benedictus XIV, in bul. *Satis vobis*, ubi asserit, ut plurimum abhorrere *a Sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc matrimonia conscientiæ.* — (2) Causa probata a Benedicto XIV, in cit. bul. *Satis vobis*, in qua hujus matrimonii regulæ traduntur, ea est, cum vir et fœmina in figura matrimonii publice degunt, et publice putantur conjuges, cum veri concubinarii sint. Nimis enim durum esset illis turpitudinem præteritam delegere, et publice matrimonium contrahere. At Pontifex Ordinariorum facultatem hæc permittendi matrimonia ad hunc casum non restringit, *cum* ut ait ipse, *alii similes, et fortasse urgentiores esse possint.* — (3) Præterea inquirendum est, an sponsi sint sui, vel alieni juris, an filii familias, quorum nuptiis pater juste resistat.. In hoc casu Ordinarius matrimonium admittendo filiorum inobedientiam probaret. Cit. bul. § 7. Inquirendum similiter, an petens matrimonium conscientiæ, beneficium, vel pensionem, vel legatum possideat, quod habeat pro conditione statum cælibatus, vel viduitatis : hinc arcetur clericus in minoribus, nisi beneficium, vel pensionem ecclesiasticam dimiserit. Cit. bul. ibid.; et eodem jure arcenda videtur vidua, quæ a suo primo marito legatum habet sub conditione viduitatis, nisi legatum liberum hæredibus relinquat. — (4) Regulariter ad hoc deputandus est alter ex parochis sponsorum, qui notitia personarum, et experientia cæteris aptior videatur ; sed ubi alia simplicis sacerdotis deputatio a circumstantiis requiratur, hæc fieri non potest a Parocho, sed tantum ab Ordinario de persona probitate, et doctrina commendabili. Quilibet vero deputatus debet sponsos monere, ut sacro fonti eorum prolem offerant, ut eam tamquam legitimam agnoscant, eumque pietate, bonisque moribus imbuant, et ad familiæ bona habenda admittant. Cit. bul. § 8 et 9, et ut denique susceptam prolem baptismate regeneratam Ordinario denuncient, cum nota loci et temporis administrati baptismatis, et sincera indicatione parentum. Ib. § 13. — (5) Hoc silentium impositum sub arcta lege, ut sapienter demonstrat Franciscus Mazzeus in suo libro *de matrimonio conscientiæ*, de sui natura debet esse perpetuum, hoc est durat usque ad mortem conjugum, in quorum favorem impositum fuit, qui propterea possunt quocumque tempore voluerint eorum matrimonium evulgare, quod conce litur etiam uni tantum conjugum, altero repugnante. Unde post utriusque conjugis mortem Ordinarius ex officio debet secretum matrimonium publicum facere, ut constet filios esse legitimos, et legitimorum juribus frui. —

(6) Testes assumendi sunt ex viris probis, et confidentibus. cit. bul. § 6. — (7) Matrimonio autem celebrato a parocho, vel alio sacerdote delegato, indilate documentum celebrati secreti matrimonii rite scriptum, et subscriptum ad curiam transmittendum est, cum nota, ut jam diximus, temporis, loci, et testium, qui celebrationi interfuerunt. Fides, et attestationes hujusmodi transcribendæ sunt in dicto libro secretorum matrimoniorum, prout jacent de verbo ad verbum a personna proba et integra ad id deputata. Interim vero fides, et attestationes ipsæ in secretiori loco sartæ, tectæque servandæ sunt. Ib. § 10. — (8) Justa etiam causa hunc aperiendi librum est necessitas justitiæ administrandæ. At, re confecta, statim liber, ut prius, obsignandus est. Ibid. — (9) Si enim matrimonium secretum celebratum fuit in schemate concubinariorum, qui publice putabantur conjuges, fieri debet mentio parentum, quia hæc mentio prodest, et non nocet. Si vero alia de causa matrimonium fuit permissum, hæc mentio omittenda est, ne matrimonium occultum, invitis conjugibus, publicetur. — (10) Denunciatio hæc fieri debet per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam. Cit. bul § 11. — (11) Hæc transcriptio in libro alio fieri debet ab eo, cui facta fuit potestas adnotandi matrimonium in libro secretorum matrimoniorum, et in eo nomina utriusque parentis sunt referenda, et eo modo hoc negotium est gerendum, ut ex omnibus certo et clare constet, prolem esse legitimam. Ad hoc autem expedire videtur, ut documenta baptismatis, et denunciationis serventur integra in secretiori Curiæ loco obsignata, et sigillis clausa, ut alii citati libri. Cit. bul. § 11.

346. Hoc secretum matrimonium ob arcani silentii legem, qua obstringitur, publicari nequit, nisi ex justa causa, quæ id præcipiat, vel suadeat. Justa causa est: 1ª Si conjuges prolem susceptam, vel etiam baptizatam, suppressis parentum nominibus, intra triginta a nativitate dies Ordinario denunciare neglexerint. Hoc enim in casu, ut eorum inobedientia puniatur, et ut damna illegitimitatis avertantur a prole, Ordinarius potest occultum matrimonium publicare (1). 2ª Si alteruter ex his conjugibus, altero vivente, præsumat, et moliatur aliud inire matrimonium : nam hic abuteretur Ecclesiæ beneficio sibi concesso ad ipsas divinas leges violandas (2). 3ª Si scandalum oriatur in populo a conjugibus occultis procreatum, qui se publice tractare audent maritali affectu, uti conjuges, cum a populo haberi nequeant, nisi tamquam concubinarii. In hoc enim casu, si ipsi nolint scandalo obviare, ad quod lege natu-

rali, et divina tenentur, et matrimonium publicare renuant, poterit Ordinarius matrimonium notum facere, quia ipse tenetur a fidelibus scandalum avertere (3). 4° Si filiis ex hoc matrimonio genitis obveniat hæreditas, vel pingue legatum, quod legitimitatis conditionem requirat: nam tunc, reluctantibus genitoribus matrimonium publicare, id exequi poterit Ordinarius, ut damnum a prole removeat (4).

(1) Cit. bul. § 12. — (2) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 170. — (3) Giraldus an cap. 2, de cland. desp. qui notat, Benedictum XIV, primam expressam causam formaliter probare, sed tacite probare etiam alias. Quod si publicatio matrimonii fieri non posset absque gravissimo conjugum damno, ipsi forent monendi, ut cautissime procederent ad omnem tollendam scandali occasionem, vel consulendi, ut ad alias remotas regiones se conferrent; alias scandalum matrimonii publicatione reparandum. — (4) Cit. Soglia, qui hoc extendit ad alios casus, in quibus proles suscepta alterius cujuscumque juris, aut utilitatis jacturam notabilem sustinere deberet, nisi matrimonium occultum publicetur. An autem hoc extendatur quoque ad extraneas personas, qui ex occulto matrimonio præjudicium sentiunt, inter Doctores controvertitur. Vide Soglia, et Doctores, quos ibidem refert.

347. Matrimonium ad morganaticam in Germania usu receptum est illud, quod a viro nobili post mortem primæ uxoris pariter nobilis, cum uxore inferioris conditionis ea lege contrahitur, ut nova uxor, novique liberi dignitatis, et bonorum patris consortes non sint; sed ut uxor, et liberi tantum partem habeant sibi inter sponsalia assignatam, quæ germanico vocabulo *Morgengap* et latino *Morganatica* appellatur (1). Ratio sic matrimonii contrahendi est, ut viduus habeat suæ incontinentiæ remedium, et ut secundum matrimonium præjudicium non afferat liberis primi matrimonii, vel, iis non extantibus, aliis agnatis, qui ad successionem vocantur, ne familiæ nobiles a proprio splendore decidant. Talis consuetudo probatur in libris Feudorum (2), et passim a Juristis, et Theologis Germanicis, utpote quæ nihil continet contra substantiam, et contra modum legitimi et rati matrimonii (3). Nihilominus si leges, et consuetudines Germaniæ ad bonum publicum potuerunt rationem naturalem limitare, ne filii succederent patri, nun-

quam potuerunt jus naturale ita submovere, ut filii non succedant in jure petendi, et habendi a patre, vel ab ejus hæreditate alimenta necessaria ad vitam sustinendam, si portio inter sponsalia assignatas alimenta ad vitam necessaria non æquaret (4).

(1) Hic mos simulacrum quoddam refert legum Romanarum, quarum tenore uxor ducta per modum *conferrealionis* particeps fiebat bonorum, nominis, et dignitatis mariti ; ducta vero per alios modos *usus*, aut *emptionis* dictorum omnium expers manebat. — (2) Lib. 2 Feud. tit. 29. — (3) Remigius Maschat Inst. jur. can. l. 4, t. 5, de cond. app. in desp. n. 24. — (4) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 169.

TITULUS V.

DE SPONSALIBUS.

Summarium : 348. Quid sint sponsalia? — 349. Quæ necessariæ sint conditiones in eorum consensu ? — 350. Qui prohibeantur a sponsalibus jure naturali ? — 351. Qui jure positivo ? — 352. Quo modo contrahantur sponsalia ? — 353. Pœnæ, non arrhæ, prohibentur in sponsalibus — 354. Qui sint sponsalium effectus ? — 355. Quot modis sponsalia solvantur ? — 356. Cum ex culpa, vel facto alterius solvantur, id tantum obtinet favore innocentis. — 357. An ad ea ex causa dissolvenda opus sit auctoritate judicis ?

348. Matrimonium per sponsalia de futuro, de quibus hic agimus, inchoatur. Sponsalia *a spondendo* sibi uxores futuras dicta sunt ; et possunt definiri, *pactum, sive promissio mutua inter sponsum, et sponsam inita de futuro inter se matrimonio contrahendo.* Ex hac definitione liquet, uti matrimonium, sic sponsalia de futuro quemdam contractum continere, ad cujus validitatem omnino requiritur partium consensus, et contrahendi capacitas (1).

(1) Hæc sponsalia matrimonio præmittere optimum esse per se compertum est : nam sponsalia præparatio sunt ad matrimonium, ut necessaria deliberatione celebrari queat. Si enim in aliis recipiendis

sacramentis præparatio requiritur, quanto magis in Sacramento matrimonii, quod summam vitæ humanæ in spiritualibus, et temporalibus tenet. Unde nemo mirari debet, si matrimonia absque præviis sponsalibus celebrata, quæ tamen valida sunt, sæpe male vertant : quia *difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Can. 25, c. 1, q. 1. Parochi tamen cavere debent, si in eorum præsentia contrahantur sponsalia, ut in quibusdam diœcesibus contingit, ne subdoli, vel ignorantes sponsi verum ineant matrimonium, dum de puris sponsalibus agitur, quod certe malum vitabitur, si desint testes.

349. Consensus ad sponsalia debet esse *mutuus*, sive talis, ut importet ex una parte promissionem, et ex alia repromissionem, quod Doctores eruunt ex forma veri contrahendi matrimonii, in qua dicta promissio, et repromissio est (1). Quare promissio a sponso facta, et a sponsa simpliciter absque repromissione acceptata, non inducit per se pactum sponsalitium, sed pactum alterius generis, quod tamen promittens debet observare, quia si semper, maxime in causa matrimonii, promissio boni viri est obligatio. Hoc pactum acceptans servat sibi jus deliberandi, an velit repromittere. Unde usque ad repromissionem sponsalia non sunt; neque ex iisdem publicæ honestatis impedimentum oritur : post repromissionem vero, stante adhuc promittentis consensu, valida sponsalia fiunt. Dicimus tamen, promissionem simpliciter acceptatam per se pactum sponsalitium non inducere; nam aliud foret sentiendum, si acceptatio tacite repromissionem contineret, ut si adesset manuum porrectio, aut receptio annuli, aut aliud externum signum, quod repromissionem innueret. Hoc enim casu repromissio foret tacita, ac proinde validum sponsalitium pactum (2).

Debet esse *verus*, sive talis, ut voluntatis assensum importet : unde coram Deo, et in foro interno ille sponsalia non contraxit, qui externe sponsalium verba protulit ficte, aut ex dolo, aut ex joco, dum defuit interna se obligandi voluntas (3). Hic nihilominus in foro externo eousque habendus a sponsalibus ligatus, donec suam fictionem, dolum, aut jocum sufficienter probet : nam ei non creditur, qui suam allegat turpitudinem ; alias quis posset facillime, et impune sacram sponsalium

fidem violare; et aliunde *nemo existimandus est dixisse, quod non mente cogitaverit*, ut fert juris adagium.

Debet esse *expressus* verbis, aut signis externis, cum secus dari nequeat promissionis, et repromissionis intelligentia. Si exprimatur verbis univocis, ex. gr. *promitto tibi matrimonium; et ego tibi,* procul dubio sponsalia sunt perfecta. Si vero exprimatur verbis ambiguis, ex. gr. *non ducam uxorem nisi te; et ego non nubam nisi tibi,* sponsalia non videntur absoluta, sed tantum conditionata (4), nimirum : si ducam uxorem, ducam te; et si nupsero, nubam tibi, nisi ex prævio sponsalium tractatu, vel ex circumstantiis aliud deducatur (5). Sed et signis, hoc est per epistolam et nutus sponsalium consensus sufficienter exprimitur : quo modo sponsalia contrahit surdus et mutus. Immo ex speciali juris dispositione sola taciturnitas in filiis signum est sufficiens ad sponsalia de futuro ineunda, si eorum parentes pro eis præsentibus, et non contradicentibus palam sponsalia stipulentur, quia filii per os parentum censentur loqui (6).

Debet denique esse *determinatus* ad unam certam personam : nam sicut matrimonium, sic sponsalia consistere non possunt, nisi inter duos. Ideoque si quis spondeat, se ducturum in uxorem unam ex tribus sororibus, et hæ acceptent, ac repromittant, sponsalia non sunt, quia in nullam fertur determinatus consensus. Verum qui sic promisit ex communiori sententia tenetur promissionem observare, et unam ex tribus sororibus, quam maluerit eligere, ut eam in uxorem ducat, ex qua electione, acceptante, et repromittente electa, valida suboriuntur sponsalia, quæ impedimentum publicæ honestatis cum aliis sororibus statim inducunt (7).

(1) L. 2. ff. de spons. ubi sponsalia definiuntur : *mentio, et repromissio nuptiarum futurarum,* quæ lex confirmatur in can. 3, c. 30, q. 5. — (2) Reiffenstuel de spons. a n. 55, et Cosci de spons. fil. fam. vot. 5, n. 7. — (3) Cap. 26 de spons. — (4) Hæc sententia recepta, et probata est a S. Congregatione Concilii in una *Ventimilien. sponsalium* 1 Jun. 1709, in qua ex sponsalium syngrapha per virum, et mulierem subscripta ita constabat : *Ego infrascriptus dico, et promitto non aliam ducturum nisi Benedictam infrascriptam, quemadmodum ipsa promittit, et jurat;* et S. Congregatio respondit : *Non constare de sponsalibus absolutis, et promittentes non esse cogendos*

contrahendum. Card. Soglia Inst. Jur. priv. § 135. — (5) Plures
ıiles ambiguas sponsalium formas afferunt auctores, et specialiter
iffenstuel de spons. § 2, per tot. quæ tamen ex communi locorum
ısuetudine interpretationem recipiunt. — (6) Cap. unic. de de-
ons. impub. in 6. — (7) Cit, Soglia § 137.

350. Capacitas omnibus est contrahendi matrimonium,
odo a jure non prohibeantur ; sed alii a jure naturali prohi-
ntur, alii a jure positivo. Jus naturale sponsalia prohibet
ıentibus, furiosis, infantibus, et iis omnibus, qui nequeunt
matrimonium consensum præbere (1). Quod autem de in-
ıtibus diximus intelligitur septennio minoribus; nam se-
ennio majores, dolique capaces valida contrahunt sponsa-
(2). Horum quidem impuberum sponsalia in suo robore
ınent usque ad eorum pubertatem, sive usque ad eam
atem, in qua primo valide possunt matrimonium contrahere.
veniente vero pubertate, unusquisque eorum potest libere
silire a sponsalibus in sua imperfecta ætate initis, modo id
ciat statim in principio pubertatis (3); aliter si tacuerit, et
ntra sponsalia non reclamaverit, stante sua ad sponsam
ectione, censetur eadem rata habuisse, et ita confirmantur,
fiunt perpetua eodem modo, ac si contracta fuissent a pu-
re. Sed, durante impubertate, revocari nequeunt, quia ea
obilitas animi, quæ tribuit jus revocationis post pubertatem,
am revocationem ante pubertatem impedit, cum æque
ssit esse perniciosum retinere, vel revocare sponsalia ante
bertatem inita. Quod si pubes cum impubere sponsalia con-
xit, ille manet absolute ligatus; hic vero dictam habet re-
endi facultatem; et pubes sibi imparilitatem imputet, qui
n timuit cum impubere sponsalia inire.

1) Cap. 23, 24 et 25, de spons. et mat. Unde surdus, et mutus
tum potest contrahere sponsalia, non vero simul mutus, et cæcus:
n quemadmodum nequit promissionem audire, aut legere, sic nec
quo modo repromittere. — (2) L. 14, ff. de spons. — (3) Ex com-
ni Doctorum sententia hoc debet fieri intra triduum ab incœpta
ertate, quia in jure statim fieri dicitur, quod fit intra triduum.
si factus pubes ignoret sibi hoc privilegium competere, triduum
nputatur tantum a die, quo id cognovit. Card. Soglia loc. cit. §
. Sponsi tamen impuberes duobus in casibus nequeunt a spon-

salibus resilire etiam adveniente pubertate. Primus est, si, malitia supplente ætatem, carnalis commixtio inter eos ante eorum pubertatem intervenerit. Cap. 8, de desp. impub. Secundus, Si sponsi pubertati proximi, et doli capaces juraverint, se sponsalia servaturos, quia *periculosum est contra suum juramentum venire.* Cap. 10, de spons. et matr. Non desunt tamen Doctores, qui innixi capiti 17 ejusd. tit. contrarium in hoc casu doceant, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur, et cum resolubilia sint sponsalia, resolubile etiam dicunt juramentum.

351. Jus positivum in proposito vel ecclesiasticum est, vel civile, sive politicum. Ex jure ecclesiastico prohibita sunt absolute sponsalia inter eos, inter quos aliquod extat perpetuum matrimonii impedimentum : nam prohibito fine, omnia censentur prohibita, per quæ pervenitur ad illum. Nil autem refert, an perpetuum impedimentum sit dirimens, vel tantum impediens, quia utroque in casu promitteretur illicitum, bonisque moribus esset promissio contraria, quæ proinde valere non posset, etiamsi foret juramento vallata (1). Hinc qui emisit simplex castitatis votum, quod quidem tantum impediens præbet impedimentum, nequit valida sponsalia contrahere (2); et qui catholicus est, nequit valida contrahere sponsalia cum hæretica, licet hæresis solum præbeat impedimentum impediens (3).

Ex jure civili sponsalia contrahere nequeunt filii-familias absque parentum consensu, et pupilli minores absque consensu consilii familiæ, quod ad eamdem fere formam fuerat prius a Romanorum legibus sancitum. Hoc quidem est maxime æquitati consonum, cum filii parentibus obedientiam, et reverentiam debeant exhibere (4). Propterea quidam Canonistæ dicunt, hæc sponsalia esse etiam de jure canonico irrita (5). Sed in praxi judiciorum et ex communiori Doctorum Sententia sponsalia filiorum-familias absque consensu parentum contracta habentur valida. Nam hi Doctores voce concordi dicunt, talia sponsalia ex justa causa ad parentum instantiam posse per judicem ecclesiasticum dissolvi (6) : ergo ab iisdem ex sua natura supponuntur summo jure valida, quia quod nullum est non dissolvitur, sed declaratur nullum. Quod de filiis-familias dicimus, a fortiori de pupillis minoribus dicen-

dum. Leges autem civiles, etiam Romanorum nunquam probavit Ecclesia, et hac forte de causa, quia ad matrimonii libertatem minuendam tendunt, et licet generaliter æquæ, in particulari injustæ esse possunt. Concludendum itaque sponsalia filiorum-familias in genere esse illicita, et culpa admitti in his contrahendis absque parentum consensu; sed in specie esse summo jure valida, et posse per judicem ecclesiasticum ex justa causa dissolvi, licet fuerint jurata, ut Benedictus XIV, docet (7).

(1) Cap. 58 de reg. jur. in 6. — (2) Reiffenstuel de spons. n. 19. — (3) Sanchez de matr. l. 1, d. 15, n. 2. — (4) Cosci de spons. v. 3, n. 61. — (5) Id. eod. loc. — (6) S. Di Ligorio l. 6, n. 849, et seqq. — (7) Inst. 56, § 15.

352. Sponsalia contrahuntur *pure,* aut *sub conditione,* modo conditio honesta, et possibilis sit. Si pure hoc fiat, statim oritur obligatio; si vero sub conditione, expectandus est conditionis eventus, ut infra videre erit, ubi de conditionibus agemus. Item contrahuntur inter præsentes verbis, vel signis; et inter absentes per epistolam, aut per procuratorem, et illo momento contrahi censentur, quo absentis, et præsentis consensus junguntur. Attamen in constituto procuratore ad sponsalia, aut matrimonium ineundum hæ requiruntur conditiones: 1° debet habere speciale mandatum ad certam personam; 2° nequit alium in sui locum delegare; 3° debet mandantis consensus perseverare : nam procurator perperam sponsalia contrahit post mandati revocationem, etiamsi hoc factum ignoret (1).

(1) Cap. 9, de procurat. in 6.

353. In sponsalibus pœna contra promissionis violatorem stipulari nequit, quia nemo invitus pœnarum metu ad matrimonium contrahendum adigendus est (1). Nihilominus arrhæ valide sponsalibus apponuntur, quæ donaria sunt a sponso sponsæ, vel e converso data in matrimonii contrahendi signum, et in remunerationis tesseram pro consensu animo libenti præstito, uti est annulus, gemma, pecunia, vel aliud

simile. In arrhis id est legibus Romanorum cautum, et ab ecclesiastica praxi observatum, quod qui arrhas dedit, eas amittat, et qui accepit, duplicatas reddere teneatur, si injuste a sponsalibus resiliat, et si sit major, qui accepit : nam minor non in duplum, sed tantum in simplum tenetur (2). Si vero quis a sponsalibus juste resiliat, ut puta, quia ingreditur religionem approbatam, aut quia sponsalia solvuntur mutuo consensu, aut quia alter ex sponsis moritur, arrhæ restituendæ sunt, prout fuerunt acceptæ (3).

(1) Cap. 29, de Spons, et l. 5, cod. eod. — (2) Cit. l. 5, cod. de Spons. — (3) L. 3, cod. eod. Cum arrhæ sint pœnæ, ut attendenti innotescit, ratio non cognoscitur, cur teneat in sponsalibus stipulatio arrharum, non vero pœnarum. Doctores efferunt, arrhas non ita ut pœnæ, matrimonii libertatem minuere; nam arrhæ, ut plurimum exiguæ sunt res, quæ statim traduntur, et pœnæ ex adverso graviores plus æquo esse possunt, quæ tantum promittuntur, cum in sic promittendo facillime sese effundant homines, quibus plus sæpe est in spe, quam in re. Alii alias proprio marte sibi cudunt utriusque principii rationes. At non desunt, qui appellent ad miserabile Juliani refugium, qui in lege 20 ff. de leg. ita scriptum reliquit : *Non omnium, quæ a majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi potest. Alioquin,* ut subjicit Neratius, *multa ex his, quæ certa sunt, subverterentur.* l. 21, ff. eod.

354. Sponsalium contractus legitime initus in foro interno, et coram Deo validus est, licet nequeat probari, et in foro externo suum habet effectum, ubi per partium confessionem, aut per testes, aut alio modo probetur, etiamsi nulla externa solemnitas fuerit adhibita. Unde Benedictus XIV sapienter monet, in celebrandis sponsalibus tutius esse, si ipsa in tabulis exarentur, ut probari queant (1). Hujus contractus effectus sunt sequentes. Primo, desponsati in conscientia obligantur ad matrimonium contrahendum, quamquam nequeant sponsalia in foro externo probare ; ideoque huic obligationi non parens, ex omnium Doctorum sententia graviter peccat, quia in re gravissima datam fidem injuste fallit.

Secundo, desponsati etiam in foro externo ad matrimonium contrahendum obligantur ; unde qui promissum servat, si vereatur alterius prævaricationem, potest coram Episcopo inita

ponsalia proponere, ne illi libertas fiat aliud contrahendi matrimonium : sed, ita facta oppositione, debet eadem sponsalia robare ; aliter post lapsum temporis determinati juxta curium consuetudinem (2), et nulla facta oppositionis renovaone, posset Episcopus, aut Vicarius Generalis pro conscientia ua factam oppositionem negligere, et petenti concedere alteius contrahendi matrimonii facultatem, cum opponens non rosequens oppositionem eam videatur deseruisse. Intra temus ex curiarum consuetudine ad retinendam oppositionem oncessum, oppositio facta non potest tolli, nisi ex instantia lterutrius ex sponsis, citatis partibus, et cognita causa, nullitis, vel dissolutionis sponsalium sententia proferatur. At si ententia sponsalia confirmet (3), nedum negatur alterius matrimonii licentia, verum refractarius ad datam matrimonii fidem berandam, et severa monitione, et minitatione censurarum est ogendus (4). Nihilominus ex hodierna curiarum praxi in pericacem censuræ actu numquam feruntur, quia experientia ompertum fuit, matrimonia coacta difficiles, et luctuosos habere exitus. Hoc idcirco casu relinquitur perfi'o violatæ promissionis injustitia aliis expianda modis ; et interim, pœna peuniaria decreta pro damni illati reparatione, etiam altera repugnante parte, post diuturnum certamen pervicax a judicii bservatione absolvitur (5).

Tertio, desponsati nova sponsalia cum altera persona contrahentes perperam faciunt, quia hæc secunda sponsalia sunt pso jure nulla, et irrita, licet sint jurejurando confirmata. Individuum siquidem matrimonium uni promissum alteri nequit bsque iniquitate promitti, quæ juramento non deletur, sed ugetur. Hoc verum est in casu, quo sponsus deceptus velit rima sponsalia observare ; nam, si ipse vellet se ab iisdem olvere, procul dubio posset, quia qui secunda sponsalia init, præsumitur nuncium dedisse primis (6).

Quarto, demum desponsati contrahunt publicæ honestatis mpedimentum, ob quod nequeunt eum alia persona ipsis conanguinitate conjuncta matrimonium inire ; quod quidem diriens impedimentum est, ut infra videbimus.

(1) Cit. Inst. 56. — (2) Ex consuetudine curiæ Genuensis datur op-

ponenti ; ne alteri desponsato fiat facultas aliud ineundi matrimonium, spatium sex mensium a proposita oppositione, quo tempore etiamsi sponsalia non probaverit, dicta facultas dari nequit, nisi causa in contradictorio cognita. — (3) Hic obiter notamus, probationem sponsalium ad eorum confirmationem esse debere rigorosam, cum agatur de libertate auferenda, ut deducitur ex S. Congregationis decisionibus, et præsertim ex una 18 maii 1850. — (4) Arg. cap. 10, de spons. — (5) Censurarum minitatio fieri debet, ut reluctans injuste suum reatum agnoscat, et in matrimonium consensum præbeat ; sed ita ut liber maneat, non ut invitus ad id adigatur. Unde compulsio hæc, ut explicat Sanchez de matr. l. 1, dis. 29, n. 7, etiam cum agitur de sponsalibus juratis, non debet esse strictissima, sive coactissima, ne consensus ad matrimonium requisitus deficiat ; sed moderata ad modum medicinæ, ut reus ab injustitia, et peccato desistat. Quod si obstinatus in suo scelere per biennium maneat, post adeo longum probationis tempus, etiamsi absolutionem non petat, absolvendus est, sicut Rota Romana pluries definivit, teste Monacello tom. 2, p. 3, t. 1, for. 29, n. 7 et 9. — (6) Sed quod dicimus circa sponsalia de futuro, ad sponsalia de præsenti, sive ad matrimonium minime extenditur : matrimonium profecto post sponsalia cum una subsistit cum alia persona celebratum, quia matrimonii vinculum vinculo sponsalium fortius est. Hæc theorica quoad utramque partem vera demonstratur a responso Alexandri III ad archiepiscopum Genuensem. Cap. 1 et 4 de spons. duor.

355. Legitime contracta sponsalia pluribus modis dissolvuntur : 1° Per mutuum sponsorum consensum dissolutioni datum, etiamsi sponsalia sint jurata (1) : cum enim consensu ineuntur, consensu quoque dissolvi possunt, quia omnis res solubilis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (2). Neque potest juramenti vinculum abesse, cum juramentum sit accessorium, quod sequitur naturam actus, cui adjicitur (3).

2° Per ingressum in approbatam Religionem unius ex sponsis solvuntur sponsalia ex parte alterius, qui manet in sæculo : nam cum ingrediens manifeste sponsalibus renunciet, manens in sæculo potest hanc renunciationem acceptare, seseque plenæ libertati restituere. Nihilominus sponsalia in suo robore manent quoad ipsum ingredientem usque ad professionis emissionem, quem altera pars potest eousque tenere sponsalibus devictum, et expectare si forte monasterium deserat. Idem dicatur de suscipiente ordines minores ; nam per ordines

sacros, et per professionem religiosam, quæ duo impedimenta dirimentia sunt, absolute solvuntur sponsalia quoad utramque partem (4).

3° Per impedimentum dirimens sponsalibus superveniens ipsa solvuntur. Cum enim hoc casu sit interdictum matrimonium, obligatio sponsalium, si adhuc extaret, respiceret ad moraliter impossibile, cujus nulla potest esse obligatio. Nihilominus cum una ex partibus sua culpa causa impedimenti fuit, ex Doctorum sententia, vel Pontificis dispensatione si possibilis sit, impedimentum amovere, vel damnum reparare in conscientia tenetur, ne contra legum statuta ex sua iniquitate commodum reportare videatur.

4° Per absentiam, et nimiam dilationem solvuntur sponsalia : per absentiam, cum sponsorum alter, alio invito, patria discedit animo non revertendi (5) ; per nimiam dilationem, cum sponsorum alter injustas mores nectit, vel dolos fabricat, ut alius se longa mora frustari agnoscat. Hæc sane unius absentia, aut nimia dilatio manifeste denotat suum a sponsalibus recessum, qui æque manifeste pandit alteri recedendi viam. Propterea absentiæ, vel nimiæ dilationis pertæsus potest coram judice pro sponsalium dissolutione instare, votique compos fiet, ubi in absente cito revertendi animus non agnoscatur, vel agnoscatur in procrastinante dolus. Leges quidem Romanorum præcipiebant, ut sponsa expectaret sponsum per biennium, si in provincia, et per triennium, si extra provinciam degeret (6) ; sed hæ leges in foro ecclesiastico non fuerunt receptæ, in quo temporis determinatio prudenti judicis arbitrio fuit semper relicta (7).

5° Per gravem mutationem animi, corporis, aut fortunarum in uno ex sponsis post sponsalia contingentem, vel antea existentem, et non cognitam, eadem quandoque solvuntur, quia contrahentes non censentur se ad matrimonium obligare, nisi sub conditione, *si res in eodem statu permanserint* (8). Gravis est animi mutatio superveniens infamia ex adulterio, furto, vel alio crimine, dura morum sævities ante sponsalia non cognita (9), et capitalis inimicitia inter ipsos præsertim sponsos excitata (10). Gravis est corporis mutatio superveniens lepra, paralysis, et deformitas sive a morbo, sive a scelere pro-

ducta (11). Est denique gravis fortunarum mutatio superve niens paupertas ex bonorum jactura, aut ex dotis naufragio procedens (12).

6° Per fornicationem post sponsalia perpetratam cum alia persona, etiamsi sponsalia essent jurata, quia in sponsalibus contrahendis subintelligitur conditio, *si in legem conjugii non peccaveris*. Si enim inter conjuges per fornicationem fit divortium quoad thorum, ut infra videre erit, quanto fortius pe eam solvi debent sponsalia (13) ? Cum vero ita res proceda in fornicatione corporali, dubitandum non est, quominus iden dicendum sit de fornicatione spirituali, uti est apostasia, hæ resis, et schisma (14).

(1) Cap. 2 de spons. — (2) Cap. 1, de reg. jur. — (3) Cap. 25, d jurejur. sponsalia hoc modo solvuntur ipso jure ; sed in quibusdan diœcesibus, ut in Frisingensi, ad majorem securitatem auctorita judicis adhibetur, qui per suum decretum declarat sponsalia soluta quando sunt publica, aut fuerunt coram parocho contracta. Reiffen stuel de spons. et matr. n. 208. — (4) Cap. 7 et 8 de conv. conjug Can. 8, dist. 27. — (5) Cap. 5, de spons. — (6) L. 2, cod. de spons — (7) Hucusque dicta procedunt, quando sponsalia pure contract fuere ; nam si contracta sint cum adjectione temporis videndum, a temporis adjectio facta sit *taxative*, ad finiendam obligationem, ve tantum *demonstrative*, ad obligationem accelerandam : nam prim casu ipso jure solvuntur sponsalia post lapsum temporis. Cap. 2 de spons. et matr.; secundo autem adhuc subsistunt, cum ibi duæ ap pareant obligationes, videlicet, contrahendi absolute, et contrahend intra tempus definitum ; quod si factum non sit, adhuc manet ali obligatio, ut tempore opportuno matrimonium ineatur, ut supra d ximus. Si vero dubium sit, an tempus appositum sit taxative, v demonstrative, ad judicem spectat dubium resolvere, et tempus con gruum constituere intra quod matrimonium sit celebrandum : et h tempus per judicem censetur taxative constitutum ad obligatione finiendam, ne diutius cum animarum periculo matrimonium in sus penso maneat. — (8) Quare regula Doctorum est, posse dissol sponsalia ob mutationem, quando talis est, ut si contrahens eam cogn visset, vel prævidisset, non fuisset contracturus, quia obligatio n extenditur ultra intentionem promittentis. Quanta autem fuerit ha intentio deducendum est ex verbis, ex circumstantiis, vel ex jura assertione illius, qui dicit, se non contraxisse, si talem mutatione agnovisset. Cum enim agitur de rebus, quæ ad animum spectant, aliter probari non possunt, standum est juramento asserentis. Ar cap. 4, de except. — (9) Si enim per sævitiem fieri potest in conj gibus divortium quoad thorum, ut infra videbimus, quanto mag

licebit per eamdem sævitiem prius non cognitam sponsalia dissolvere? Arg. cap. 25, de jurejur. — (10) Quoad inimicitias inter ipsos sponsos habemus decisionem S. Congregationis, quam refert Reiffenstuel de spons. n. 267, his verbis. « Quod si unus sponsorum ita « incipiat abhorrere ab altero, ut serio dicat, se malle quodvis pati, « quam huic conjungi, a coactione judex desistere debet. » Quoad inimicitias autem inter sponsorum parentes, et consanguineos videndus idem Reiffenstuel cit. loc. n. 268 et seqq., ubi judices monet, ut in his causis cautissime procedant : nam nihil est magis timendum, quam ut hæ discordiæ tam in primo, quam in secundo casu simulatæ prætendantur ad vim sponsalium eludendam. — (11) Innocentius III, talem decrevit esse deformitatem, si sponsa, vel sponsus oculos, vel nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret. Cap. 25, de jurejur. Idem dicendum de quolibet morbo contagioso, et incurabili. — (12) Cap. 3, de cond. appos. quod procedit nedum in casu, quo damnum jam existat, sed etiam quando prudenter timetur superventurum. Reiffenstuel cit loc. n. 264. — (13) Cit. cap. 25, de jurejur. Per fornicationem vero patratam ante sponsalia et ignoratam ita communiter distinguunt Doctores inter sponsum, et sponsam, ut liceat illi, non huic resilire a sponsalibus, quia major est deformitas in sponsa, quam in sponso, nisi hic ex fornicatione præcedenti prolem habeat, vel huic luxuriæ vitio sit deditus : nam per hoc deformitas fieret æqualis. Sed hoc judicium ad imparia inter sponsum, et sponsam aliis Doctoribus non placet. — (14) Ob hanc causam fit etiam divortium quoad thorum, ut videbimus infra.

356. Jus solvendi sponsalia ob culpam, vel factum alterutrius ex sponsis datur solum in favorem innocentis, vel non mutati, tum quia crimina suos tantum tenent auctores, tum quia mutatus non mutato nihil potest objicere. Unde si innocens, vel non mutatus, non obstante scelere, vel mutatione alterius, velit sponsalia retinere, et matrimonium contrahere, alia pars ad id omnino tenetur ; alias ipsa ex sua culpa, vel facto proficeret, quod est juri contrarium ; et aliunde gratia in favorem unius concessa in ejus dispendium detorqueretur, quod regulis juris adversatur (1).

(1) Cap. 61, de reg. jur. in 2. Jus tamen hoc favore innocentis debet esse præservatum ; nam si innocens juri suo renunciaret expresse, vel tacite, unione carnali tamquam cum futura conjuge, jus ipsum evanesceret, et sponsalia in suo robore permanerent.

357. Sed quæri ultimo loco potest, an ad dissolvenda ex di
ctis causis sponsalia sit judicis auctoritate opus? Responde
mus : Si causa sit talis, quæ certo, et absque scandalo disso
lutionem afferat, nulla est opus auctoritate judicis, quia re
per se in pristinum revertitur statum (1); si vero sponsali
sint publica, et absque scandalo resolvi nequeant, vel caus
sit dubia in jure, aut in facto, judicis auctoritas necessaria est
cum nemo esse possit judex in causa propria (2). Ad hoc au
tem judicis officium tunc maxime recurrendum, cum parente
a filiorum sponsalibus dissentiunt : nam si dissensus sit inju
stus, declaratur per judicem, sponsalibus, et matrimonio no
obesse; si vero sit justus, instantibus parentibus, possunt pe
judicem ecclesiasticum dissolvi sponsalia, licet jurejurand
confirmata (3).

(1) Hic excipiendus est casus, quando lex Synodalis, vel consue
tudo diœcesis requirit, ut sponsalia publica judicis auctoritate sol
vantur, qualis consuetudo, ut jam vidimus, dicitur esse in diœces
Frisingensi, et in diœcesi Coloniensi. — (2) Probatio pro confirma
tione sponsalium debet esse rigorosa, ut supra jam vidimus; pr
eorumdem vero dissolutione probatio non ita rigorosa requiritur
Nam si agatur de casu, in quo sponsalia nulla dicantur ob impedi
mentum aliquod matrimonii, ad ea rescindenda sufficit testimonium
unius testis jurati, qui deponat de certa scientia, et aliunde non si
persona vilis. Cap. 12, de spons. et matr. et cap. 22, de testib. S
vero agatur de alio casu, in quo adest alia justa causa dissolvend
sponsalia, depositio duorum saltem testium, vel alia plena probati
requiritur. Ratio discriminis est, quia in primo casu agitur d
vitando peccato; in secundo autem, ubi nullum est peccatum
agitur de jure quæsito tutando, quod nisi per plenam probationem
auferri non potest. — (3) Benedictus XIV Inst. 46, n. 15. Dicimu
per judicem ecclesiasticum, quia judex civilis non habet in hoc au
ctoritatem; et ideo merito sequens damnata fuit propositio : *Causa
matrimoniales, et sponsalia suapte natura ad forum civilem perti
nent.* Syllab. prop. 74.

TITULUS VI.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

SUMMARIUM : 358. Impedimenta matrimonii sunt impedientia, vel dirimentia. — 359. Quæ impedientia ex jure antiquo? — 360. Quæ ex jure novo? —361. In impedimento hæresis solus Papa dispensat. — 362. Dissensus parentum obest, sed non irritat matrimonium. — 363. Quid sit status liber, quando requiratur, et quomodo conficiatur? — 364. Ignorantia mysteriorum fidei, et status excommunicationis peccatique lethalis impedit matrimonium. — 365. A quo jure constituantur impedimenta dirimentia, et quot sint? — 366. Error circa personam irritat matrimonium, non regulariter error circa personæ qualitates. — 367. Quid sit conditio servilis, et an irritet matrimonium? —368. Quid conditio verbalis, et quotuplex? — 369. Quæ sint tenendæ conclusiones de sponsalibus, et matrimonio conditionato? — 370. Quid sit votum, et quando matrimonium impediat vel dirimat?

358. Quidquid matrimonio obest, ne licite, aut valide contrahatur, ejus impedimentum dicitur. Hinc impedimenta dividuuntur : in mere *impedientia*, quæ obstant, ne matrimonium licite contrahatur, sed contractum non possunt irritare; et in *dirimentia*, quæ nedum obstant, ne licite contrahatur, sed contractum nullum, irritumque reddunt.

359. Ad impedimenta tantum impedientia olim referebatur *catechismus*, sive ille actus, quo quis pro infante jam privatim baptizato, veluti in munere patrini sacerdoti baptizanti respondet, dum in eodem infante solemnes supplentur baptismi cœremoniæ, qui non baptismi, sed catechismi patrinus dicitur. In eadem causa erat olim solemnis pœnitentia propter publicum delictum suscepta ; et erant quædam graviora crimina, ut incestus, raptus alienæ sponsæ, interfectio proprii conjugis, susceptio propriæ sobolis in baptismali fonte, occisio presbyteri, et attentatio matrimonii cum moniali (1). At hæc impedimenta per legem, vel consuetudinem fuerunt sublata, ut passim Doctores testantur.

(1) Antiqua hæc impedimenta recensentur a Glossa in cap. 2 de pœnit. et remiss.

360. Jure hodierno inter impedimenta tantum impedientia præcipue recensetur, quæ sequenti continentur versiculo « sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum » *Sacratum tempus* est illud, quod interfluit ab adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive ; quo tempore interdicuntur solemnitates nuptiarum, vel festa nuptialia, uti nuptiarum benedictio, et celebritas traductionis sponsæ in domum viri. Non vero interdicitur matrimonium coram Parocho, et testibus absque solemnitate celebrandum (1). Hæc quidem Ecclesiæ statuta maxima sunt veneratione excipienda ; nam idem Tridentinum anathema pronunciat in eum, qui diceret, prohibitionem solemnitatis nuptiarium certis annis temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam (2).

Vetitum indicat prohibitionem sive generalem factam a jure, sive particularem factam ab homine, ne matrimonium contrahatur. Generalis hujusmodi prohibitio facta a jure ea est, qua non licet matrimonium inire, nisi trinæ ejusdem denunciationes præcesserint, vel fuerit in iisdem dispensatum. Particularis vero fit ab Episcopo, vel etiam a Parocho circa matrimonium inter determinatas personas contrahendum, ubi sit timor alicujus inter sponsos impedimenti dirimentis, quousque ea super re Episcopi judicium emittatur (3)

Sponsalium sive futurarum nuptiarum promissio impedit, quominus cum alia, quam cum desponsata matrimonium contrahatur, ut vidimus in titulo præcedenti.

Votum, sive promissio deliberata Deo facta de observanda castitate, aut de ingredienda Religione, aut suscipiendo Ordine sacro matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum ; qui enim cælibatum voto promissit absque gravi Dei injuria nequit ad contrarium matrimonii statum transire. Hoc autem dicitur de voto simplici ; nam aliud dicendum de voto solemni in professione religiosa, vel in receptione Ordinis sacri emisso, utpote quod non tantum impediens, sed et dirimens matrimonii impedimentum præbeat, de quo infra (4).

(1) Trid. Sess. 24, c. 10, de ref. « Benedictio autem nuptiarum, ait « Card. Soglia, in eo sita est, ut Parochus postquam Sponsos in ma- « trimonium legitime conjunxit, Sacrum votivum pro sponso et « sponsa faciat, aut si ratione occurrentis Dominici, aut alterius « festi diei sacrum illud votivum fieri nequeat, missam celebret de « die Dominico, seu festo, eique orationem pro sponso, et sponsa, « aliasque pro benedictione sponsi, et sponsæ preces superaddat. « Itaque nuptiarum benedictio fieri nequit toto feriato tempore ; non « vetatur tamen parochus missam currentis diei, omissis prædictis « orationibus, et precibus, celebrare, atque etiam sponsos, si id ex- « poscant, Eucharistica dape reficere. At invaluit consuetudo fere « communis, ut parochus, feriato tempore, nuptiis non assistat, nisi « primum ab Episcopo veniam impetraverit, » Inst. jur. priv. § 172. Causas autem justas, ob quas Episcopus, tuta conscientia, hanc veniam indulgere potest, enumerat Monacellus part. I, t. 8, for. 8, n. 5, et Baruffaldus ad Rit. Rom. tit. 41, n. 198, qui dicunt, Episcopum esse debere rigidum in dispensando. Cæterum hæc causæ eædem fere sunt, quæ requiruntur ad dispensandum super denunciationibus, de quibus infra. — (2) Sess. 24, c. 11. — (3) Cap. 3 de cland. despons. Sed hæc prohibitio fieri præcipue potest a summo Pontifice, quæ si ab eodem fiat eum decreto irritante, nedum illicitæ, sed et irritæ fiunt nuptiæ ; si vero fiat simpliciter, nuptiæ validæ quidem sunt, sed illicitæ. Decretum vero Episcopi, quamcumque contineat clausulam, numquam irritas reddit nuptias, sed tantum illicitas. Unde a S. Congregatione definitum fuit, valere matrimonium contractum coram parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat. — (4) Cap. 3 et 6. Qui cler. vel voc. et cap. 1, de vot. in 6.

361. Alia tamen plura his quatuor recensitis ex legis dispositione, et ex communi praxi adjungenda sunt impedimenta matrimonium impedientia, uti est hæresis, dissensus parentum, defectus status liberi, ignorantia elementorum fidei, status excommunicationis, aut lethalis peccati, et omissio denunciationum, de qua agemus infra. *Hæresis* ita præbet impedimentum, ut catholicus nequeat ducere hæreticam, vel catholica hæretico nubere ; quod fuit a sacris canonibus statutum ad evitandam catholici cum hæretico communicationem in rebus sacris, uti est matrimonium, ad avertendum periculum perversionis in catholico conjuge, damnumque impiæ educationis in nascitura sobole (1). Dispensationem ab hoc impedimento non Episcopus, sed solus summus Pontifex concedit (2), qui adhuc non solet dispensare, nisi ex gravissima urgente causa ad bonum publicum, cum cautela remotæ perversionis, cum-

que expressa conditione, *ut proles utriusque sexus in Religione catholica educetur*, pro cujus conditionis adimplemento ab hæretico juramenti emissionem exigit (3). At quoties hoc matrimonium ex dispensatione contrahitur, eidem adsistit quidem proprius Sacerdos cum testibus ad formam Concilii Tridentini, sed extra Ecclesiam, neque benedictionem nuptialem sponsis impertitur, neque profert formam : *Ego conjungo vos,* etc. (4).

(1) Can. 15 et 16, c. 28, q. 1 et cap. 14, de hæret. in 6. — (2) Ratio est, quia cum hoc impedimentum a communi Ecclesiæ jure oriatur, solus summus Pontifex potest in eo dispensare, et facere licitum, quod ex lege generali illicitum erat : ad quod certe non habet potestatem Episcopus, qui infra, non supra canones est. Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 3. — (3) Bul. *Magnæ nobis* Benedicti XIV. — (4) Idem Pontifex de Synod. l. 6, c. 5, n. 6, docet, ritus in his matrimoniis mixtis adhibendos ab Episcopo *opportune* et *prudenter* esse præscribendos, quod Galliæ episcopi in eorum Synodis perfecerunt, ut apparet ex Synodo Avenionensi, anni 1849, ex Burdigalensi anni 1850, et ex Rothomagensi ejusdem anni, ubi inter alia sapientissime constitutum fuit, ne celebretur missa pro sponso, et sponsa, et ne catholicus post initum connubium compareat coram ministro hæretico ad consensum renovandum. Denunciationes in his matrimoniis in Gallia, et alibi omitti solent, quia in iisdem dispensat Episcopus ; sed si non sint juste dispensatæ, fieri debent, reticita tamen in hæretici nomine exponendo secta, ad quam pertinet. Ita constituit synodus Baltimorensis in America anno 1846, et ita decisum ferunt a S. Congregatione Concilii, approbante Pio VI, 19 Jun. 1793 et a S. Congregatione de Propaganda Fide 3 jul. 1846. Ideo quando casus occurrit hujus matrimonii ad rem bene gerendam expedit, ut Parochus prius hæreticum interpellet : 1° An sit paratus suo juramento firmare, se liberum relicturum catholico suæ religionis exercitium, et eodem tempore se permissurum, ut inde suscipienda proles instituatur, et educetur in religione catholica. 2° An sit paratus consensum matrimonii emittere tantum coram ministro Ecclesiæ, omisso consensu ante propriæ sectæ ministrum. Si his non assentiatur, Parochus nequit dispensationem procurare ; si vero ita se facturum promittat dispensatione legitime obtenta, et accepto juramento, et promissione prædicta in Curia, vel ex Curiæ delegatione poterit jam citato modo matrimonio assistere, recipere sponsorum mutuum consensum ad solitam interrogationem, cui solet ex parte hæretici adjungi juramentum, benedicere annulum, si sponsa sit catholica, et sponsos unire hac, vel simili forma : *Ego declaro, sanctam Ecclesiam catholicam vos habere uti valide, et indissolubiliter unitos per vinculum matrimonii.* Ita synodus Rupellensis in Gallia. At si hæreticus nol-

let dispensationem recipere, vel ea obtenta, præscriptas conditiones adimplere, Parochus non posset tali matrimonio assistere, neque dimissorias dare litteras, ut definivit Gregorius XVI, in sua Bulla ad Episcopos Regni Bavariæ 27 maii 1832. Cum tamen graves ob hanc causam ortæ essent contentiones in Germania, et Prussiæ gubernium sancivisset, ut in mixtis matrimoniis contra prædictam regulam filii educarentur in religione patris, Pius VIII, in bul. *Litteris* anni 1830, postquam tale edictum reprobavit, dictæ ditionis parochis permisit, ut si his matrimoniis assistere cogerentur, coram se eadem contrahi sinerent, sed abstinerent ab omni actu, quo eadem probare viderentur. Hanc Pontificis ordinationem gubernium non acceptavit, sed contra curavit, ut a pluribus Episcopis conventio fieret usitatos servandi ritus, cui fortiter restitit invictus Clemens Augustus Droste Archiepiscopus Coloniensis, qui propterea longum carcerem, exiliumque coactus fuit pati, et ita Ecclesiæ causam egregie adjuvit ; concessio enim Gregorii XVI, et Pii VIII, ut declarat iidem Gregorius, illos attigit limites, quos prætergredi nefas est.

362. *Dissensus parentum* sicut obest filiis-familias ad ineunda sponsalia de futuro, quemadmodum jam vidimus, ita ad matrimonium contrahendum. Nam licet tum illa, tum istud sine parentum consensu initum sit validum, ab omnibus tamen legibus summopere vituperatur. Et quidem damnatur a jure naturali ob rationem supra allatam, cui astipulatur ipse Luffendorphius, dum dicit, patrem propter spretam a liberis in hoc auctoritatem suam citra gravissimus causas posse pœnæ loco familia, et hereditate excludere immorigeros. Damnatur a Jure Romano, quod filiis-familias præcipit, ne absque jussu parentis matrimonium ineant, aliter *nec vir*, *nec uxor*, *nec nuptiæ, nec matrimonium*, *nec dos intelligitur* (1). Damnatur denique a Jure Canonico, cum dicat Tridentinum, Ecclesiam justissimis de causis semper detestatam esse, atque prohibuisse hujusmodi matrimonium antequam contraheretur, licet contractum tamquam validum habeat, eosque anathemate percellat *qui falso affirmant*, *matrimonia a filiis-familias sine parentum consensu contracta irrita esse*, *et parentes ea rata, vel irrita facere posse* (2).

(1) Inst. Just. de nupt. Damnatur similiter a speciali diversarum nationum jure civili, quod nubentibus absque parentum consensu in bonis, et hæreditate eorum jus tantum reservat habendi alimenta pure necessaria, et in aliquo casu etiam dote, et portione

legitima privari permittit. Et variarum nationum Doctores has juris dispositiones commendant, ac matrimonia, insciis, vel invitis parentibus celebrata, voce concordi condemnant. — (2) Ex his omnibus illud sequitur, quod filii-familias matrimonium ineuntes contra justum parentum dissensum graviter peccant : « Præterea, ut ait Card. « Soglia, nemo prudens nescit, quot gravia mala, scandala, jurgia « et inimicitiæ lethales etiam diuturnæ inter parentes, aut consan- « guineos ex hujusmodi male auspicatis connubiis oriri soleant cum « maxima familiarum, et reipublicæ ipsius perturbatione. Jam vero « si tales nuptiæ tot tantisque peccatis, et periculis plenæ sunt, pro- « cul dubio sponsalia, seu promissiones earumdem admodum illici- « tæ, et nefariæ habendæ sunt, cum nequeant sine peccato, et inju- « ria parentum adimpleri : *Impia est enim promissio, quæ scelere « adimpletur.* » Can. *In malis* c. 22, q. 4. Trid. sess. 24, c. 1, de ref. matr.

363. *Defectus status liberi* impedit quominus ad matrimonium contrahendum quis possit admitti. Status liber, quantum ad hoc propositum spectat, est attestatio Curiæ ecclesiasticæ, quæ fidem facit de libertate petentis ad matrimonium contrahendum. Dicimus *Curiæ ecclesiasticæ,* quia similis attestatio emissa a parocho non sufficit : nam quamdam causæ cognitionem, et summarium informativum processum requirit, quæ a simplici parocho fieri nequeunt (1). Hæc attestatio requiritur, quando aliud matrimonium prius fuit contractum, licet dicatur nullum, et de ejus nullitate lis adhuc pendeat (2), quando aliud matrimonium dicitur solutum per mortem alterutrius ex conjugibus (3), et quando is, qui est matrimonium contracturus ad aliam diœcesim pertinet, vel in alia diœcesi post adeptam pubertatem ad notabile tempus est commoratus (4). In hujus causæ cognitione testes admittuntur non citati, absente altera parte, et eorum depositiones non publicantur : sufficit, si sint jurati, et idonei. Idonei autem dicuntur magis consanguinei, et cives, qui præsumuntur melius informati, quam exteri. Parum vero idonei reputantur vagi, et milites (5). Testes sunt examinandi ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, vel a persona ad id specialiter delegata, et examen fieri debet juxta Instructionem a S. Congregatione Universalis Inquisitionis præscriptam, et a Clemente X approbatam (6).

(1) Potest tamen parochus, aut alius quicumque idoneus vir, ab

Episcopo specialiter delegari ad recipiendum examen testium, excepto tamen casu vagorum, maxime cum diœcesis late pateat, ne testes propter accessum ad curiam nimium graventur. Sed testium depositiones mittendæ sunt ad Curiam, a qua solum attestatio status liberi Episcopi vel Curiæ sigillo, et legalitate munita emittenda est. — (2) In hoc casu attestatio status liberi tunc tantum potest concedi, cum nullitas matrimonii fuerit per binas sententias conformes declarata. Unde judex in secunda sententia nullitatis solet præcipere, ut partibus attestatio status liberi concedatur. — (3) Per mortem quidem conjugis matrimonium solvitur; sed mors debet esse certa, et sufficienter probata. Unde Clemens III, definivit uxores non posse transire ad secundas nuptias, nisi postquam *certum nuncium recipiant de morte virorum*. Cap. 19, de spons. et matr. An vero sufficiat, ut hoc certum nuncium constet parocho, vel necesse sit, ut constet Ordinario, disputant Doctores. Qui stant pro parocho allegant regulam juris : *Qui certus est, certiorari ulterius non oportet*. Cap. 31, de reg. jur. in 6. Qui vero stant pro Ordinario allegant fraudes, quæ in hac re sæpe contingunt, quæque melius excluduntur per judicium Ordinarii, quam Parochi. Nos vero, licet arbitremur, posse sufficere judicium parochi, quando agitur de eadem diœcesi, aut civitate, et certissime agnoscitur sequuta mors, putamus necessarium esse judicium Episcopi, cum circa mortem, aut documentum mortis potest esse aliquod dubium, quod per curiæ processum sit certiorandum, et cum mors evenit in alia diœcesi, licet id contigerit in viciniis, et agnoscatur parochi illius loci mortis attestatio, et scriptura, ut declaravit S. Congregatio anno 1757. — (4) Cum quis in alia diœcesi ad notabile tempus moram traxit, sive quia ex ea est oriundus, sive quia in illam se transtulit, suspicari potest, matrimonium in ea contraxisse; et ideo status liber illius diœcesis requiritur, et si duas, vel plures diœceses ita incoluerit, plures status liberi sunt necessarii, excipe nisi commoratio in alia diœcesi contigerit *ab innubili*, seu ante annos pubertatis, quia cum ea in ætate non potuerit matrimonium contrahere, dicta suspicio cessat, et status liber non est necessarius. Si vero volens contrahere matrimonium verus sit vagus, qui nullibi domicilium fixit, et fides status liberi sit impossibilis, recurrendum est ad S. Congregationem Inquisitionis cum expositione facti, quæ solet Ordinario rescribere concedendo facultatem juxta casus circumstantias, eidem vago deferendi juramentum suppletorium, quo testetur, tactis SS. Evangeliis, se liberum esse ab omni matrimonii vinculo. Immo nunc talis facultas solet a S. Congregatione Ordinariis petentibus concedi ad triennium, quando probationes ad demonstrandum statum liberum sunt impossibiles. At cum aliæ probationes possibiles sunt, fieri debent juxta dispositionem Tridentini in sess. 24, c. 7, de ref. matr.; quæ si factæ sint, et dubitetur an sint concludentes, maxime in causa mortis alterius conjugis, acta S. Congregationi proponenda sunt, et ejus expectanda resolutio, quæ si respondeat : *Satis constare de mor-*

te, res absoluta est ; sed si respondeat : *Augeantur probationes*, crescit difficultas : nihilominus in defectu aliarum probationum, exposita præcedenti responsione, potest iterum supplicari. — (5) Hi testes proprie matrimoniales non sunt, et ideo non subjiciuntur rigorosis testium matrimonialium legibus : sed interrogandi sunt per judicem ad instar testium matrimonialium, et exquirendi de causa scientiæ, ut legitime, et concludenter deponant. — (6) Hæc Instructio diei 20 Aug. 1670, refertur a Giraldo ad cap. 19 de spons. et matr. et ab aliis ; est autem tenoris sequentis : 1° Testis moneatur de gravitate juramenti, etc. 2° Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione. 3° Int. an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit. 4° Int. an ad examen accesserit sponte, vel requisitus : si dixerit accessisse sponte a nemine requisitus, dimittatur, quia præsumitur mendax ; si vero dixerit accessisse requisitus, interrogetur a quo, vel a quibus ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes. 5° Int. an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine. 6° Int. an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, vel cujus qualitatis, et conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur ; si vero affirmative. 7° Int. an contrahere volentes sint cives, vel exteri : si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum statu libero de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit, contrahere volentes esse cives. 8° Int. sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti : item an testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum. Si responderit affirmative, non procedatur ad licentiam, nisi producantur authenticæ, et legales attestationes, vel testes fide digni, et verisimiliter informati de obitu conjugis defuncti. Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum 9° Int. de causa scientiæ, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum. Si vero responderit negative 10° Int. de causa scientiæ ex qua deinde judex colligere poterit, an testi sit habenda fides. Si responderit contrahere volentes

habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos 11° Int. de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in aliqua Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, et sufficientes. 12° Int. an post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota. Si respondeat negative 13° Int. an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter ; si vero negative 14° Int. de causa scientiæ, qua perpensa, judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel non. Hæc in cit. Instructione continentur ; sed tria sunt adhuc notanda : 1m Quod probationes secundum hanc instructionem non sunt absolute recipiendæ in casu necessitatis, et in matrimonio contrahendo in articulo mortis ad medendum malis. Sed, cessato periculo, vel adepta sanitate, probationes juxta formam instructionis fieri debent, antequam sponsi simul conveniant, S. Cong. S. Offic. in *Neapolitana* anno 1638. Monacellus p. 1, t. 8, for. 1, et in alia resolutione anni 1757. Giraldus cit. loc. 2m Quod in multis curiis prædicta interrogatoria in praxi restricta fuere, et quandoque, ut ferunt, de consensu S. Congregationis. Ventriglia de testib. in casus mat. annot. 3, n. 50. Sed melius erit semper instructionem accurate observare, ut polygamiæ mala securius vitentur. 3m Quod examen hujusmodi fieri debet a Vicario, vel ejus delegato; nam notarius curiæ nequit solus illud excipere, ut statuitur in ultima parte citatæ Instructionis a nobis brevitatis causa omissa, et firmat alia epistola S. Congregationis S. Officii 13 jul. 1630. Demum formam hujus status liberi exhibemus in alio nostro opere, Theor. et Prax. Vic. cap. n. 245, ad quod lectorem remittimus.

364. *Ignoratio elementorum fidei, status excommunicationis, et lethalis peccati* impedit matrimonium. Nam matrimonium inter Christi fideles est Sacramentum, et qui mysteria SS. Trinitatis, et divinæ Incarnationis ignorat, non est Sacramenti capax (1). Deinde excommunicati omnibus communibus fidelium bonis privantur, inter quæ est Sacramentorum participatio. Demum lethale peccatum aufert statum gratiæ, qui ad Sa-

cramenta vivorum recipienda est necessarius. De his videndi sunt Theologi.

(1) Benedictus XIV, de Synod, l. 8, c. 14.

365. Impedimenta dirimentia matrimonium alia sunt constituta a jure naturali, quod afficit omnes gentes, et alia sunt constituta a jure ecclesiastico, quod tantum Christianos complectitur. Jus vero civile nequit impedimenta statuere Christianorum matrimonia dirimentia (1) : nam matrimonium Christianorum est Sacramentum, quo sponsis divina confertur gratia, et inter Christianos ratio contractus a Sacramenti ratione separari non potest; atqui sola Ecclesia ad exclusionem cujuscumque legis civilis potestatem habet circa Sacramentum; ergo etiam circa contractum in relatione ad Sacramentum (2). Hæc veritas confirmatur a praxi, et consuetudine Ecclesiæ a seculo quarto hucusque observata, per quam Christianorum matrimonium habitum semper fuit ut validum, aut ut irritum prout ferebant Ecclesiæ leges. Unde Tridentinum eos anathemate damnat, qui dicerent, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, aut in iisdem constituendis errasse (3).

Hæc impedimenta dirimentia quatuordecim sunt, quæ continentur in hisce versiculis : Error, conditio, votum, cognatio, crimen, — cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, — si sis affinis, et si pater esse nequibis, — si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis, — raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ (4).

(1) Quod si jus civile hæc impedimenta statuat, qualiacumque ea sint, Ecclesia minime consulta, et approbante, perperam, ac nulliter lata habentur, et matrimonia cum his statutis impedimentis in faciem Ecclesiæ legitimo modo contracta vera, et indissolubilia matrimonia sunt, ut rescripsit S. Congregatio episcopo Brixiensi anno 1804. Richter ad sess. 24, de ref. matr. n. 119. Neque attribui potest civili auctoritate alia facultas dirigendi et regendi in substantialibus, et moralibus Christianorum matrimonia, nisi hæc auctoritas per hoc ipsum pagana fiat, et execrandos Gentilium mores adoptet ac sanctum matrimonium in exitiosum personarum contubernium convertat. Unde mentio damnata fuit sequens propositio : *Ecclesia*

non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. Syllab. prop. 68. — (2) Hanc potestatem habet Ecclesia jure suo nativo, ex eo quod a Christo instituta fuit ad sanctificandos et salvandos homines; et eam certo certius mutuata non est a potestate civili, quæ numquam matrimonii sanctificandi potestatem habuit. Ideo falsa prima fronte apparet sequens damnata propositio : *Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.* Syllab. prop. 69. — (3) Sess. 24, c. 3 et 4. Zallinger de spons. n. 29 et seqq. Isti Tridentini canones sunt vere dogmatici, et eorum definita potestas a sæculari auctoritate provenire prosus nequit, quæ fidei dogma dandi omnino impotens est. Quam ob causam jure damnata fuit sequens propositio : *Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audent, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.* Ib. prop. 70. — (4) Inter hæc impedimenta quidam adhuc numerant amentiam et furorem, quæ a nobis omittenda videntur ; nam per ea in tantum matrimonium est nullum, in quantum defuit consensus, de quo alibi tractamus.

366. Nunc de singulis. Error in matrimonio potest duplici modo contingere, nempe circa *personam,* et circa *personæ qualitates.* Error circa personam nullum omnino etiam jure naturæ reddit matrimonium, quod consensu, et libera voluntate perficitur, cum errantis nullus sit consensus, et nulla voluntas (1). Nec refert, an error cum, vel sine dolo intervenerit, an fuerit antecedens, et dans causam contractui, vel concomitans, et incidens in contractum : appellatur antecedens ille error, quo cognito, quis non fuisset matrimonium contracturus, qui proinde dicitur dare causam contractui ; appellatur concomitans ille, quo cognito, quis adhuc fuisset matrimonium contracturus, qui proinde dicitur incidere tantum in contractu (2).

Error circa personæ qualitates, ut circa fortunam, sanitatem, nobilitatem, et integritatem, etiamsi ex dolo proveniat, aut sit antecedens, per se non potest matrimonii firmitatem impedire : nam hæ qualitates non cadunt in contractus substantia; sed ejusdem accidentalia, et extrinsecæ causæ sunt. Præterea, si ob harum qualitatum errorem nullum fieret ma-

trimonium, multa forent, quæ in dedecus conjugum, proli et utriusque reipublicæ, nutarent matrimonia, cum multi si conjuges, qui in hujusmodi vanos erumpunt gemitus : *Si sc vissem, non contraxissem* (3), etc. Diximus errorem circa pe sonæ qualitates per se non posse impedire matrimonii firmit tem; nam per accidens potest quidem impedire; quod contin duobus in casibus : 1° si qualitas, in qua adest error, p modum conditionis matrimonio apponatur, ut si dicatur, *si nobilis te accipio in uxorem, alias non*; 2° Si error qualitat involvat errorem personæ; quod contigit, cum qualitas dete minat individum, ut si quis velit ducere promigenitam Reg et hæredem regni, eique offeratur secundo genita, in quam ej non fertur consensus (4).

(1) L, 8 et 9. Cod. de jur. et fact. ignor. — (2) Ex hoc erroris c pite ab initio fuit nullum matrimonium Jacob cum Lia filia Laba dum Jacob putabat se ducere sororem ejus Rachelem, pro qua s ptem serviverat annis. Gen. c. 29. — (3) Doctores ad tit. 18. Decr lib. 4, ex communi, et constanti praxi, et S. Cong. Conc. in *Frisi gensi* 7 et 28 Aug. 1745, et in *Romana* 27 maii 1820. Richer cit. l n. 83 et seq. — (4) Pirhing de spons. n. 163 et Zallinger eod. t § 40 et seqq.

367. Conditio dupliciter sumitur, scilicet, pro conditione *se vili*, et pro conditione *verbali*. Conditio servilis, sive servit apud Romanos erat, *constitutio Gentium, qua homines cont naturam dominio alieno subjiciebantur*. Qui sic erant serv sive mancipia Romanorum, jure connubiorum carebant, qu rum conjunctiones non matrimonia, sed contubernia dic bantur (1) Primitus Ecclesia horum servorum matrimonia pr bavit, quando dominorum aderat consensus; ac deinde, etia dominis invitis, admisit matrimonia servorum inter se, et l berorum cum servis, si illi cum istis matrimonium scient contraherent (2). Nam si liber ignorans alterius conditione servilem cum ea matrimonium contraxisset, Ecclesia nullu et irritum habebat matrimonium, quia error in conditio servili assimilabatur errori circa personam (3). Sed nunc m trimonia eorum servorum, qui *adscriptitii*, sive *glebæ addi* in Germania, aliisque locis inveniuntur, absque distinctio ab Ecclesia probantur, et valida habentur (4).

(1) L. 3. Cod. de incest. nupt. — (2) Hoc evidenter patet ex responso Adriani Papæ in cap. 1, de conj. serv. quod sic se habet : *Sane juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus est a sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, et si, contradicentibus dominis, contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi.* — (3) Cap. 4, et tot. tit. de conj. servor. — (4) Reiffenstuel de conj. servor. n. 5.

368. Verbalis conditio *est incertus futurus eventus conventioni appositus, a quo ipsius effectus suspenditur, aut resolvitur.* Si eventus jam in hypothesi contigerit, sed adhuc ignoretur, conditionem constituit *de præterito*, vel *de præsenti*, quæ vera conditio non est : nam vel exstitit eventus, vel non : in primo casu conventio fit pura, in secundo nulla. Si vero eventus adhuc expectetur, veram constituit conditionem *de futuro*, quæ differt a *modo*. Modus enim est onus, gravamen, vel pactum conventioni adjectum, quod effectum conventionis non suspendit, sed, stante conventione, ad ejus implementum cogit. Ubi vero dubium sit, an conventio inita sit sub modo, vel sub conditione, interpretatio a mente, et a verbis contrahentium desumenda est : nam si voluerint prius pacti implementum, quam ratam obligationem, erit conditio ; si e converso erit modus.

Conditiones dividuntur in *possibiles* et *impossibiles*, in *potestativas, casuales* et *mixtas*, prout eventus possibilis, vel impossibilis, aut ab hominis potestate, vel a casu, vel ab utroque pendet. Insuper impossibilis conditio est, vel natura, ut, *si digito cœlum tetigeris*, vel legibus, quando nempe bonis moribus, aut legibus adversatur : *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est* (1).

(1) L. 15, ff. de cond. instit.

369. Jam vero licet sit inauditum inter Christianos, ac numquam possit absque summa necessitate, et cautione permitti,

quod matrimonium sub conditione celebretur : nihilominus si id eveniat, ex veriori Doctorum sententia a conditione pendet. Absolute enim non repugnat conditio matrimonio, sive consideretur, ut contractus, sive ut Sacramentum : nam contractus pure, et sub conditione fieri possunt, et sacramenta sub conditione de præterito, vel de præsenti quandoque possunt administrari, ut supra dictum fuit de Baptismo (1) Quibus præmissis ad sequentes descendimus conclusiones.

Prima : sponsalia, et matrimonium sub conditione de præterito, vel de præsenti contractum non suspenditur quoad substantiam, quia ipso jure aut validum, aut nullum est ; sed suspenditur quoad usum, donec sufficienter constet, conditionem fuisse impletam, quia incertum est jus a contractu productum (2).

Secunda : sponsalia sub conditione de futuro honesta et possibili contracta usque ad conditionis eventum manent omnino in suspenso, ita ut nequeant alia sponsalia conditionata, vel pura iterum contrahi, quia qui sic promisit, debet conditionis eventum expectare ex regula juris, *quod semel placuit amplius displicere non potest* (3). Circa matrimonium vero sub eadem conditione celebratum disputant Doctores, an maneat in suspenso, aut fiat irritum. Quidam dicunt irritum, quia matrimonium est actus legitimus ; sed actus legitimus non admittit conditionem, neque diem (4) ; quia matrimonium requirit consensum de præsenti, et ideo in jure canonico nomine sponsalium de præsenti significatur ; et etiam quia matrimonium est sacramentum ; sed sacramenta nequeunt sub conditione de futuro administrari. Alii vero dicunt validum, et usque ad eventum conditionis suspensum, ita ut, adveniente conditione, consensus conditionatus fiat absolutus, et matrimonium etiam sine novo consensu perficiatur. Hujus sententiæ rationes eruunt ex natura contractus, qui tum pure, tum sub conditione potest iniri, et ex eo quod talem conditionem non improbent canonica instituta (5) ; immo et ex eo quod ita dicitur a S. Congregatione, approbante S. Pio V et Clemente VIII decisum (6). Hanc postremam sententiam probabiliorem censemus : nam non valet argumentum de actibus legitimis depromptum a Romanorum legibus, quæ in hoc non sunt a jure

canonico probatæ : non obstat aliud argumentum circa consensum de præsenti, qui quidem potest esse, vel purus, vel conditionatus : neque demum concludit exemplum ab aliis sacramentis deductum, dum matrimonium præter sacramentum continet contractum (7).

Tertia : sponsalia sub conditione impossibili contracta vitiantur; quia pactum rei impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. Et revera qui similiter verbis contrahit animum non habet contrahendi, cum potius ludere, quam contrahere videatur (8). Matrimonium vero sub eadem conditione celebratum non vitiatur, sed subsistit, et potius vitiatur ipsa conditio, quæ pro non adjecta habetur (9). Hæc exceptio a supradicta regula in favorem matrimonii facta in jure canonico fuit, ut in jure Romanorum similis exceptio a contraria regula generali facta fuerat in favorem ultimarum voluntatum (10), quia ut morientes in condendis supremis tabulis, ita viventes in perpetuo contrahendo conjugio errasse præsumuntur in adjectione conditionis impossibilis, cum præsumptio capi nequeat, eos in re tanti momenti ludere voluisse (11).

Quarta demum : sponsalia et matrimonium contractum sub conditione, quæ matrimonii substantiæ et bonis adversatur, est irritum, et nullum (12). Tria autem sunt matrimonii bona, nempe : bonum prolis, sacramenti, et fidei conjugalis. Unde si dicatur : *Contraho tecum si generationem prolis evites ; vel donec inveniam aliam honore, et facultatibus ditiorem ; aut si pro quæstu adulterandam te tradas : matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis caret effectu* (13). Nam prima ex his conditionibus evidenter opponitur bono prolis, secunda bono sacramenti et ejusdem indissolubilitati, et tertia bono fidei conjugalis sive matrimonii unitati (14).

(1) Hoc patet ex tot. tit. de cond. appos. in despons. — (2) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 167. — (3) Cap. 21, de reg. jur. in 6. — (4) L. 77. de reg. jur. — (5) Cap. 5, de cond. appos. in despons. — (6) Fagnanus in cit. cap. n. 4 et seqq. — (7) De conditione, *si pater consenserit*, agit S. de Ligorio l. 6, n. 892, et seqq. et de alia conditione, *si Papa dispensaverit*, agit Zallinger de spons. § 89 et seqq. Sed ex novissimo oraculo sanctissimi nostri Pii Papæ IX, hæc con-

ditio tamquam impossibilis reputanda est; ideoque sponsalia de futuro reddit nulla. — (8) Cap. 8, de pact. et § 11. Inst. de inut. stipul. — (9) Cap. 7, de cond. appos. — (10 § 10 Inst. de hæred. instit. — (11) Sed cum præsumptio semper cedere debeat veritati, si contrahens sub conditione impossibili, ex. gr. *Si Caium occideris; si furtum commiseris*, absolute intendat non alio modo dare consensum, quam precise sub expressa conditione, ex defectu consensus matrimonium non subsisteret. Card. Soglia cit. loc. § 167. — (12) Ratio est, quia qui sic contrahit, sibi contradicit, ac vult et non vult matrimonium, dum excludit aliquid, quod est illi essentiale et substantiale: exclusa etenim aliqua rei essentiali parte, ipsa res destruitur, et perit. — (13) Cap. 7 de cond. appos. in despon. — (14) Duo hic observanda sunt. 1^m Quod hæ conditiones ad effectum reddendi nullum matrimonium debent esse appositæ in ipso matrimonii actu, vel, ut dicunt, incontinenti: etenim, si postea apponantur, nihil efficiunt; et si ante appositæ fuerint, præsumuntur revocatæ, quando aliter non appareat ex ipso matrimonii actu. 2^m Quod solum dictæ conditiones expressæ in citato capite septimo, sed et aliæ similes eumdem producunt effectum, quales sunt conditiones de non transferendo in conjugem dominium corporis, et de dissolvendo quoad vinculum ipsum matrimonium propter adulterium. Conditio de non transferendo dominium opponitur manifeste matrimonii substantiæ, dicente D. Paulo, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier 1ª ad Corinth. cap. 7; et ideo matrimonium sub hac conditione contractum est nullum, ut definivit S. Concilii Congregatio in una *Ulissiponen. occident.* 18 Jul. 1724. Richter cit. loc. n. 88, et Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 22, n. 10. Notandum tamen, quod id intelligitur de conditione, per quam jus aufertur; nam si ageretur de intentione non utendi, vel salvo jure utendi, si voluntas supervenerit, matrimonium subsisteret, quia, ut ait Benedictus XIV, non repugnat substantiæ matrimonii matrimonio non uti, sed uti non posse. Conditio vero alia de solutione matrimonii propter adulterium, cum sit resolutiva matrimonii, quod de sui natura est indissolubile, ipsum matrimonium nullum, et irritum reddit. Propterea irrita sunt matrimonia Calvinistarum, quæ sub hac conditione ineuntur: *Accipio te in uxorem, donec in tua honestate, et puritate permanseris*, vel *quamdiu manseris in honestate conjugali*, quod indicat, si fidem thori servaveris, et adulterium non commiseris. Hoc tamen verum est, quando tales intentiones deductæ sunt in pactum, vel in conditionem in ipso matrimonio, et non aliter. Unde S. Congregatio ad interrogationem episcopi Bosnensis: *An sit validum matrimonium contractum inter catholicam, et schismaticum hæreticum cum intentione fœdandi, vel solvendi matrimonium*, die 2 Octobris 1860, respondit: *Si ista sunt deducta in pactum*, seu *cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter sunt valida.* Quare si quis crederet per adulterium solvi matrimonium quoad vincu-

lum, ut censent Græci schismatici, et cum eo errore contraheret, matrimonium foret validum, modo contrahens intendat inire matrimonium sicut a Christo fuit institutum, et erroneas intentiones in pactum, et conditionem non deducat. Porro in hoc casu, ut ait Benedictus XIV, voluntas contrahendi juxta Christi institutionem privatum illum errorem quodammodo absorbet. De Synod. cit. lib. et cap. n. 4 et seqq.

370. Votum est tertium impedimentum matrimonium dirimens. Nomine autem voti in genere intelligitur *promissio deliberate Deo facta de aliquo meliori bono*, uti de castitate, de cujus voto hic agimus, de paupertate, obedientia, jejunio, precibus, etc. Præcipua voti divisio est in *simplex*, quod sola simplici promissione Deo facta perficitur et *solemne*, quod perficitur solemnitate ab Ecclesia præscripta, ut per professionem religiosam, perque sacrorum Ordinum susceptionem (1).

Votum simplex castitatis matrimonium tantum impedit, non autem dirimit, ut supra vidimus (2). Votum autem solemne in vera professione religiosa emissum nedum dirimit matrimonium contrahendum; sed solvit etiam illud, quod fuit prius contractum, dummodo ratum tantum sit et non consummatum, quia per professionem religiosam spirituale initur matrimonium corporali repugnans, quorum primum est multo secundo excellentius (3).

(1) Cap. unic. de vot. in 6 ubi Bonifacius VIII declarat, *illud solum votum dici debere solemne... quod solemnizzatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* — (2) Sed exceptio fieri debet in voto simplici castitatis cum aliis duobus paupertatis et obedientiæ conjuncto, et a Religiosis societatis Jesu emisso, quod dirimit matrimonium contrahendum, licet ut vera professio religiosa, de qua infra, non valeat matrimonium ratum, et antea contractum dirimere. Bul. *Ascendente Domino* Gregorii XIII. — (3) Cit. cap. unic. de vot. in 6, et Trid. sess. 24, can. 6 et 9, ubi in contrarium asserentes excommunicatio fertur.

TITULUS VII.

DE COGNATIONE, AFFINITATE ET PUBLICA HONESTATE.

SUMMARIUM : 371. Quid sit cognatio et quotuplex? — 372. Quid adoptio et quotuplex? — 373. In quibus casibus ex adoptione oriatur impedimentum dirimens? — 374. In quibus ex cognatione spirituali? — 375. Quid sit cognatio naturalis. — 376 Quid stipes, linea, et quotuplex? — 377. Quid gradus, et quomodo gradus computentur? — 378. Quandonam ex jure naturali interdicatur matrimonium inter cognatos? — 379. Quæ sint regulæ hujus interdictionis ex jure canonico? — 380. Quid sit affinitas, et quot affinitatum genera? — 381. Inter quos ob affinitatem sit interdictum matrimonium? — 382. Quæ sint hujus interdictionis regulæ? — 383. Quid sit publica honestas? — 384. Usque ad quemnam gradum interdicat matrimonium? — 385. An subsistat interdictum, si sponsalia ex justa causa solvantur? — 386. An oriatur ex matrimonio invalido? — 387. Quid sit dicendum de casu, quo quis pure sponsalia contrahat cum una, et deinde matrimonium cum ejus sorore?

371. Hæc tria impedimenta matrimonium dirimentia ob eorum connexionem, et analogiam simul sunt tractanda. Cognatio generatim inspecta est quædam propinquitas, vel attinentia personarum, qua fit, ut cognati cognatis magis quam cæteris sint devincti. At hæc propinquitas vel oritur ob respectum naturalem, vel ob respectum ecclesiasticum, vel ob respectum civilem ; ex quo descendit cognationis divisio in *naturalem*, *spiritualem*, et *legalem*, a qua exordimur.

372. Cognatio legalis oritur ex adoptione, quæ ad liberorum solatium fuit instituta, ut quis posset habere filios, quos non genuerat, cujus exempla sunt in S. Scriptura ; nam Jacob adoptavit Ephraim, et Manassem filios Joseph (1), et filia Pharaonis adoptavit Moysem ex flumine eductum (2). Leges tamen Romanorum accuratam præscripserunt adoptionis formam, quam leges ecclesiasticæ sunt secutæ (3). Adoptio in genere, *est actus legitimus, quo in locum filii, vel nepotis assumitur is*,

qui natura talis non est ; et dividitur in *perfectam*, et *simplicem*. Adoptio perfecta, quæ communiter appellatur *Adrogatio* tunc fit, cum quis adrogat extraneum sui juris, nullius scilicet patriæ potestati subjectum, qui per ipsam adrogationem in adrogantis potestatem et familiam redigitur, in qua filiorum legitimorum et naturalium jura nanciscitur. Adoptio vero simplex tunc fit, cum quis adoptat extraneum in patria sui patris potestate constitutum, qui in adoptantis potestatem et familiam non transit (4).

(1) Gen. c. 48. — (2) Exod. c. 2. — (3) Can. 1 et 6, c. 30, q. 3 et cap. unic. de cog. legal. — (4) Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 10, n. 4.

373. Cum Ecclesia hujus impedimenti normam a civilibus Romanorum legibus desumpserit, nil in eo mutavit ; sed sicut olim Romanorum paternitas, fraternitas, et affinitas nuptias dirimebat, sic et nunc dirimit matrimonium. Si qua igitur, ait Pontifex, per adoptionem tibi soror esse ceperit, quamdiu durat adoptio, inter te, et ipsam nuptiæ existere non possunt (1). Quare per adoptionem interdicitur matrimonium : 1° Ratione paternitatis inter adoptantem, et adoptatum, ejusque descendentes in sua potestate retentos (2), in quo rationem impedimenti imperator assignat in eo, quod hæc personæ inter sese parentum instar, et liberorum sunt. 2° Ratione fraternitatis inter adoptatam, et filios legitimos et naturales adoptantis sub sua patria potestate constitutos ; et vicissim inter adoptatum, et filias adoptantis, ut supra ; sed hoc casu, sublata per emancipationem adoptione, aufertur quoque impedimentum, quia quæsita fraternitas evanuit (3). 3° Ratione affinitatis, de qua infra, inter adoptantem, et uxorem adoptati, et versa vice inter adoptatum, et uxorem adoptantis (4).

In eo pacifica est jurisprudentia ecclesiastica, quod ex adoptione perfecta, vel adrogatione oriatur in casibus assignatis impedimentum cognationis legalis matrimonium dirimens ; sed an idipsum ex adoptione simplici oriatur, controversia est inter Doctores : affirmant Gonzales, Reiffenstuel cum Glossa in cit. cap. unic. de cog. legal.; quia leges prædictæ generaliter

loquuntur de adoptione, et idcirco indistincte sunt intelligendæ tum de perfecta, tum de simplici adoptione : negat Innocentius, Pirhing, Engel; quia in adoptione simplici non acquiritur ab adoptante in adoptatum patria potestas, et adoptatus in adoptantis familiam non transit, quæ ab iisdem designantur ut constituti impedimenti causæ. Hanc controversiam neque ipse solvit Benedictus XIV, quam ad juris civilis tramites disputandam reliquit (5).

(1) Cit. cap. unic. de cog. legal. et Benedictus XIV cit. loc. — (2) § 1, Inst. de nupt. — (3) L. 55, ff. de rit. nupt. — (4) L 16, ff. eod. Ex his quisque potest facile deducere, nullum esse impedimentum inter adoptatum, et illegitimos adoptantis, quia illegitimi non sunt in potestate patris; et similiter nullum esse impedimentum inter adoptivos ejusdem adoptantis, quia nullibi reperitur in jure statutum. Gloss. in cit. cap. unic. — (5) De Synod. loc. cit. Hæc eadem controversia difficilior adhuc evadit sub quarumdam novarum legum civilium regimine, quæ adoptionis formam immutarunt. Secundum has leges adoptatus quicumque sit, sive sui, sive alicui juris, non subjicitur patriæ adoptantis potestati ; sed manet in sua naturali familia in eodem statu, in quo ante adoptionem erat : nomen tamen patris adoptantis assumit, quod familiæ suæ nomini adjungit. Ex hoc videretur concludendum, post adoptionem duas esse distinctas familias, adoptantis scilicet, et adoptati. Verum obligatio alimentorum inter eosdem, ut inter patrem et filium, ab iisdem legibus imponitur ; ex quo deducendum videretur, duas familias in unam confundi, quod ne contingat, Doctores dicunt, obligationem alimentorum non ratione paternitatis, sed ratione contractus personalis fuisse inductam. In hoc rerum statu, si supponamus cum ultima citata Doctorum sententia, ex simplici adoptione nullam oriri matrimonii impedimentum, sub harum legum regimine nulla foret amplius cognatio legalis, licet quidam vigeat adhuc in adoptione parentelæ respectus. In eodem sensu quæstionem resolvit instructio card. archiepiscopi Vindobonensis pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci Romæ a quinque sapientissimis viris subscripta die 4 maii 1855, in qua in tit. 1, § 29, ita legimus : « Adoptio juris Austriaci intra præfatos terminos ma-
« trimoniam dirimit, quoties adoptatus paternæ adoptantis potestati
« subjicitur, vel in ejusdem domum filiorum-familias ad instar co-
« habitaturus recipiatur. Quod si autem neque paternæ adoptantis
« potestati subjiciatur, neque in ejusdem domum cohabitaturus re-
« cipiatur, adoptio juris Austriaci imperfectæ æquiparanda est, et
« nullum matrimonii impedimentum involvit. » Anal. Jur. Pont. ser. 2, pag. 2518.

374. Cognatio spiritualis a spirituali adoptione producitur,

per quam quis filium de sacro regenerationis fonte, vel de Confirmationis Sacramento suscipiens, ei in patrem spiritualem se offert. Cognatio hæc pariter præbet impedimentum matrimonium dirimens : nam ut ait Nicolaus Papa : *Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit* (1). Olim hoc impedimentum late patebat ; sed a Concilio Tridentino (2) ad duos sequentes casus contractum fuit, nempe prohibitum est matrimonium sub nullitatis pœna : 1° inter patrinos, baptizatum aut confirmatum, et baptizati aut confirmati patrem, ac matrem ; 2° inter baptizantem aut confirmantem, ipsum baptizatum aut confirmatum, et baptizati aut confirmati patrem et matrem. Quare nec patrini inter se aliquod contrahunt impedimentum, nec baptizantes cum patrinis. Excipitur tamen pater et mater, quando propriam sobolem baptizat in necessitate, et quando ex ignorantia cum ea munus patrini exercet (3). An vero excipiendus etiam sit patrinus in baptismo privato controvertitur inter Doctores : quidam enim tenent, patrinum in baptismo privato non esse excipiendum, quia contrahit impedimentum, modo in ipso baptismo privato infantem teneat non mere materialiter, sed cum intentione obeundi munus patrini (4) ; alii vero contrarium sustinent, quia Tridentinum hoc impedimentum restrinxisse videtur ad eos, qui infantem *de sacro fonte suscipiunt* (5), et quia Tridentinorum Patrum intentio erat minuendi multitudinem prohibitionum, ne matrimonia nulliter ex ignorantia contraherentur, ut patet ex textu citatæ definitionis (6).

(1) Can. 1, c. 30, q. 3. Ita etiam ad rem sancivit Imp. Justinianus : « Ea persona omni modo ad nuptias venire prohibenda est, quam « aliquis a sacrosancto suscepit Baptismate, cum nihil aliud sic « inducere potest paternam affectionem, et justam nuptiarum pro- « hibitionem, quam hujuscemodi nexus, per quem, Deo mediante, « animæ eorum copulatæ sunt. » L. 26, cod. de nupti. — (2) Sess. 24, c. 2, de ref. matr. — (3) Can. 1, c. 30, q. 1, et cap. 2, de cogn. spirit. Quidam excusant etiam ab impedimento contrahendo ipsos parentes, licet ex malitia propriam sobolem baptizent ; sed Card. Soglia sustinet, parentem extra casum necessitatis baptizantem hanc cognationem cum altero conjuge contrahere, quæ saltem usum con-

jugii impedit quoadusque dispensatio obtineatur. Instit. Jur. priv. § 181.—(4) Zallinger de cognat. § 14.—(5) Trid. sess. 24. c. 2, de ref. matr. et S. De Ligorio l. 6, n. 149. — (6) Tria adhuc sunt notanda. Primum, quod si contra dispositionem Tridentini plures, quam duo admittantur ad suscipiendum de sacro fonte infantem tamquam patrini a parentibus designati, et a Parocho acceptati, omnes qui tangunt infantem, dum baptizatur, cognationem spiritualem contrahunt; qui vero ultra patrinos designatos tangunt infantem, dum baptizatur, in cognationem spiritualem non incurrunt. Ita definivit S. Congregatio a Fagnano, et a Card. Soglia citata, eod. loc. Secundum, quod si electus patrinus baptismo assisteret per procuratorem, ex probabiliori et pene certa sententia non procurator, sed ipse mandans spiritualem cognationem contraheret, quia ex regula juris, *qui facit per alium, perinde est, ac si faceret per se ipsum.* Cap. 72, de reg. jur. in 6, et ita ferunt fuisse a S. Congregatione decisum. Tertium, quod si patrinus designatus, et etiam illicite a parocho acceptatus, non sit ipse baptizatus, impedimentum cognationis spiritualis non contrahit Zallinger ad tit. de consang. et affin. § 149. Et idem dicendum de patrino confirmationis, si prius patrinus non fuerit confirmatus S. Cong. in *Licien.* 13 Jul. 1654. Giraldus ad cap. 1, de secund. nupt.

375. Cognatio naturalis vocatur quoque consanguinitas, et definitur : *propinquitas, vel attinentia personarum ex eodem stipite carnali propagatione descendentium, quæ per lineas diffunditur, gradibusque dimetitur.* Hæc propinquitas varios producit effectus circa nuptias, circa hæreditates, et successiones, et circa jura alia tam ecclesiastica, quam civilia. Hæc attinentia si sit ab utroque communi parente, facit fratres *germanos;* si a solo communi patre ob diversam matrem, facit *consanguineos;* et si sit a sola communi matre ob diversum patrem, fratres *uterinos* facit. Item si proveniat ex maribus, facit *agnatos* ; si vero ex fœminis, facit *cognatos.*

376. Stipes est persona, a qua cæteræ, de quarum cognatione quæritur, generatione procedunt. Hinc si quæratur de cognatione inter nepotem ex filio, et avum, ipse avus erit stipes; nam ab avo pater, a patre filius et a filio nepos procedit. Si vero quæratur de cognatione duorum nepotum ex fratribus, stipes pariter est ipse avus, seu illa persona, a qua primam communem habent originem. Dicimus primam communem, ut excludatur proavus, qui quidem stipes est, sed remotus et non proximus, qualis hic considerandus est.

Linea est series personarum, quæ ab eodem stipite generatione descendunt, quæ dividitur in *rectam*, et *transversam*. Recta iterum dividitur in *ascendentalem*, quæ complectitur patrem, avum, proavum, et abavum, et *descendentalem*, quæ filium, nepotem, pronepotem, et abnepotem complectitur. Transversa, quæ dicitur quoque collateralis, sive obliqua, iterum subdividitur in *æqualem*, ut linea duorum fratrum, aut duorum nepotum, et *inæqualem*, ut linea fratris ex uno latere, et nepotis ex alio. Hinc patet, in linea transversali æquali, illos, de quorum cognatione quæritur, æqualibus gradibus a communi stipite distare ; et in linea transversa inæquali unum magis, et alium minus.

377. Gradus denique est distantia unius personæ ab altera in eadem linea, sive scala consanguinitatis, quæ generationem habet tamquam mensuræ unitatem. Jus canonicum et civile in idem omnino collineant in determinando consanguinitatis stipite, in assignandis lineis, et in computandis gradibus lineæ rectæ ascendentalis, et descendentalis. Nam Jus civile regulam computationis ita exhibet : *Quot sunt generationes in linea recta, tot sunt gradus;* jus vero canonicum regulam cum eadem incidentem ita tradit : *In linea recta, quot sunt personæ, dempto stipite, tot sunt gradus.* Quapropter utroque jure inter avum, et nepotem tres sunt consanguinitatis gradus, quia quatuor sunt personæ, id est nepos, filius, pater, et avus; et, dempto stipite, tres remanent personæ, ut tres sunt generationes.

Sed in computatione lineæ transversalis, Jus civile a jure canonico multum differt : nam Jus civile iterum regulam suam firmat, quot sunt generationes in linea transversali, tot sunt gradus; Jus vero canonicum ita suam iterum regulam explicat, quot sunt personæ in uno latere a stipite ad æqualem, vel remotiorem, dempto stipite, tot sunt gradus. Hinc Jus civile numerat generationes ab utroque latere descendentium a stipite ; et Jus canonicum numerat tantum personas, quæ in uno latere reperiuntur, et si linea sit inæqualis personas numerat a latere remotioris. Quare ex jure civili duo fratres sunt in secundo, duo nepotes in quarto, et duo pronepotes in sexto consanguinitatis gradu ; dum ex Jure canonico sunt in

primo duo fratres, in secundo duo nepotes, et in tertio duo pronepotes. Similiter ex Jure civili frater et soror relate ad filios fratris, vel sororis est in tertio, dum ex Jure canonico est tantum in secundo consanguinitatis gradu. Hæc omnia perspicua fient, si studiosus sibi præ oculis ponat *Arborem Consanguinitatis,* quam in apposito schemate tradunt Doctores (1). Sed illud omnino retinendum, quod in matrimonio graduum computatio ad formam Juris canonici est facienda.

(1) Arbor consanguinitatis authentica exhibetur in Decreto Gratiani can. 6, c. 35, q. 5, et in sexto Decretalium post titulum de cogn. spirit. cujus cum S. de Ligorio l. 6, n. 1029, quoddam schema hic tradimus :

SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	4 Abavus, Abavia.	
4 M. Propatruus, et M. Proamita.	3 Proavus, Proavia.	4 M Proavunculus, M. Promatertera.
3 M. Patruus, et M. Amita.	3 Avus, Avia.	3 M. Avunculus, M. Matertera.
2 Patruus, Amita.	1 Pater, Mater.	2 Avunculus, Matertera.
1 Frater.	† Hypothe.	1 Soror.
2 Filii, et Filiæ Fratris.	1 Filius, Filia.	2 Filii, et Filiæ Sororis.
3 Nepotes, et Neptes ex Fratre.	2 Nepos, Neptis.	3 Nepotes, et Neptes ex Sorore.
4 Pronepotes, et Proneptes ex Fratre.	3 Pronepos, Proneptis.	4 Pronepotes, et Proneptes ex Sorore.
	4 Abnepos, Abneptis.	

Vocabulum *Hypothe.* hic in centro expressum indicat personam, ex. gr. Titium, vel Titiam, de cujus consanguinitate quæritur. Sed ad hoc complendum schema in secunda linea ex utraque parte adjungendi sunt eorum filii, qui sunt in quarto gradu ; in tertia eorum filii, et nepotes, quorum primi in tertio, et secundi in quarto sunt consanguinitatis gradu ; et demum in quarta de fratribus, et sororibus, adjungendi sunt fratres, et sorores patrui, et amitæ ex una parte, et consobrini, ac consobrinæ ex alia parte sororis, qui sunt in secundo gradu, et insuper eorum filii, qui sunt in tertio, et eorum nepotes, qui sunt in quarto consanguinitatis gradu. Hæc omnia facile intelliguntur, si hoc schema cum citata consanguinitatis arbore comparetur. Cæterum in praxi ad dignoscendum, an duo, qui volunt inter se matrimonium contrahere, sint consanguinei in gradu prohibito, vel non, sufficit animadvertere, utrum in linea ascendentali habeant aliquem communem stipitem intra quartum gradum vel non. Si enim intra hunc gradum communem stipitem non habeant, consanguinei in gradu prohibito non sunt ; si vero intra hunc gradum communem stipitem habeant, consanguinei sunt in gradu prohibito. Parocho ex. gr. se sistunt Titius, et Berta, qui volunt inter se matrimonium contrahere. Parochus observat, Titium esse filium Petri, Petrum esse filium Pauli, et Paulum filium

Andreæ ; et ex alia parte Bertam esse filiam Mariæ, et Mariam esse filiam Andreæ, qui est duarum linearum proximus communis stipes : ergo hi sunt in secundo, et tertio consanguinitatis gradu ; ideoque inter eos interdictum est matrimonium, quod patet ex sequenti schemate :



378. Jure naturæ matrimonium absolute interdicitur inter ascendentes et descendentes saltem in primo gradu. Hoc enim matrimonium talem ingerit confusionem, quæ rationi omnino repugnat : eadem quidem esse nequit filia, et uxor; idem pater, et maritus ; alias pater foret simul superior, et æqualis, et filia vicissim æqualis simul, et subdita. Insuper natura, hominique inditus sensus ab his abhorret nuptiis, quæ, ut historiæ gentium testantur, continuo turpes, et nefandæ habitæ sunt. Consensus hic universalis universalem debet habere causam, quæ nullibi, nisi in jure naturali invenitur. Inter fratres autem et sorores verius est, matrimonium jure adhuc prohiberi, tum quia id dictat lex pudoris, tum quia id suadet bonum familiæ, ne convictus quotidianus fœdos congluctinet affectus. Hæc tamen prohibitio juris naturalis in absoluta necessitate debet cessare, ut in filiis Adam non fuit.

Jure Gentium et positivo ad remotiores gradus protracta est matrimonii inter agnatos, et cognatos interdictio, ut evitarentur offensæ pudoris ex conjunctorum familiaritate timendæ, quæ frequentiores essent, si hujusmodi fœdi amores possent matrimonio cohonestari, ut per hoc seminarium charitatis, id est per matrimonium, sicut appellatur a S. Augustino, longe lateque per orbem sancti diffunderentur piarum fœminarum mores, et demum juxta effatum Poetæ, ut ex sanguine mixto texeretur alternis ex gentibus una propago.

379. Vera Juris canonici sanctio, qua cognationis naturalis dirimens impedimentum statuitur, ejusque gradus determinan-

tur, his tribus regulis continetur : 1ª in linea recta inter descendentes, et ascendentes matrimonium prohibitum est in infinitum, unde, ut Doctores aiunt, si Adam viveret, non posset uxorem ducere (1) ; 2ª in linea transversa, matrimonium inter collaterales est prohibitum usque ad quartum gradum inclusive ; 3ª si linea transversa sit inæqualis, quoto gradu remotior distat a stipite, eodem contrahentes distant inter se : unde si unus sit in quarto consanguinitatis gradu, et alius in quinto, non existit amplius inter eos dirimens impedimentum (2). Sed in dictis casibus impedimentum æqualiter adest, sive ex licita, sive ex illicita generatione consanguinitas procedat.

(1) Nicolaus I ad consulta Bulgarorum cap. 39, hæc habet : *Inter personas, quæ parentum, liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum, et neptem, et usque in infinitum.* — (2) Cap. 8 et 9, de consang.

380. Secunda hujus tituli pars respicit affinitatem, quæ dicitur *propinquitas*, *vel attinentia personarum ex sexuum conjunctione perfecta*, *sive in matrimonio*, *sive extra matrimonium*, *proveniens*. Dicimus *perfecta*, quia si copula perfecta non adsit, neque affinitas oritur. Hinc matrimonium tantum ratum hoc dirimens impedimentum non producit. Per similem profecto conjunctionem vir intra fines cognationis mulieris, et mulier intra fines cognationis viri comprehenditur, ex quo ortum esse videtur vocabulum *affinitas*. Propterea consanguinei uxoris viro, et viri consanguinei uxori affines fiunt : at vir, et uxor proprie inter se affines non sunt; sed affinitatis principium, et quasi stipitem exhibent (1). Affinitatis tria olim erant genera (2); at nunc ex sola affinitate primi generis, quam hic descripsimus, oritur dirimens matrimonii impedimentum (3), quod est perpetuum.

(1) Gloss. ad arb. consang. can. 6, c. 35, q. 5. Hinc nullum est impedimentum inter virum et mulierem, quando inter eos prius copula perfecta habita fuit. — (2) Hæc genera clare explicantur in sequenti exemplo : si frater tuus Paulus ducat uxorem Mæviam, Mævia tibi affinis est affinitate primi generis ; si, mortuo fratre tuo, Mævia nubat Titio, Titius affinis tibi est affinitate secundi generis, si mortua Mævia, Titius ducat Caiam, Caia affinis tibi est affinitate tertii generis. — (3) Cap. 8 de consang.

381. Hinc ob affinitatem prohibitum est matrimonium inter mulierem cognitam, et consanguineos viri, et inter virum, et consanguineos mulieris (1). Sed cum affinitas proprias non habeat lineas, atque gradus, eos a consanguinitate mutuatur, unde oritur regula : *Qua in linea, et quoto gradu quis est consanguineus viro, eadem linea, et gradu est affinis ejus uxori;* et vice versa : *Qua in linea, et quoto gradu quis est consanguineus uxori, eadem linea, et gradu est affinis ejus viro* (2). Sed consanguinei viri, et uxoris inter se affines non sunt, quia affinitas affinitatem non parit (3).

(1) Hoc habet locum etiamsi mulier cognita fuerit invita, vel per vim : non enim in hoc casu attenditur ad personarum voluntatem, sed ad factum conjunctionis. Cap. 6, de eo qui cogn. etc. — (2) Propterea si ponamus, carnaliter conjunctos habere consanguineos ascendentes, collaterales, et descendentes, aderit linea ascendentalis, collateralis, et descendentalis, et simul aderunt gradus consanguinitatis. Unde si Petrus conjungatur Mariæ, ut in sequenti schemate Petrus erit affinis Annæ matri Mariæ in primo gradu lineæ ascendentalis, Juliæ vero sorori Mariæ in eodem primo gradu lineæ collateralis, et Caiæ filiæ Mariæ iterum in primo gradu lineæ descendentalis. Et idem dicendum de Maria, quæ affinis erit Josepho, Joanni, et Lucio. Sed Lucius non fit per hoc affinis Caiæ, et sic dicatur de aliis. Si hoc schema extendatur ad alios consanguinitatis gradus usque ad quartum inclusive, ut in schemate consanguinitatis, manifeste apparebit, quo gradu, et qua linea affines sint conjuncti. Arbor affinitatis authentica exhibetur a sexto Decretalium de consang. et affin. Nos hoc adducimus brevius affinitatis schema :



— (3) Propterea duo fratres ex una parte cum duabus sororibus ex altera, quemadmodum pater et filius unius familiæ cum matre et filia alterius familiæ non vetantur matrimonium contrahere, et idem dicatur de casibus similibus. Cap. 5, de consang. et affin. et Zallinger cognat. § 143 et seqq.

382. Superest ut videamus quousque inter affines matrimonium interdicatur. Et 1° ut in consanguinitate, sic in affinitate in linea recta ascendentium et descendentium matrimonii

prohibitio est perpetua. Inter ascendentes affines comprehenduntur, *socer, socrus, vitricus, noverca*, etc.; inter descendentes vero, *gener, nurus, privignus, privigna*, etc. 2° In linea transversa, ut in consanguinitate, sic in affinitate matrimonium interdicitur usque ad quartum gradum inclusive. Quare cum nemo possit ob consanguinitatem uxorem ducere sibi intra quartum gradum consanguineam, ita nemo potest ob affinitatem uxorem ducere aliquam intra quartum gradum consanguineam prioris uxoris suæ. Hoc obtinet dumtaxat in conjunctione legitima : nam si affinitas ex conjunctione illicita procedat, matrimonii prohibitio extenditur tantum ad secundum gradum inclusive (1).

(1) Trid. sess. 24, c. 4, de ref. matr. Hæc quæ exposuimus respiciunt affinitatem præcedentem matrimonium, quæ cum præbeat impedimentum dirimens, ipsum matrimonium reddit nullum. Si vero, matrimonio jam contracto, maritus cognoscat consanguineam uxoris suæ in primo, aut secundo gradu, vel uxor copulam habeat cum consanguineo mariti in iisdem gradibus, dici quidem potest, affinitatem oriri ; sed hæc affinitas non dirimit matrimonium jam valide contractum. Cap. 6, de eo qui cognov. etc. Nihilominus hæc scelera eum habent effectum, ut incestuosus vel adulter conjux non possit petere debitum conjugale, licet conjugi innocenti reddere teneatur. Cap. I, eod.

383. Tertia hujus tituli pars respicit publicam honestatem, sive justitiam publicæ honestatis, quæ dicitur, *propinquitas, sive attinentia personarum ex solis sponsalibus de futuro, vel etiam ex matrimonio tantum rato proveniens*. Publica honestas quoddam est affinitatis simulacrum, ac proinde a jure civili *quasi affinitas* nuncupatur. Affinitas etenim oritur ex conjunctione corporum; publica autem honestas ex conjunctione animorum, quæ in sponsalibus de præsenti, et de futuro contingit. Porro ut pudori, et æquitati repugnare visum est quempiam consanguineam illius mulieris ducere, quam cognoverat ; sic honestati, et justitiæ repugnare videtur, quempiam consanguineam mulieris ducere, cui fidem per sponsalia de futuro, vel de præsenti inviolabilem dedit.

384. Hoc publicæ honestatis impedimentum ita jure novissimo viget, nimirum : 1° Si oriatur ex sponsalibus de futuro

comprehendit tantum primum gradum: idcirco qui valida cum aliqua contraxit sponsalia de futuro nequit amplius ob exor- iam publicam honestatem cum ejus matre, filia, aut sorore matrimonium inire (1); sed cum aliis remotioribus ejus consan- guineis non prohibetur. Diximus qui *valida* contraxit sponsalia; nam ex sponsalibus nullis, aut invalidis nullum producitur publicæ honestatis impedimentum (2). 2° Si oriatur ex matri- monio rato extenditur usque ad quartum gradum inclusive, ut definivit S. Pius V (3), qui declaravit concilii Tridentini de- cretum in sponsalibus tantum de futuro habere locum, et ad sponsalia de præsenti non extendi, in quibus mandat, ut ob- servetur jus antiquum, per quod publicæ honestatis impedi- mentum ex rato matrimonio proveniens usque ad quartum inclusive gradum extendatur (4).

(1) Quidam docent ex sponsalibus occultis non oriri in foro con- cientiæ publicæ honestatis impedimentum, et ad hoc confirmandum adducunt praxim Datariæ Apostolicæ, quæ non admittit impedimen- um ex sponsalibus clam celebratis. Benedictus XIV. Inst. 87, n. 7; t adducunt ita fuisse statutum a novo Rituali Parisiensi pag. 348. Lequeux in Man. comp. Jur. can. n. 848. Sed sententia probabilior a esse videtur, quæ communiter a Doctoribus defenditur, juxta uam etiam ex sponsalibus occultis, et clam celebratis impedimen- um publicæ honestatis oritur. Ratio est, quia Bonifacius VIII de- revit, tale impedimentum oriri indistincte ex omnibus puris, certis, t validis sponsalibus. Cap. 1, de spons. in 6; et quia majori Pœni- entiario data fuit a Papa potestas in sponsalibus occultis dispen- andi; quam sententiam videtur amplecti idem Benedictus in cit. nst. — (2) Trid. sess. 24, c. 3, de ref. matr. ubi hæc leguntur: *Ju- titiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque atione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem alida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulte- ioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dis- endio observari.* Consequenter publica honestas non oritur ex spon- alibus cum persona incerta, ex sponsalibus conditionatis ante con- itionis adventum, ex sponsalibus alicui impedimento dirimenti ob- oxiis, et ex sponsalibus nullis ex defectu consensus. Sed cum ex ponsalibus validis publica honestas orta est, impedimentum est per- etuum, licet sponsalia mutuo consensu, vel alia ratione solvantur. Hoc tamen impedimentum non *agit retro*, ut dicunt Doctores; ideo- ue qui prius contraxit sponsalia cum una, et postea cum alia ejus onsanguinea, debet prima sponsalia observare, quæ non impedian- ur propter factum sequentium sponsalium. Cap. unic. de spons. in

6. Contrarium tamen observatur in affinitate: nam qui post sponsalia de futuro cum una, carnaliter cognoscit ejus consanguineam in primo, vel secundo gradu, non potest amplius matrimonium inire cum desponsata, quia affinitas suborta *agit retro*, et priora sponsalia rescindit. Cap. 8 et 9, de eo qui cogn. etc. — (3) Bul. *Ad Romanum* — (4) Can. 14, et 15, c. 27. q. 2, et cap. 8, de spons. ubi sancitur, u nullus consanguineorum, id est intra quartum gradum, queat sib sponsam copulare alterius.

385. Dubitari potest in ordine ad primum an sponsalibus dissolutis per mortem alterutrius desponsati, aut per mutuum consensum, aut per aliam justam causam, publicæ honestatis impedimentum adhuc subsistat? Sed resolutio affirmativa probatur a decisione S. Congregationis 6 Julii 1668 a pluribus Doctoribus citata, et ab Alexandro VII confirmata, qui, hac mediante confirmatione, merito canonistarum disputationes amputavit. Nam cum impedimentum ex validis sponsalibus jam sit ortum, non potest amplius humano facto, aut desponsatorum voluntate, aut etiam ordinaria judicis auctoritate auferri (1).

(1) Richter affert aliam resolutionem similem, ad sess. 24, de ref matr. n. 104.

386. Dubitari potest in ordine ad secundum, an ex matrimonio invalido oriatur publicæ honestatis impedimentum, e usque ad quartum gradum vigeat? Sed respondemus, affirmativam esse certam; licet enim ex sponsalibus de futuro ex quacumque causa invalidis per supracitatum Tridentini decretum non oriatur impedimentum; aliter tamen est de invalido matrimonio sentiendum: nam S. Pius V (1) idem decretum restringit ad sponsalia de futuro, et declarat in matrimonio observandum esse jus antiquum; atqui ex jure antiquo ex matrimonio etiam nullo oriebatur publicæ honestatis impedimentum, modo nullum non esset ex defectu consensus (2): ergo ex nullo matrimonio oritur publicæ honestatis impedimentum, modo nullum non sit ex defectu consensus, ut si esset contractum per errorem, aut per metum, quo quidem casu nullum producit impedimentum. Ratio autem hujus exceptio-

nis ea esse videtur, quia qui non consentit, nihil agit, dum qui consentit ni vetitum, male agit (3). Idcirco si matrimonium volitum ob consanguinitatem, affinitatem, vel aliud impedimentum, et etiam ob clandestinitatem nullum sit, adhuc publicæ honestatis impedimentum parit. Certum proinde videtur, matrimonia illa, quæ ad formam codicis civilis Francorum, et aliarum nationum absque Parochi præsentia coram ministro civili contrahuntur, publicam gignere honestatem, quæ usque ad quartum gradum extendatur (4).

(1) Cit. bul. *Ad Romanum*. — (2) Cap. unic. de spons. in 6. — (3) Circa hoc tamen notandum, quod matrimonia impuberum, quæ nulla sunt ob defectum ætatis et etiam pleni consensus, valent tamquam sponsalia de futuro ; ac proinde ex his oritur publicæ honestatis impedimentum ad primum gradum. Hæc est exceptio tum a sponsalibus nullis, quæ, ut diximus, non afferunt impedimentum publicæ honestatis, tum a matrimonio ob defectum consensus, in quo, ut hic dicimus, publica honestas non oritur, quia in hoc casu sic lex ecclesiastica disponit. Cap. 14, despons. impub. et cap. unic. § 2, eod. in 6. — (4) S. De Ligorio l. 6, n. 1064. et Lequeux de matr. n. 843.

357. Sed quid dicendum, si quis pura sponsalia de futuro contrahat cum Titia, et deinde cum Caia ejus sorore matrimonium? Respondemus, hoc matrimonium, ob impedimentum publicæ honestatis ab antecedentibus sponsalibus ortum, esse nullum. At contrahens inutiliter cum Caia post matrimonium cum ipsa attentatum potest adhuc uxorem ducere Titiam prius sibi desponsatam, circa quam publicæ honestatis impedimentum ortum ex facto matrimonii cum Caia nullum habet effectum, licet omnes alias Titiæ consanguineas usque ad quartum gradum afficiat (1). Diximus *pura sponsalia*, quia si conditionata forent ante eventum conditionis staret matrimonium cum Caia contractum, quia ex conditionatis sponsalibus publicæ honestatis impedimentum, nisi adimpleta conditione, non oritur (2).

(1) Ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis non *agit retro*, ut jam notavimus, sed hic supponimus nullam intercessisse copulam, alias locum haberet affinitas. — (2) Cit. cap. unic. de spons. in 6.

TITULUS VIII.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS, VIS, METUS ET RAPTUS.

SUMMARIUM : 388. Quæ sint crimina afferentia impedimentum dirimens? — 389. Quid sit vis et metus? — 390. Quandonam vis et metus idem impedimentum afferat? — 391. Quid sit raptus, et quotuplex? 392. — Quandonam raptus violentiæ afferat impedimentum dirimens? — 393. An idem impedimentum oriatur ex raptu seductionis? — 394. An oriatur quando mulier rapit virum?

388. Hæc impedimenta matrimonium dirimentia ex dolo malo procedunt; ideoque simul tractantur. Crimen producens impedimentum est duplex, nimirum : adulterium, et homicidium ; quæ tripliciter possunt componi, nimirum : vel est solum adulterium, vel solum homicidium, vel adulterium et homicidium simul. Ex solo adulterio a partibus commisso, quæ veri matrimonii existentiam non ignorabant, oritur impedimentum, si adulteri, primo vivente conjuge, inter se matrimonium attentaverint (1), vel de contrahendo matrimonio post mortem conjugis sibi veram dederint fidem (2). Hinc reus adulterii post suæ conjugis mortem non potest ducere sui criminis complicem, cum qua, sua vivente conjuge, sponsalia contraxit de futuro, vel de præsenti contrahere attentavit. Sed si horum alterum deficiat, et si solum adulterium sine promissione, aut attentato matrimonio; vel promissio futuri matrimonii, aut matrimonii attentatio sine adulterio, nullum suboritur impedimentum (3).

Ex solo homicidio commisso in complicis conjuge oritur impedimentum, si ipsi complices conjugi innocenti eo fine mortem intulerint, ut possent inter se matrimonium contrahere : nam *non potest quis illam habere in uxorem cujus maritum occidit machinatione ipsius mulieris* (4). Quare si una tantum pars absque alterius machinatione mortis causa fuerit, vel ambæ quidem partes mortem inferre attentaverint, quæ

tamen sequuta non sit, nullum est criminis impedimentum (5).

Ex adulterio, et homicidio simul oritur impedimentum, si adulter vel adultera in vitam conjugis innocentis cum intentione contrahendi matrimonium cum ipso complice ita conspiraverit, ut per suas insidias illius mors sequatur (6). Quare ubi homicidium conjunctum sit cum adulterio, non est necessaria ad impedimentum contrahendum utriusque complicis machinatio in mortem, uti est necessaria, si de solo agatur homicidio ; sed sufficit insidiarum molitio ex parte unius, quia pravum adulterii crimen pravam supplet occidendi intentionem. De cætero ex communi Doctorum sententia dictæ pœnæ contrahuntur etiam in casu, quo conjuges per divortii sententiam quoad thorum et habitationem vivant separati, vel eorum matrimonium tantum ratum sit ; et ab illis ipsis, qui ignorant his criminibus matrimonii impedimentum esse affixum (7).

(1) Cap. 2 et 4, de eo qui duxit, etc. — (2) Can. 4, c. 31, q. 1 ; et Arg. Cap. 6, de eo qui duxit, etc.— (3) Cap. 6 et 7 de eo qui duxit, etc. — (4) Ita legitur in rubr. cap. 1, de conv. infid. et idem probatur in can. 5. c. 31, q. 1. — (5) Cit, cap. 1, et can. 5. — (6) Arg. cit. cap. 1, et cap. 3 et 6, de eo qui duxit, etc. — (7) Zallinger ad tit. de eo qui duxit, etc., § 113.

389. Vis et metus aliud est impedimentum matrimonium dirimens. Vis hic significat externam coactionem; et definitur, *alicujus externæ causæ impetus, qui propulsari non potest.* Vis proprie non cadit in actibus elicitis, sive internis, qui mente perficiuntur : quia mens a causa externa absolute cogi nequit ad hoc, vel illud volendum; et consequenter non potest habere locum in interno matrimonii consensu ; sed potest incuti in actibus imperatis, sive externis, qui externo sensuum ministerio perficiuntur, ut in accesu ad matrimonium, et in manifestatione consensus. Verum quoties id fiat, in matrimonium influit, non prout continet vim, quæ consensus substantiam non attingit, sed prout gignit metum. Sufficit proinde de metu disserere, licet vis et coactio a sacris Canonibus, et a Doctoribus, ut dirimens impedimentum nominetur. Metus definitur, *præsentis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio,*

qua quis impellitur ad agendum, *quod nollet* (1). Cum matrimonium liberrimum esse debeat, si metu ineatur, ipso jure nullum et irritum est : quia matrimonium *plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire* (2).

(1) Celeberrima fuit inter veteres philosophos quæstio, an metus extingueret, vel tantum minueret voluntarium. Qui stabant pro extinctione aiebant, nihil tam contrarium esse consensui, quam vim et metum. l. 116. ff. de reg. jur. Qui vero stabant pro sola imminutione, aiebant, coactam voluntatem semper esse voluntatem, l. 21 ff. quod met. caus. etc. Sed jus civile Romanorum, et canonicum contrarias composuit sententias hoc adhibito temperamento, ut procedat prima, ubi liberrimus requiritur consensus, et secunda ubi requiritur tantum liber, ut eruitur ex conspirantibus utriusque juris dispositionibus. Tit. ff. quod metus caus. etc. et Tit. X, de his, quæ vi, met. caus. etc. Liber autem consensus generaliter sufficit in contractibus, aliisque actibus, qui proinde, si metu fiant, non sunt irriti ipso jure ; sed sunt per judicem irritandi, vel rescindendi, ut probatur ex citatis titulis. Liberrimus vero consensus requiritur in matrimonio, et in aliis casibus a Doctoribus citatis : unde matrimonium metu initum, non irritandum, sed ipso jure irritum est. — (2) Cap. 14, 15 et 28, de spons. Hoc ipsum ex veriori Doctorum sententia ad ipsa sponsalia de futuro extenditur, ita ut hæc sponsalia metu inita nullam afferant obligationem, nullumque publicæ honestatis impedimentum. Zallinger de spons. § 46.

390. Ut autem ratione metus nullum fiat matrimonium ex communi Doctorum sententia sequentes debent concurrere conditiones. 1° Metus debet esse *gravis*, cujusmodi est metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, exilii, amissionis majoris partis bonorum, injustæ excommunicationis, aut alterius gravis mali, quod prudenter imminens timetur (1). Unde metus *levis* non sufficit, qui tunc contingit, cum leve malum prudenter, aut imprudenter etiam grave timetur : metus enim levis in jure metus non est. Neque sufficit metus *reverentialis* qui a reverentia procedit patri, matri, tutori, aut alteri superiori debita, cui quis veretur resistere, ubi absque minis, alioque malo sola sit reverentiæ ratio. 2° Debet esse injuste incussus (2) : quare si juste incussus sit, ex. gr. a judice minitante excommunicationem stupratori, aut a defloratæ patre minitante accusationem iniqui filiæ aggressoris, valet matri

onium ita contractum, quia metum effecit culpa, et qui sic gitur non ab alio, sed a sua culpa, vel a se ipso cogitur (3). Debet esse incussus ad finem obtinendi matrimonii : nam iter metum inferens in culpa non foret circa matrimonium. oinde si debitor a creditore in carcerem detrusus ad pœnam itandam filiam creditoris ducat, hoc matrimonium valet (4). io adhuc hic notanda sunt : 1m quod judex ex personarum, facti circumstantiis judicare debet, an metus talis sit, ut in ntrahendo matrimonio liberum consensum impedierit, vel n (5) ; 2m quod matrimonium metus causa nullum per vum liberum consensum, aut per spontaneam sponsorum habitationem firmatur (6).

1) Dicimus *prudenter* ad indicandum metum cadentem in virum nstantem, qui non movetur, nisi ex gravi et rationabili causa. eo inanis apprehensio de eo, qui non potest, aut non vult pro- r honestatem, et affectum metum inferre, matrimonio non officit. niliter qui potest minitanti resistere, vel mali occasionem vitare, n dicitur prudenter metum pati. — (2) Dicimus *incussus* ad indi- ndam causam externam, quæ metum ingerit : nam si a causa inter- procederet, velut a timore damnationis æternæ, vel a timore mor- ob morbum, pestem, naufragium, matrimonium non inficeret. Idem endum, si quæ fœmina, ut hostium, vel grassatorum manus eva- et suo liberatori nuberet, quia his in casibus nemo metu proprie itur; sed eligit matrimonium tamquam medium ad vitandum nnationis, mortis, vel captivitatis periculum. — (3) Sed hic no- dum, quod aliter res se haberet, si judex absolute cogeret stupra- em ad contrahendum matrimonium, aut pater actu aggressori æ suæ mortem vellet inferre, de quo est casus in cit. cap. 15. de ns.; nam sic metus foret injuste incussus. Habet enim judex fa- tatem adigendi stupratorem ad ducendam vel dotandam, non o simpliciter ad ducendam defloratam in uxorem. Et similiter pa- jus habet ad persequendam in judicio injuriam filiæ suæ irro- am, non vero ad occidendum. Quare matrimonium contractum hujusmodi metum injuste incussum foret nullum. — (4) Item ium erit matrimonium, si quis in aliqua civitate obsidione cir- ndatus ad evitanda expugnationis mala filiam ducat obsidentis, a hic metus ad matrimonium ineundum non tendit. Card. Soglia t. jur. priv. § 185. — (5) Cap. 28 de spons. — (6) Cap. 6, 21 et 28, . cap. 4, qui mat. accus. pos.

91. Raptus aliud est impedimentum matrimonium diri- ns, in quo vis exercetur. Raptus *est violenta mulieris ab-*

ductio e sua, vel parentum potestate ad effectum cum contrahendi matrimonium (1). Duplex est raptus, nempe *violentiæ*, cum violentia infertur fœminæ repugnanti, et *seductionis*, cum, invitis parentibus, fœmina consentiens abdu tur. Violentia tamen committitur nedum cum physice p apertam vim, sed et cum moraliter per minas, gravemq metum fœmina repugnans in manum viri pertrahitur : mi enim graves a viro, vel ab ejus mandatario fœminæ illa æquiparantur violentiæ. Seductio vero fit, cum fœmina bla dis verbis, precibus, suasionibus, pollicitationibus, aliisq artibus inducitur ad virum sequendum, insciis vel invitis p rentibus.

(1) Abductio facta dicitur, cum fœmina translata fuit de loco in l cum, de domo in domum, ubi non in sua, vel parentum sed in v potestate reperiatur, et tunc impedimentum producit, cum facta f ad finem contrahendi matrimonium ; nam alio fine facta, nullu præbet impedimentum. Gallemart ad hoc refert decisionem S. Cor 23 Janu. 1585.

392. Raptus violentiæ impedimentum affert dirimens mat monium inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potesta raptoris manet : nam præsumptione juris et de jure fœmi non censetur libera in suo consensu; sed magis metu ex p tentia viri, quam voluntate sua in matrimonium consentire. si rapta,a raptore separetur, ac in loco tuto et libero cons tuta, et ibi libere raptorem consentiat habere in virum, nu lum est amplius impedimentum, quia dicta præsumptio ipsa ratione, et ex Tridentini definitione omnino cessat (Similiter non videtur adesse impedimentum : 1° Si fœmina co sentiat, aut etiam sollicitet raptum, eo quod in hoc casu vis injuria non irrogatur ei, sed parentibus et familiæ (2); 2° ante raptum inter raptorem et raptam, habitus sit tractatus matrimonio inter se contrahendo, et sponsalia firmata si legitime absque ulla justa ea solvendi causa : nam propter ha jus aliquod sponsus consecutus est in sponsam, quam si r piat invitam a raptu violentiæ potest excusari, ut a S. Thon excusatur (3).

(1) Trid. Sess. c. 6 de ref. matr. Sic enim, ut ait Innocentius III, prior dissensus potest transire in consensum, ita ut quod antea displicuit, incipiat complacere. Cap. ultim. de raptor. Sed hic notandum, quod Tridentinum contra raptorem, consilium, auxilium, et favorem præbentes protulit etiam pœnam excommunicationis ipso jure incurrendam, quæ non est reservata, pœnam perpetuæ infamiæ, incapacitatis ad omnes dignitates, depositionis a statu clericali, quæ ferendæ sententiæ tantum esse videntur, et pœnam arbitrio judicis dotandi raptam, sive eam raptor habeat in uxorem, sive non. Trid. eod. — (2) Hujus sententiæ fundamentum habemus in cap. 6, de raptor. in quo Lucius III, in casu, quo quidam puellam, ea consentiente, rapuerat, et postea matrimonium cum ea contraxerat, ita ait : *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris consensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.* Concordat Glossa ad dictum caput, ubi legitur : *Nota quod ubi mulier consentit, raptus non dicitur.* In hujus conclusionis confirmationem accessit resolutio S. Cong. Conc. in una *Ruben.* 5 mart. 1714. in qua declaratum fuit, ad contrahendum matrimonium non obstare raptum, consentiente et proponente puella, commissum. Riether ad sess. 24, de ref. matr. n. 90. In contrarium tamen sunt Doctores magni nominis, et anteriores S. Congregationis decisiones, ut videri potest penes De Luca ad calc. disc. 5, de matr.; et Rigantium ad reg. 49 Cancel. n. 66 et seqq. At cum Tridentinum in hoc respiciat ad libertatem consensus, quæ videtur adesse ; nam consensus in raptum ex parte fœminæ implicite continet etiam consensum ad matrimonium, putamus in casu impedimentum non esse, licet concedamus contrahi alias pœnas supra expressas a Tridentino indictas, quæ fundantur in detestabili raptus facinore, quod multa solet afferre mala. S. De Ligorio l. 6, n. 1107. — (3) S. Doctor hæc habet : *Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa, et ideo, quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur a crimine raptus.* 2, 2, quæst. 154, art. 7 ad 4. Quoad praxim tamen notandum : 1° quod raptus non præsumitur, sed debet probari ; 2° quod legitime probato raptu impedimentum afferente, certe judici constare debet de libertate et securitate sponsæ data, ut libere posset consentire ; 3° quod si de hac constet, sponsa præsumitur coacta.

393. Raptus seductionis, a quo abest omnis vis physica et moralis, proprie raptus non est, ut patet ex data definitione et dirimens impedimentum non affert; nam libertatem non tollit ad matrimonium requisitam. Qui autem contrarium nituntur sustinere, supponunt matrimonia filiorum-familias absque parentum consensu esse nulla, et idem esse violentiam

adhibere in puellam, vel in ejus parentes, quibus subjicitur. Sed neutrum admitti potest : nam matrimonia filiorum-familias absque consensu parentum, sunt valida ut supra vidimus ; et violentia adhibita in puellam causat in ea defectum consensus, quod non efficit violentia in parentes : et sicut, si parentes consentirent, et puella esset invita, matrimonium esset nullum, ita est validum, si puella sit consentiens, et parentes inviti (1).

(1) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 192.

394. Quæstio inter Doctores agitur, an hoc impedimentum contrahatur, quando fœmina rapit virum, ut ei nubat? Affirmativa sententia magis æquitati, et negativa magis juri conformis esse videtur. Convenit magis juri negativa : nam tum in dispositionibus juris civilis Romanorum (1), tum in citatis Juris canonici legibus mentio tantum fit viri fœminam sibi furantis in uxorem ; jam vero cum in pœnalibus, et odiosis verbum masculini generis fœminam non dicatur comprehendere, casus propositionis rarissimus extra leges constituitur, quæ non ad ea referuntur, quæ raro ; sed ad ea sola, quæ frequenter accidunt. Convenit magis æquitati affirmativa, quia in utroque casu, cum eadem habeatur ratio, eadem quoque esse debet juris dispositio, ut si fœmina præpotens adolescentem rapiat, ut ei nubat. Hanc opinionem plures post Glossam secuti sunt Doctores (2).

(1) L. unic. cod. de rapt. virg. — (2) Gloss. in cit. loc. cod.

TITULUS IX.

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS, ORDINIS, LIGAMINIS, IMPOTENTIÆ ET CLANDESTINITATIS.

SUMMARIUM : 395. Disparitas cultus fidelis cum infideli præbet impedimentum dirimens. — 396. Idem præbet Ordo sacer. — 397. Idem aliud matrimonium jam contractum. — 398. Idem impubertas. — 399. Quotuplex sit impotentia ad matrimonium, et quæ præbeat impedimentum dirimens ? — 400. Quando matrimonium dicatur clandestinum ? — 401. Quomodo faciendæ matrimonii denunciationes ? — 402. Quæ sint justæ causæ, ob quas Ordinarius dispensat ? — 403. Quæ sint pœnæ omittentium denunciationes ? — 404. Matrimonium clandestinum olim validum, nunc nullum est. — 405. Quis sit proprius parochus ? — 405. Quotuplex sit domicilium, et quomodo constituatur ? — 407. Parochus assistit matrimonio ut testis, et potest alium delegare. — 408. Quot requirantur in matrimonio testes, et quales ? — 409. Quis sit parorochus vagorum ? — 410. Ubi Tridentini decretum publicatum non fuit, clandestinum validum est. — 411. Quid de matrimoniis in terris hæreticorum ? — 412. Quid de clandestino invito Parocho ?

395. Disparitas cultus impedimentum præbet matrimonium dirimens, quia nimium indecet, ut ait S. Cyprianus, gentibus prostitui membra Christi. Sed dispares cultu hoc loco tantum sunt fideles et infideles inter se, quorum illi per sanctum Baptismum membra Christi effecti sunt ; dum hi ad Christi corpus non pertinent. Quare si fidelis cum infideli matrimonium contrahat, irritum est omnino, ut definivit Benedictus XIV (1); id tamen non procedit in matrimonio catholici cum hæretica. Si vero matrimonium ab infidelibus sit initum, quorum unus convertatur ad fidem, ob eamdem cultus disparitatem potest rescindi, ut videbimus infra.

(1) Bul. *Salutare nobis*. Hæc matrimoniorum interdictio semper viguit in Ecclesia catholica, et etiam nunc ubique locorum viget. Nec Missionarii in partibus infidelium possunt similia connubia probare absque S. Sedis dispensatione. Sancta tamen Sedes solet Vicariis Apostolicis hanc dispensandi facultatem ad determinatum tempus

concedere sub his conditionibus : 1ª modo in loco dispensationis numerus infidelium excedat numerum Christianorum ; 2ª modo cohabitatio conjugum absque injuria Creatoris possit haberi ; 3ª modo proles suscepta in Christiana religione educetur. Anal. Jur. Pont. ser. 2, p. 1811.

396. Simile impedimentum præbet Ordo sacer Subdiaconatus, et majorum Ordinum, voluntarie susceptus, quod quidem ex voto, vel ex lege ecclesiastica est constitutum, ut Clerici possent liberius divinis vacare (1). Attamen dictus Ordo matrimonium antea contractum non dirimit, quod privilegium est soli professioni religiosæ concessum (2).

(1) Quod Ordo sacer sit impedimentum dirimens matrimonium manifeste eruitur ex can. 8, dist. 27; et ex Tridentino Concilio can. 9, sess. 24. Unde merito damnata fuit sequens propositio : *Bonifacius VIII, votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.* Syllab. prop. 72. Nam Calixtus Papa II, in citato canone 8, jam definierat, Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis esse penitus interdicta matrimonia ; Calixtus autem Pontifex electus fuit anno 1119, et Bonifacius VIII anno 1294. Tridentinum autem anathema intorquet in eos, qui contrarium dicerent. Quod si quis ex his clericis matrimonium audeat contrahere, ipso facto excommunicationem incurrit, quæ non apparet reservata. Clem. unic. de consang. et affin.; fit irregularis ob bigamiam similitudinariam, et ab officio, et beneficio est deponendus. Can. 2, dist. 28. — (2) Extrav. *Antiquæ* de vot.

397. Aliud simile impedimentum præbet ligamen, sive vinculum alterius matrimonii adhuc permanentis, cum in nova Lege sola monogamia probata sit, ut supra jam diximus (1). Quare si quis forte ignoranter cum conjugata matrimonium contrahat, in adulterio cum ea versatur, et conjux super inducta ab eo separanda est, suoque primo reddenda viro, licet primum matrimonium tantum ratum sit (2). Hinc ubi agatur de viduis novo sociandis connubio, certissimæ requiruntur probationes de morte alterius conjugis, quæ si quod dubium relinquere videantur, neque parochus, neque Episcopus potest novi matrimonii celebrationem permittere; sed hoc casu ad S. Congregationem recurrendum est, eique factæ probationes

exhibendæ, ut ex Pontificis auctoritate declaret, an de alterius conjugis morte satis constet, nécne.

(1) Tridentinum revera hæc habet : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Can. 2, sess. 24. — (2) Cap. 2, de secund. nupt.

398. Aliud simile impedimentum præbet impotentia, quæ vel ex *ætate* provenit, vel ex *habitu corporis*. Ob ætatem ad matrimonium ineundum incapaces sunt, qui pubertatem nondum excesserunt, quæ advenit post annum duodecimum in fœminis, et post annum decimum quartum in maribus (1) : exceptio tamen fit in casu, quo malitia suppleat ætatem (2).

(1) Cap. 3 et 11, de despons. impub. Ratio diversitatis inter marem, et fœminam in eo est, quod fœminæ citius pubescunt, quam mares. — (2) Cap. 8 et 14, eod. malitia dicitur supplere ætatem quando puella ante 12 et mas ante 14, ætatis annum jam sunt ad actum conjugalem potentes. Unde Isidorus in cit. cap. 3, ait : *Certum est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest.* Sed parocho non licet, impuberem ad matrimonium admittere, cujus præsumitur incapax : hoc enim judicium Episcopo, vel S. Sedi reservatum est. Bul. *Magnæ nobis* Benedicti XIV.

399. Ob habitum corporis ad matrimonium ineundum incapaces sunt, qui natura, vel morbo liberis operam dare nequeunt (1). Profecto impotentia ad generandum opponitur fini intrinseco matrimonii, ad cujus essentiam potentia saltem ad actum conjugalem complendum spectat. Hæc impotentia triplex esse potest, nimirum : *perpetua*, vel *temporalis ;* matrimonium *antecedens*, vel *subsequens ;* et *absoluta*, vel *respectiva*. Absoluta dicitur ea, quæ virum impotentem reddit ad omnes mulieres, vel mulierem ad omnes viros ; respectiva vero ea, quæ impotentem reddit virum ad determinatam mulierem, vel mulierem ad determinatum virum. Ad cognoscendum autem quandonam hoc impedimentum contrahatur, vel non, sequentes præfigimus regulas. 1ª Si impotentia sit perpetua et antecedens impedimentum dirimens affert, quoad omnes, si sit absoluta, vel quoad conjugem, si sit relativa (2). Perpe-

tua tamen non est, quæ medicina, ut in ægrotis potest auferri (3). 2° Si impotentia sit temporalis etiam antecedens non affert impedimentum dirimens, quia adimplementum debiti conjugalis non tollitur, sed tantum transfertur in illud tempus, quo conjux poterit illud solvere (4). 3° Si impotentia sit subsequens, hoc est oriatur post contractum matrimonium, dum in actu contracti matrimonii conjux erat habilis, matrimonium non dirimit, etiamsi ipsum sit tantum ratum, et impotentia sit perpetua : nam matrimonium valide fuit contractum, et per supervenientem impotentiam non solvitur (5).

Impotentia in sensu primæ regulæ debet esse certa, id est evidentibus signis, vel legitimis documentis probata ; alias standum est pro matrimonii validitate. Sed in hoc, ut plurimum, hæretur, quia dubium est, an impotentia sit perpetua, vel temporalis, an præcesserit matrimonium, vel postea supervenerit. Ad hæc tamen dubia solvenda valde prosunt præsumptiones : in dubio enim, an impotentia præcesserit, vel supervenerit, præsumitur præcessisse, si sit naturalis et intrinseca : quia quæ a natura sunt, semper adfuisse censentur ; si vero sit accidentalis et extrinseca, tunc præsumitur supervenisse, maxime cum reclamatio contra eam post multum temporis a contracto matrimonio proponitur (6). In alio vero dubio, an sit perpetua, vel temporalis, recurritur ad triennale experimentum, hoc est, conjugibus triennium conceditur, quo simul vivant, et conjugum officiis fungantur (7) ; et eo elapso, ac matrimonio non consummato, impotentia præsumitur perpetua (8).

Propterea, observatis conditionibus a jure præscriptis (9), sententia nullitatis matrimonii profertur, conjuges statim separantur, defensor matrimoniorum appellat ad superiorem judicem, si sententia matrimonium dissolvat, et fit novus processus ad formam constitutionis Benedicti XIV (10). Si secunda sententia sit primæ conformis, et utraque nullitatem decernat, novi ineundi matrimonii facultas conceditur illi conjugi, qui impotens non est, vel utrique conjugi, si impotentia sit tantum respectiva, scilicet inter conjuges, et non quoad alios (11). Sed illud notandum, quod hujuscemodi sententiæ numquam transeunt in rem judicatam (12) : unde si conjux, qui judicatus

fuit impotens, postea ad actus conjugales habilis inveniatur, dissolutum matrimonium est reintegrandum, licet alia pars novum contraxerit matrimonium, quod consequenter dissolvitur : nam prolatæ sententiæ funduntur in errore, qui est semper emendandus, vel in præsumptione impotentiæ, quæ veritati cedere debet (13).

(1) Hoc refertur ad inhabilitatem coeundi, non ad inhabilitatem generandi : nam sterilium matrimonia subsistunt, ut probant exempla Saræ, Rebeccæ, aliarumque fœminarum in S. Scriptura commendatarum. — (2) Cap. 1. 2 et 6, de frigid. et malef. et Bul. *Cum frequenter* Sixti V. — (3) Hinc potest contrahi matrimonium a graviter ægrotantæ, maxime si id fiat ad legitimandam prolem prius susceptam, vel ad cohonestandum affectum concubinariorum : nam habilitas ad copulam, licet per accidens suspensa, sperari potest si morbi vis desistat. Aliter tamen foret sentiendum, si hæc spes foret omnino desperata. Reiffenstuel ad tit. de frig. et malef. n. 20. — (4) Cit. cap. 6, de frig. et malef. — (5) Can. 25, c. 32, quæst. 7. — (6) Arg. cap. 1, de frig. et malef. — (7) Cap. 5, eod. — (8) Ad hæc ritæ peragenda processus requiritur. Facta idcirco debita instantia ab uno, vel ab ambobus conjugibus, nam hoc casu non licet aliis matrimonium accusare, quia conjuges impotentes possunt adhuc simul habitare, tamquam frater et soror, modo absit omnino periculum incontinentiæ. Cap. 4, et 5 eod. Facta, inquam, debita instantia, indicitur a judice triennale experimentum, quod incipit a die copulæ attentatæ, nisi impedimentum sit certum, et evidens, quo casu sententia nullitatis, omisso experimento, quod datur tantum ad dubium solvendum, post plenam probationem potest statim proferri. Indicto vero experimento eliguntur pro fœmina duæ saltem honestæ, fide dignæ, et in opere nuptiali expertæ matronæ aut obstetrices ; et pro viro duo saltem medici, aut chirurgi ad corpus inspiciendum. Cap. 6, et 8 eod. Cum hi periti jurati, tactis SS. Evangeliis, deponunt, impotentiam esse certissimam, perpetuam, et antecedentem matrimonium, simulque evidentem afferunt dictorum causam, absque alio examine sententia nullitatis matrimonii potest proferri ; cum vero deponunt, signa impotentiæ esse verosimilia, et quasi moraliter certa, vocandi adhuc sunt ad juramentum conjuges, et septem consanguinei ex parte viri, et totidem consanguinei ex parte mulieris, qui præbent testimonium *septimæ manus*, ut canonistæ dicunt. Si autem tot consanguinei haberi nequeant, assumuntur vicini ; et si neque hi in tanto numero haberi queant, sufficiunt pauciores, et etiam duo arbitrio judicis. Conjuges jurare debent de rei veritate, consanguinei vero de credulitate. Idcirco si conjuges jurent, se copulam attentasse, sed numquam coire potuisse; et consanguinei jurent, se credere, conjuges verum jurasse, etsi adhuc completum non sit experimenti triennium, potest sententia nullitatis proferri, quia

per hæc juramenta impotentiæ completur probatio. Cum denique deponunt, signa impotentiæ esse dubia, dicta sententia proferri nequit, nisi post completum experimenti triennium, et post receptum conjugum et propinquorum, ut supra, juramentum. Cit. cap. 5, et 8 eod. Quod si conjugum depositiones non sint conformes, et vir affirmet, se uxorem cognovisse, et mulier id neget, standum est potius depositioni viri, qui est caput mulieris. Can. 3, c. 33, q. 1. cap. 1, de frig. et malef. et cap. 6, de despons. impub. nisi mulier virum mendacii arguat, et se virginem per rectum judicium probet. Cap. 4, de probat. Si vero mulier affirmet se cognitam, et vir id neget, et aliunde signa impotentiæ sint ambigua, standum potius est depositioni mulieris, tum quia non præsumitur se velle haberi cognitam, cum talis non sit, aut velle cum viro impotente habitare, tum quia ita favor matrimonii requirit. Reiffenstuel ad tit. de frig. et malef. n. 48. — (9) Præcipuæ ex his conditionibus sunt supra expositæ. — (10) Bul. *Dei miseratione*, de qua alibi dicimus. — (11) Cit. cap. 5, de frig. et malef. — (12) Cap. 7, de sent. et re judic. — (13) Cap. 1, 5 et 6, de frig. et malef. In casu dubii super impotentia potest recursus fieri ad Papam pro dispensatione in matrimonio. Richer ad sess. 24, n. 139 et seqq.

400. Ultimum denique impedimentum matrimonium dirimens in clandestinitate consistit. Duobus modis matrimonium clandestinum dicitur, nempe improprie ob defectum solemnitatis *extrinsecæ*, et proprie ob defectum solemnitatis *intrinsecæ*. Solemnitas extrinseca et accidentalis in eo est, quod antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter missarum solemnia, publice denuncietur inter quos sit matrimonium contrahendum, ut quicumque agnoverit, inter sponsos aliquod esse impedimentum, illud teneatur revelare (1). In eo quoque consistit, quod parochus post factas denunciationes, vel obtentam ab iisdem justis et dignis de causis ab Ordinario dispensationem, viro, et muliere interrogatis, eorumque mutuo audito consensu, vel dicat : *Ego vos in matrimonium conjungo*, *in nomine Patris*, *etc.*, vel aliis utatur verbis juxta receptum suæ provinciæ ritum ; et quod demum, contracto matrimonio, sponsis, antequam simul cohabitare incipiant, benedictionem nuptialem in templo parochus impertiatur (2); at defectus hujus solemnitatis, licet faciat matrimonium illicitum, non facit irritum.

(1) Tridentinum *præcipit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum*. Sess. 24, c. 1, de ref. matr. — (2) Trid. eod.

401. Denunciationes prædictæ a Tridentino præscriptæ, quæ appellantur etiam *banna*, formaliter sunt faciendæ, ut impedimenta, si quæ inter contrahentes sunt, detegantur (1), tribus diebus festivis continuis, ita tamen ut inter unam, aliamque denunciationem una saltem dies interfluat libera (2), in unaquaque parochia (3), in qua sponsi habent domicilium habitationis, aut quasi-domicilium (4). Si vero domicilium nuperrime mutaverint, juxta Galliæ consuetudinem in prima et secunda parochia fiunt denunciationes, ubi a mutato domicilio sex menses præterlapsi nondum sint : alibi aliæ observantur consuetudines ; sed Ordinarius, si expedire judicaret, posset semper pro utraque parochia denunciationes præcipere (5). Peracta demum ultima denunciatione, regulariter per diem adhuc est expectandum, ut valeant, qui agnoverint impedimentum dirimens, aut tantum impediens denunciare. Effectus vero denunciationum durat de jure communi ad quatuor menses, post quod temporis spatium denunciationes sunt repetendæ, uti ferunt fuisse a S. Congregatione decisum : nam si tanto tempore differatur matrimonii celebratio, verendum est, ne nova sint sùborta impedimenta (6).

(1) Ideo denunciatio continere debet nomen, prænomen, domicilium contrahentium, nomina parentum, statum viduitatis, si occurrat, in primis, aut aliis nuptiis utriusque sponsi, an sit pro prima, vel secunda, vel tertia vice, et an sit in una, vel duabus per Ordinarium dispensatum, ut fideles moneantur de necessitate citæ delationis faciendæ, ad quam sub peccato gravi, et in quibusdam diœcesibus sub pœna excommunicationis ferendæ, omnes tenentur, etiam cognati, et amici, et qui sub secreti promissi lege etiam juramento confirmata impedimentum noverunt. Exceptio tamen fit in iis, qui impedimentum noverunt sub sigillo confessionis. Reiffenstuel, ad tit. despons. impub. n. 49. — (2) Possunt hæ denunciationes fieri etiam diebus festis hodie suppressis, modo adsit Ordinarii licentia, et modo *in illis diebus qui festi non sunt, frequens adhuc perseveret populi ad ecclesiam concursus* : nam intentio Tridentini in his

præscribendis denunciationibus ea fuit, ut in populi frequentia fierent ad impedimentorum revelationem obtinendam. Ita fuit a S. Congregatione resolutum, annuente Pio VI in *Brunensi* 17 jun. 1780, et in *Tudertina* 19 april. 1823. Richter ad sess. 24, n. 29. — (3) Et quidem fieri debent a parocho, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium. S. Cong. Conc. 17 jun. 1820. Id. n. 31; et juxta allatum Tridentini decretum inter missarum solemnia ; Episcopus vero ex causa potest dispensare, ut fiant, dum diebus festis cantatur vesper. S. Cong. Conc. 25 octob. 1586. Id. n. 30. Non desunt tamen Doctores probatissimi, ut S. de Ligorio l. 6, n. 991, et Reiffenstuel ad tit. de cland. despons. n. 6, qui docent, probabiliter denunciationes fieri posse etiam tempore concionum, vel processionum extra dies festos, et extra ecclesiam, modo adsit sufficiens populi concursus, quia sic Tridentini intentio adimpletur, dum non alia de causa designavit dies festos, et missarum solemnia, nisi ut adesset populi concursus. Sed cum S. Congregatio, ut supra vidimus, dixerit, Episcopum posse dispensare ex causa, ut fiant in vesperis, putamus allatas Doctorum sententias tunc habere locum, cum adest justa causa, et Episcopi dispensatio, quod confirmari videtur ab aliis jam citatis S. Congregationis decisionibus in *Brunensi* et *Tudertina*. — (4) Idcirco si unus ex sponsis in una parochia habitet, et alius in alia, in utraque sunt denunciationes faciendæ. Rit. Rom. de Sac. matr. — (5) Arg. cap. 3, de cland. despons. — (6) De jure vero particulari quandoque hoc tempus restringitur ; et ideo videndæ sunt synodales cujuscumque diœcesis constitutiones.

402. Ex dictis, potest Ordinarius super matrimonii denunciationibus dispensare, ubi digna, et justa causa intervenerit, sicut sunt sequentes : 1ª si probabilis sit suspicio, posse matrimonium per quempiam malitiose impediri (1) ; 2ª si vir et fœmina extra matrimonium in figura matrimonii publici vivant (2) ; 3ª si matrimonium jam contractum ob aliquod impedimentum nullum reperiatur, et idcirco iterandum sit ; 4ª si alteruter ex sponsis sit in periculo mortis, et matrimonium ad legitimandam sobolem incatur ; 5ª si nimium debeant erubescere sponsi ob magnam conditionis, status, aut ætatis inæqualitatem ; 6ª si sponsi sint animo inconstantes, et maxime si sponsus non sit tenax propositi vir ; 7ª si adsit periculum scandali, aut gravis damni in bonis spiritualibus, et etiam temporalibus ; 8ª si de Principum, et magnatorum conjugio agatur, quorum vita omnibus nota esse solet ; 9ª si moraliter certum sit, inter contrahentes nullum esse posse impedimen-

um ; 10° si immineat tempus Quadragesimæ, aut Adventus, t nequeant denunciationes fieri, cum aliunde non expedit natrimonium differre (3). Potest Episcopus his aliisque de ausis, quæ prudenti, et maturo judicio justæ videantur, super ina, et altera tantum ex matrimonii denunciationibus, vel tiam super omnibus dispensare, quia Tridentinum rem totam n hac specie ejus judicio, ac prudentiæ committit (4).

(1) Trid. Sess. 24, c. 1, de ref. matr. — (2) Bul. *Satis nobis* Benedicti XIV. — (3) Hæc tamen causa a S. Carolo Borromeo justa agnita non fuit, quia ansam præbet, ut fraus legi facile fieri queat. — (4) Reiffenstuel de cland. desp. n. 19 et seqq.

403. Nequeunt absque peccato, et gravi pœna hujusmodi denunciationes omitti : nam matrimonium absque denunciationibus, vel ab iisdem dispensatione contractum, si forte sit nullum, juribus non fruitur matrimonii putativi, et ex eo nata soboles non est legitima (1), licet parentes, qui sic contraxerunt in bona fide fuerint, et impedimentum ignoraverint (2) ; Sacerdos autem huic matrimonio assistens per triennium est ab officio suspendendus, et gravius adhuc puniendus, si culpæ qualitas postulaverit (3).

(1) Cap. 3, de cland. despons. — (2) Immo si conjuges matrimonium absque denunciationibus contrahere ausi fuerint in gradu prohibito, ex jure carent spe dispensationis ad matrimonium revalidandum. Trid. sess. 24, c. 5, de ref. matr. — (3) Hæc suspensio est tantum ab officio, non vero a beneficio. Si agatur de Regulari suspensio est ab exercitio jurisdictionis, et regiminis : unde Regularis, qui nullum habet regimen et jurisdictionem alia pœna arbitraria puniendus est. Insuper hujusmodi suspensio est ferendæ sententiæ, et non incurritur, nisi fuerit ab Ordinario pronunciata ; sed cum fuerit pronunciata, auferri tantum a S. Sede potest. Giraldus ad cap. 3, de cland. despons.

404. Solemnitas deinde intrinseca et substantialis matrimonii in eo consistit, quod matrimonium coram parocho proprio, et testibus contrahatur. Defectus hujus solemnitatis maximopere ab Ecclesia exoptatæ et præscriptæ ante concilium Tridentinum matrimonii nullitatem non afferebat (1) ; sed idem Tridentinum perpendens mala, quæ ex matrimoniis

clandestinis oriebantur, dum homines perditissimi, prima uxore relicta, cum qua occulte matrimonium contraxerant, aliam publice ducebant, cum qua in perpetuo adulterio versabantur, similia matrimonia irrita prorsus, et nulla effecit. Decretum quidem Tridentini (2) inter alia hæc habet : *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat.* Deinde Concilium mandat, ut hoc decretum in unaquaque parochia publicetur, et ut post triginta dies a publicatione vim incipiat habere ; sed ad probandam publicationem olim factam sufficit observantia et usus, ut pluries S. Congregatio declaravit (3).

(1) Hoc probatur ex cap. 2, de cland. despons. Nam ibi Pontifex in casu matrimonii occulti, et clandestini præcipit, ut conjuges eorum matrimonium occultum publicantes, ab Ecclesia recipiantur, et ut eorum matrimonium ita comprobetur, ac si a principio in Ecclesiæ conspectu foret contractum ; et probatur similiter a Tridentino in decreto mox citando, sess. 24, c. 1. de ref. matr.; in quo matrimonia clandestina declarantur rata et vera, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. — (2) Cit. sess. 24, c. 1, de ref. matr. — (3) Zallinger de cland. despons. § 62.

405. Patet ex hujus decreti verbis ad matrimonii validitatem requiri proprii parochi, duorumque saltem testium præsentiam. Jure proprii parochi fruuntur Nuncii Apostolici pro sua provincia, Episcopi, Vicarii Capitulares et Generales pro sua diœcesi ; non vero Vicarii Foranei pro suo districtu, neque Archiepiscopi pro sua provincia, nisi in actu visitationis, aut in casu appellationis. Sed proprius parochus vere ille dicitur, in cujus parochia sponsi domicilium habitationis, aut quasi-domicilium habent ; non vero ille, in cujus parochia sponsi nati sunt, et quondam habuerunt domicilium originis, quod potuerunt deserere, et realiter deseruerunt. Dicimus quod potuerunt deserere, nam qui sui juris non sunt, sed patriæ potestati subjecti, quamdiu revocari possunt in parochiam,

non videntur domicilium originis amittere, etsi animo numquam redeundi abiissent (1). Si vero sponsi ad diversas parochias pertineant, alterutrius proprii parochi præsentia sufficit, quia cum matrimonium individuam causam habeat, ubi valet ex uno, eo ipso ex utroque latere firmum est.

(1) Zallinger, cit. loc. § 67.

406. Domicilium aliud est *originis*, aliud *habitationis*. Domicilium originis, sive naturale quisque habet in loco, in quo natus est, si pater ejus ibi habitaverit. Hoc domicilium non facit parochum proprium ad effectum contrahendi matrimonium, quoad eos, qui alium in locum habitationis domicilium legitime transtulerunt (1). Domicilium vero habitationis, sive accidentale quisque habet in loco, in quo habitat cum animo ibi perpetuo manendi. Insuper aliud est *verum*, aliud *quasi-domicilium*. Verum est supra descriptum domicilium habitationis. Quasi-domicilium autem est, cum quis a loco veri domicilii discedens alio se transfert cum animo ibi manendi ad majorem saltem anni partem : ex quo liquet, posse quempiam in uno loco verum, et in alio quasi-domicilium habere. Utrumque tamen constituitur animo et facto : animo scilicet habitandi, qui declarandus est, nam regulariter non præsumitur, nisi post decennium habitationis in domicilio vero; et facto habitationis, id est cum translatione rerum, et fortunarum, cumque instructione domus ad habitationis sedem in domicilio vero ; cum adventu, et permanentia in quasi-domicilio. At satis declarato animo, ac posito facto, domicilium, aut quasi-domicilium post mensem acquiritur (2). Quare domicilium electum ad formam legum civilium, in quo adest animi declaratio, sed deest factum habitationis, ad matrimonium contrahendum non prodest.

(1) Benedictus XIV. Inst. 33. n. 6. — (2) Ita Benedictus XIV, in bul. *Paucis abhinc*, et S. Congregatio Concilii citata a Richer ad sess. 24, n. 34. Sed non desunt, qui ad id sufficere putant habitationem breviorem, et etiam unius diei cum animo constanter in loco permanendi, quique id confirmant ex alia S. Congregationis decisione. Reiffenstuel de cland. despons. n. 60. Hac super re normam præbere videtur pro prima sententia novissima responsio S. Congregationis Con-

cilii de anno 1841. Duo sponsi recedentes a civitate Grationopolitana eorum patria se contulerunt Londinum, ubi post octo vel decem dies habitationis coram Missionario Apostolico illius districtus matrimonium contraxerunt. Congregatio declaravit, *non constare de validitate matrimonii, sed ad declarationem nullitatis esse procedendum... Inspecto præsertim animo, et tempore, quo asserti sponsi commorati sunt nedum Londini, sed etiam in districtu illius Apostolici vicariatus.* Anal. Jur. Pont. ser. 2, pag. 1888.

407. Præterea circa parochum hæc observamus : 1° Parochus assistit matrimonio ut testis authenticus, sive auctorizabilis, et ab Ecclesia deputatus ; idcirco per hanc assistentiam non exercet actum ordinis, neque etiam proprie actum jurisdictionis ; sufficit, si sit præsens, sponsorumque mutuum consensum intelligat (1). Nec refert quoad matrimonii validitatem, an sponte præsens sit, vel invitus detineatur (2) ; an liberum habeat sui officii exercitium, vel aliqua ligetur irregularitate, suspensione, interdicto, aut excommunicatione (3) ; an sit verus parochus, vel tantum putativus, modo se sua auctoritate in beneficium non intruserit, titulumque saltem coloratum habeat (4) ; an demum sit sacerdos, vel alius clericus sacerdote minor, quia Tridentinum nil aliud requirit, nisi ut matrimonium contrahatur coram parocho ; ex quo sequitur, quod quicumque parochus in sua parochia valide matrimonio assistit (5). 2° Parochus potest matrimonio assistendi facultatem alteri sacerdoti delegare (6), non vero clerico, qui sacerdos non sit, quia in delegato Tridentinum exigit qualitatem sacerdotis, quam non exigit in delegante. Hæc delegatio fieri potest tum specialiter, tum generaliter, tum scripto, tum viva voce, tum expresse, tum etiam tacite. Tacite autem facta videtur, si parochus agnoscat, sacerdotem suo nomine ad matrimonio assistendum accedere, eique, cum possit, non contradicat, vel si sacerdoti administrationem omnium sacramentorum committat. At non sufficeret delegatio præsumpta, quæ nullum continet mandatum, licet parochus fuerit paratus concedere ; et tanto minus sufficeret superveniens parochi ratihabitio, quæ nequit retrotrahi ad defectum sanandum. Delegatus vero specialiter alteri sibi commissam facultatem nequit demandare, quia delegatus non potest subdelegare, nisi sit

delegatus a summo Principe. Sed delegatus generaliter potest specialiter alium sacerdotem in casu particulari in sui locum substituere, quia sic delegatus reputatur quasi ordinarius, cum sit ad universitatem causarum delegatus. Hæc quidem omnia confirmantur ex communi Doctorum sententia.

(1) Ad hoc enim necessaria est præsentia etiam moralis parochi, et testium, ut quod fit possint certiorare: unde non sufficit præsentia physica, quod contingeret, si parochus, et testes essent somno, vel tali distractione affecti, ut non intelligerent quid agatur. Revera S. Congregatio interrogata, an valeat matrimonium, *si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit*, respondit: *Non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere.* Hæc postrema clausula late explicatur a Benedicto XIV, qui concludit, eam accipiendam esse de casu, quo parochus invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo non vidit, neque percepit, quia data opera nec videre voluit, neque percipere, ut si sibi obstruat aures, et oculos claudat. Ita parochus affectaret non intelligere, et ad evadendam gravissimam incertitudinem S. Congregatio censuit, matrimonium subsistere, ubi alia requisita necessaria concurrant. Debet ulterius parochus a contrahentibus ea intentione adhiberi, ut coram eo matrimonia ineant: nam si duo contraherent matrimonium de parocho nil cogitantes, dum forte in convivio vel confabulatione sunt, non posset dici coram parocho celebratum, licet esset præsens, et firmitatem non haberet, quia casu id accideret, et casu gesta moralitate, et imputatione destituuntur. Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 23, n. 1 et seqq. — (2) Revera S. Congregatio interrogata, an matrimonium subsistat, *si invitus, et compulsus per vim adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium*, respondit: *subsistere.* Similiter postea dixit, validum esse matrimonium, *etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum*, ut si fraudulenter vocatus sit ad assistendum infirmo, modo adsit sponsorum intentio illum adhibendi ad matrimonium: nam intentio celebrandi matrimonii coram parocho necessaria est in sponsis; sed non est necessaria in Parocho intentio assistendi. Id. eod. loc. — (3) Hoc verum est etiamsi ab Ordinario interdictum sit parocho alicui matrimonio assistere, quia talis prohibitio non est impedimentum dirimens. Id eod. loc. — (4) Intrusus dicitur, qui beneficium ecclesiasticum invadit absque auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio, sive id propria, sive alterius auctoritate faciat. Unde intrusi fuerunt declarati a Pio papa VI omnes illi Episcopi et Parochi, qui in regno Galliarum juramentum civicum profitentes a conventu nationali in episcopos, vel parochos electi, et instituti fuerunt. Cum his tamquam cum intrusis, et schismaticis prohibitum fuit in divinis communicare, eorum audire sacrum etiam diebus festis, ab illis sacramenta recipere

excepto casu absolutæ necessitatis in baptismo, et periculi mortis in pœnitentia, eos adire pro celebratione matrimonii, eis assistere in munere patrini, cum baptizant, et ab eis benedictionem pro mulieribus post partum petere, ut eruitur ex responsis ab eodem Pontifice datis die 28 mart. 1793. Theiner doc. ined. tom. 1, n. 21, 30, 33, 49 et 57. Unde matrimonia facta coram parocho *Parvæ ecclesiæ*, ad quam se pertinere gloriabantur, nulla habita fuerunt. Auct. abbé André verbo *Clandestinité.*— (5) Neque necessarius est ejus ad matrimonium consensus, ut eruitur ex epistola Pii VII ad imperatorem Napoleonem I quam per extensum exhibet citatus auctor abbé André in suo Cur. Jur. Can. verbo *Clandestinité.* Contendebat enim Imperator, matrimonium fratris sui Hieronymi esse nullum ex defectu consensus ex parte parochi ; sed Pontifex declarat, hanc causam non esse impedimentum dirimens, et matrimonii validitatem sustinet. Cæterum cum non sit necessaria in parocho intentio assistendi matrimonio, et supra vidimus, a fortiori necessarius non est ejus consensus. — (6) Observandum tamen, Benedictum XIV scribentem ad Episcopos Poloniæ in bul. *Nimiam licentiam* declarare, non posse parochos *licite* hanc delegationem facere, nisi *legitima, gravissimaque de causa* : unde Ordinariis mandat, ne matrimoniorum assistentiam delegent aliis presbyteris ; sed jubeant proprios parochos assistere.

408. Circa testes, hæc observamus. 1° Testes tres, vel saltem duo dabent esse matrimonio præsentes, mutuumque sponsorum consensum intelligere ; nec refert ad validitatem matrimonii, an sponte, vel inviti maneant, an sint personæ habiles ad ferendum testimonium in judicio, vel non, modo ex jure naturali queant testimonium dicere. Propterea valide assistunt testes consanguinei, domestici, fœminæ, minores, impuberes, infames, hæretici, et etiam infideles ; licet expediat, ut seligantur viri probi, et non vagi. 2° Testes debent esse præsentes simul cum parocho ; nam secus non forent testes ad eumdem actum, dum concilium requirit, ut matrimonium contrahatur coram parocho, et testibus. De cætero controversia inter Doctores est, an debeant esse rogati, vel formaliter adhibiti ad actum (1).

(1) Reiffenstuel de cland. despons. n. 108 et Zallinger eod. tit. § 71, in not. Nos tamen hæc concordantes cum supra expositis de parochi præsentia, ad matrimonii validitatem sufficere arbitramur, si testes sint ad hoc in intentione contrahentium adhibiti, licet non sint formaliter rogati. Nam Tridentinum supra citatum nihil aliud

requirit, quam præsentiam physicam et moralem testium, ut de matrimonio testimonium ferre possint. Rogatio vero, et monitio testium non videtur necessaria, cum a testium voluntate non pendeat, ut sint in matrimonio testes : sive enim volentes, sive nolentes sint, possunt testimonium de matrimonio ferre. Ideo recte ait Giraldus, matrimonium validum esse, *si tam parochus, quam testes ad interessendum non expresse rogati, neque sponte, sed vel fortuito, vel dolo, aut vi adacti audierint mutuum contrahentium consensum.* In append. 1, ad cap. 5, de secund. nupt.

409. Quæri hic potest coram quo parocho peregrinorum, et vagorum matrimonium contrahi possit? Respondemus 1° : cum peregrini illi sint, qui exteras petunt terras ea mente, ut post aliquod tempus ad proprium domicilium revertantur, coram parocho tantum hujus domicilii queunt contrahere matrimonium, nisi alibi quasi-domicilium sint assequuti. Hoc quasi-domicilium juxta regulas supra assignatas regulariter consequuntur judices, professores, medici, studiosi, famuli (1), aliique (2), qui ad locum accedunt, ut ibi per majorem anni partem maneant ; non tamen regulariter illi, qui alicujus rei familiaris occasione, aut rusticationis causa in oppidum, aut pagum se conferunt (3). Respondemus 2° : cum vagi suum relinquant domicilium, ut sedem sibi inquirant penes alias gentes, et nullum habeant domicilium, coram parocho loci, in quo reperiuntur, valide matrimonium contrahunt, etsi unus tantum esset vagus, quia ubi matrimonium valet ex uno, eo ipso ab utroque latere firmum est. Parochus enim loci, in quo reperitur vagus, est proprius ejusdem parochus, aliter nullum haberet. Sed ut hoc matrimonium licitum sit, diligens per parochum instituenda est inquisitio, et specialis per Episcopum est concedenda licentia (4).

(1) Quoad famulos tamen, ac præsertim famulas observanda est sequens S. Congregationis resolutio data episcopo Eugubino die 24 maii 1788, qui eamdem congregationem interrogaverat, *an matrimoniis famulorum assistere deberet parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cujus parochia puellæ famulatum præstant* ? Et respondit : *Episcopus per suum decretum jubeat, ut matrimoniis puellarum, quæ famulatum Eugubii præstant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellæ, quatenus illud habeant in eadem civitate ; si non habeant, assistat parochus domicilii*

in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 191. — (2) Inter hos enumerandi sunt. 1° Carceribus detenti, qui coram parocho loci, in quo situs est carcer, matrimonium legitime contrahunt, si pœna perpetua vel ad notabile tempus sint damnati, quia ibi acquirunt domicilium necessarium ; secus est, si detineantur in custodia, et judicis sententia nondum sit prolata ; nam servant domicilium, quod prius habuerunt, et coram illius parocho tenentur matrimonium contrahere. Benedictus XIV Inst. 33, n. 12. 2° Puellæ in hospitio spuriarum receptæ proprium habent parochum illius parochiæ, cui hospitium subjicitur. S. Cong. in *Eugubina* 22 Aprilis 1651. Cit. eod. loc. n. 14. Si vero hæ puellæ alibi earum domicilium, vel quasi-domicilium consequantur, ut puta, quia ab hospitio alium in locum transferuntur nutriendæ, vel ut famulatum exerceant, ibi proprium sortiuntur parochum, licet Gubernatores hospitii retineant in dictas puellas simulacrum quoddam paternæ potestatis, et ante matrimonium debeant per aliquot dies ad hospitium regredi ad accipiendam dotem, quam hospitium illis tribuit, ut novissime definivit S. Congregatio in *Florentina* 17 Sept. 1856 et in *Genuensi* 22 Nov. 1856, quas affert auctor Analectæ jur. Pont. ser. 2, pag. 1882 et 2695 ; et sic definivit, licet in contrarium adesset immemorabilis consuetudo, propter quod omnia matrimonia prius male contracta, auctoritate Sanctissimi sanavit in radice. Pro hospitio tamen Florentino postea eadem Congregatio parocho hospitii speciales concessit facultates, ut posset assistere matrimoniis illarum puellarum expositarum, quæ licet alibi domicilium, vel quasi-domicilium contraxissent, ante matrimonium hospitium repetebant. 3° Puellæ in aliis hospitiis degentes, in quibus aluntur, et a quibus dotem recipiunt, Parochum habent illum, in cujus territorio situm est hospitium. Sed puellæ, quæ degunt in monasteriis, sive conservatoriis educationis causa, debent matrimonium contrahere coram parocho domicilii paterni, materni, vel fraterni, si habent ; si vero non habeant, coram parocho loci, in quo conservatorium, vel monasterium situm est. Benedictus XIV eod. loc. n. 14 et 16. — (3) Id. eod. loc. n. 6, 7, 10 et 11. Sed exceptio fit in civibus Genuensibus, qui valide contrahunt matrimonium coram parocho villarum et suburbiorum, quæ æstivo tempore incolere solent, in quibus aliud censentur habere domicilium. Hoc tamen non extenditur *ad eos, qui brevi transitu negotii, aut convalescentiæ, vel animi gratia, ad alienam paræciam divertunt.* Synod. diœc. Genuen. ult. c. 11, n. 9. — (4) Trid. sess. 24, c. 7, de ref. matr.

410. Decretum Tridentini supra citatum ex ejusdem præscripto suam habet vim in omnibus parochiis, in quibus fuit publicatum, aut usu receptum veluti publicatum, non vero in aliis, in quibus, cum ob publicationis conditionem nihil inno-

vaverit, servandum est jus antiquum, juxta quod matrimonia clandestina sunt illicita, sed valida, ut supra probavimus. Publicatum autem fuit in Italia, Hispania, Gallia, et in pluribus aliis regionibus; non publicatum in Anglia, Scotia, Suecia, Saxonia, etc. At cum publicatio res sit facti, in casu practico est probanda. Ex hoc autem principio cum præmissis comparato hæc deducuntur corollaria. 1° Valet matrimonium clandestinum eorum, qui domicilium habent in parochia, in qua dictum decretum non fuit publicatum; quod etiam procedit, si unus tantum ex sponsis ibi domicilium habeat, ibique contrahat matrimonium, cujus causa individua est. 2° Valet matrimonium eorum, qui recedentes a parochia publicati decreti se conferunt ad locum, in quo non fuit publicatum, ibi domicilium, vel quasi-domicilium assequuntur, et matrimonium contrahunt (1); sed ex adverso non valet clandestinum, si sponsi recedant a loco non publicati decreti, et se conferant ad parochiam, in qua fuit publicatum, ibique matrimonium ineant, quia, ut dicunt Jurisconsulti, locus regit actum, sive actus et contractus juxta leges, et consuetudines loci sunt ineundi. 3° Non valet clandestinum eorum, qui a sua parochia publicati decreti recedunt, et dum in loco non publicati decreti peregrinantur, matrimonium contrahunt, quin in hoc loco saltem quasi-domicilium sint assequuti; idem a fortiori dicendum, si a dicta parochia recesserint, inque similem locum se contulerint ad conciliares matrimonii solemnitates vitandas, quia fraus, et dolus nemini patrocinari debet, et quia quæ facta sunt in fraudem legis ipso jure rescinduntur (2).

(1) Bul. *Exponi nobis* Urbani VIII. — (2) Cit. bul. et Doctores ad tit. de Cland. despons.

411. Sed quid dicendum de matrimoniis, quæ in terris hæreticorum contrahuntur? Licet hæretici legibus ecclesiasticis ubique terrarum devincti sint, ut jam observavimus, pro resolutione tamen distinguimus inter clandestinum in terris hæreticorum a catholicis, et in iisdem terris ab hæreticis contractum. In primo casu est nullum, si ibi Tridentini decretum fuit publicatum. At excipiendus est casus necessitatis, ut si

nullus in illis terris sit parochus, vel Episcopus catholicus, aut non possit adiri, aut alterius sacerdotis delegati existentia in dictis locis ignoretur : in hac enim circumstantia catholici valide contrahunt clandestinum, etiamsi dictum decretum ibi sit publicatum, modo idem observent, quantum fieri potest, duos saltem assumendo testes (1). In secundo autem casu clandestinum est validum pro Hollandia, et pro fœderato Belgio, si ineatur inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam, ut definivit Benedictus XIV (2), quia licet in parochiis dictarum regionum Tridentini decretum fuerit publicatum, novæ tamen protestantium societates ad eas parochias non videntur amplius pertinere. Pro aliis vero regionibus publicati decreti, ubi parochi catholici, vel eorum delegati facile reperiuntur, clandestinum inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam, nullum est, quia citata Benedicti XIV definitio ultra fœderatos Belgas non extenditur ; et ideo hæretici conjuges Belgæ non tenentur coram parocho iterare matrimonium, sed tenentur cæteri, si ab hæresi ad S. Ecclesiæ sinum redeant (3).

(1) Benedictus XIV de Synod. l. 12, c. 5, n. 5 ; et bul. *Redditæ sunt* ejusd. Pont. Postea Pius VI, in epist. ad episcopum Lucionensem diei 28 maii 1793, postquam declaravit, fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram officiali civili, ut ferebat lex a conventu nationali Galliæ lata, permisit, ut ad obtinendos matrimonio effectus civiles possent coram eodem officiali eorum matrimonium declarare, modo prius coram parocho contraxissent ; et deinde subjunxit : *Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus, et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut sæpius declaratum fuit a sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete.* Theiner, cit. loc. n. 67. In eodem sensu idem Pontifex die 5 octobris 1793, Episcopo Genevensi rescripsit. Hac de re variæ datæ sunt decisiones et instructiones a Cardinale Caprara Legato a Latere summi Pontificis pro regno Galliæ in luctuosa revolutione illius regni, quæ sub finem sæculi decimi octavi, omnia humana, et divina subvertere nisa est. Hujusmodi regulæ a Gallicis auctoribus notantur, ad quos lectorem remittimus, et specialiter ad auctorem supracitatum abbé André in Curs. Jur. Can. verbo *clandestinité.* — (2) Bul. *Matrimonia quæ*, et ut videre est in ejusdem Pontificis egregio opere de Synod. diœces. l. 6, c. 6. Quod autem Benedictus XIV, pro fœderatis Belgis con-

cessit, Clemens XIII, Ad Malabarium et Canada extendit. Zallinger de cland. despons. § 63 et 64. Excipiuntur tamen privilegiati a Clemente XIII ut supra diximus, qui similiter non tenentur eorum renovare matrimonium, si ab hæresi ad fidem catholicam convertantur. — (3) Illud quoque hic notandum, quod matrimonia clandestina in partibus infidelium contracta, ubi Tridentinum publicatum non fuit, valida sunt ; immo et sponsalia de futuro per consummationem matrimonii, vel copulam inter sponsos habitam in matrimonium ipso jure transeunt. Attamen instructio pro missionariis a S. Congregatione edita requirit, ut sic contrahentes, quo citius fieri poterit, ad Ecclesiam accedant, et coram testibus, et ministro, emissis actibus fidei, spei, et charitatis, ad matrimonium consensum exprimant per verba de præsenti, et sponsalitiam benedictionem accipiant, eodem tempore debet illis minister declarare, hanc benedictionem ad matrimonii validitatem non esse necessariam. Anal. Jur. Pont. ser. 2, p. 1813.

412. Clandestinum matrimonium improprie dictum est illud, quando sponsi aggrediuntur parochum cum testibus, coram quibus mutuum emittunt matrimonii consensum. Quamquam hoc matrimonium vulgo dicatur clandestinum simpliciter ; tamen ut clandestinum improprie, quia debitæ tantum solemnitates extrinsecæ omittuntur, et proinde summo jure validum est. Quoties itaque id contingat, quod Deus avertat! tenetur parochus, quo citius fieri potest, hoc clandestinum denunciare Episcopo, qui ea de re statim processum fieri mandat, et rite examinatis testibus, et sponsis, omnibusque rite cognitis, suam pronunciat sententiam, qua aut validum declarat matrimonium, si omnes solemnitates intrinsecæ fuerint observatæ ; aut nullum, si illæ solemnitates desint, ex. gr. si contractum sit coram sacerdote non parocho, et a parocho non delegato, aut sine testibus, aut coram unico tantum teste. Præterea clandestinum contrahentes, graviter peccant, et ab Episcopo graviter sunt puniendi (1).

(1) Trid. sess. 24, c. 1, de ref. matr.

TITULUS V.

DE DISPENSATIONE A MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

Summarium : 413. Quando Ordinarius possit dispensare in impedimentis impedientibus? — 414. Nemo potest dispensare in impedimentis dirimentibus juris naturalis et divini. — 415. In quibus impedimentis juris humani non soleat Papa dispensare? — 416. Papa post contractum matrimonium facilius dispensat. — 417. Ex quibus causis soleat dispensare ad matrimonium contrahendum? — 418. Quomodo dispenset? — 419. In quibus casibus dispenset per S. Pœnitentiariam? — 420. Quis, et quomodo possit dispensationem petere? — 421. Clausulæ in rescripto dispensationis insertæ sunt observandæ. — 422. Quando Papa est dispensaturus per Datariam, quæ sint in libello exponenda? — 423. Quomodo a Dataria dispensatio concedatur? — 424. Dispensatio solet continere gratiam per executorem faciendam. — 425. Quomodo matrimonii revalidatio fiat? — 426. Quid importet dispensatio in radice? — 427. An episcopus queat in impedimentis dirimentibus dispensare?

413. Impedimenta matrimonii, ut jam diximus, alia sunt impedientia, alia dirimentia. Super impedientibus tantum regulariter dispensat Episcopus, quod jus ex longæva et generali consuetudine est eidem acquisitum. Nihilominus non dispensat in voto castitatis et ingrediendæ Religionis, quod est reservatum summo Pontifici, si sit perpetuum et absolutum : unde si temporale sit, vel conditionatum cessat exceptio. Non dispensat in sponsalibus legitime contractis, quia conventionum vim, contrahentibus invitis, evertere nequit, licet possit quandoque declarare, sponsalium obligationem esse rescissam, cum adest aliqua justa causa ex supra expositis. Non dispensat super hæresi, neque super dissensu parentum, cum juste dissentiunt, neque super defectu status liberi, neque proprie super aliis impedimentis ultimo loco enumeratis (1).

(1) Sed quoad statum liberum hoc est adnotandum, quod ubi quis ob incertam vagationem, vel ob moram in dissitis regionibus, vel ob aliam causam, sit in morali impossibilitate probandi per testes, vel

per Ordinariorum attestationes suum statum liberum, potest episcopus ex S. Congregationis concessione eumdem admittere ad præstandum juramentum suppletorium, quo ad S. Dei Evangelia suo juramento testetur, se liberum esse ab omni matrimonii vinculo. Hæc facultas solet Episcopis concedi ad triennium; et hac ipsa facultate episcopi non possunt uti, nisi agatur de personis bene moratis, in quibus perjurii periculum absit.

414. Similiter super impedimentis dirimentibus datur quandoque dispensatio, quæ ex communi Doctorum sententia tunc solum potest habere locum, cum ex lege ecclesiastica impedimenta sunt constituta. Idcirco in impedimentis juris naturalis et divini nulla potest esse dispensatio, cum inferior uti concilium Generale, aut summus Pontifex, legem superioris, nempe Dei, tollere, vel in ea dispensare nequeat. Hujusmodi autem juris naturalis impedimenta sunt, veluti error circa personam, cognatio naturalis in linea recta, et in linea transversali in primo gradu, affinitas ex matrimonio item in linea recta in primo gradu, vis, metus, ligamen ubi matrimonium sit consummatum, et impotentia.

415. Sed juvat ulterius animadvertere, quod etiamsi lex impedimenti humana auctoritate queat auferri, in ea tamen interdum dispensari non solet. Hinc licet possit, tamen non solet Papa dispensare pro foro externo super impedimento criminis, si alteruter ex conjugibus in mortem alterius conjugis defuncti efficaciter conspiraverit, super impedimento Ordinis, votique solemnis, super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ transversæ, nisi utilitas, et necessitas publica dispensationem suadeat, super impedimento consanguinitatis in primo gradu, et secundo mixto lineæ transversæ, nisi necessaria videatur dispensatio ad vitæ periculum a propinquis minitatum evadendum (1), ac denique super impedimento cognationis spiritualis ratione paternitatis, et filiationis, nempe inter baptizantem, ac patrinum ex una parte, et baptizatam ex altera, quia cognatio hæc assimilatur generationi, licet aliud obtineat in eadem cognatione ratione compaternitatis orta, ut inter patrinum, et baptizantem ex una parte, et baptizati matrem ex altera, in qua facile dispensatio obtinetur.

(1) Epist. encycl. Gregorii XVI, diei 22 April. 1846.

416. Dispensatio, ubi potest, et solet habere locum, aut quæritur matrimonio jam contracto, aut ad matrimonium contrahendum. Si quæratur, matrimonio jam contracto, facilius dispensat summus Pontifex in impedimento, in quo soleat dispensare, etiam ex sola ratione jam contracti matrimonii, maxime si sit consummatum, modo bona fides adsit ex unius saltem conjugis parte. Si vero quæratur ad matrimonium contrahendum aliqua justa causa ad dispensandum requiritur (1).

(1) Huc spectat decretum Tridentini in Sess. 24, c. 5, de ref. matr. sic conceptum : *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat. Quod si ignoranter id fecerit : siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis ; non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta timere contempsit ; si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur.* Hic notandum, quod Tridentinum per verba, *intra gradus prohibitos*, intelligit omne impedimentum dirimens. Barbosa ad cit. cap. 5 et per verbum *gratis* prohibet executori episcopo, aut Vicario Generali aliquid propter executionem accipere etiam sponte oblatum. Nihilominus licet notario pro suo labore accipere quartam partem aurei, sive ducati, ut declaravit S. Congregatio ; immo et majorem summam ex legitima consuetudine probatam notario tantum concedit Reiffenstuel in Append. ad lib. 4. Decret. § 7, n. 316.

417. Plures ex hujusmodi causis a Pragmaticis recensentur, quas juvat breviter citare. 1ª Causa est bonum pacis, ut si, mediante matrimonio, gravis lis inter sponsorum parentes, aut affines possit componi, aut gravis inimicitia extingui, aut pax inchoata confirmari. 2ª Angustia loci, ut si in civitate, quæ tercenta, ut dicunt, focularia non excedat, aut in pago, vel oppido, puella sponsum sibi parem non inveniat, nisi consanguineum, vel affinem, vel alio impedimento devinctum (1). 3ª Defectus competentis dotis, ob quem puella deberet vel innupta manere, vel impari nubere, maxime si sponsus vel alius paratus sit eam dotare : 4ª Ætas fœminæ, quæ usque ad annum vigesimum quartum innupta mansit. 5ª Prærogativa per-

sonæ, ut Regis, aut Principis. 6ª Conservatio familiæ illustris et nobilis. 7ª Excellentia meritorum in Ecclesiam, ut si quis Ecclesiam strenue defenderit. 8ª Infamia mulieris ex nimia cum sponso habita familiaritate orta, quæ patrati sceleris suspicionem licet falsam in populo ingesserit. 9ª Proles jam suscepta, et etiam copula habita, ut per matrimonium damnum et infamia reparetur, modo scelus commissum non sit sub spe facilius hac de causa obtinendæ dispensationis, quo casu in confidentia peccantes dispensatione carent, nisi hæc circumstantia fuerit in libello supplicationis expressa, et Pontifex etiam super ea dispensaverit (2). 10ª Evitatio alicujus gravis damni, aut scandali, ut si locus, in quo degit puella, sit ad littus maris, et piratarum acatholicorum incursionibus expositus, si vidua filios ex alio matrimonio susceptos rite nequeat educare, si puella sit utroque orbata parente, vel saltem patre, et si adsit periculum perversionis in fide. Denique Doctores ut causam citant eleemosynam, sive taxam pecuniariam, quæ dispensatis imponi solet, ut in pios usus, ad commune Ecclesiæ bonum impendatur (3).

Non tamen ex unica, et qualibet harum causarum super quolibet impedimento, et cum qualibet persona summus Pontifex dispensat; sed sæpe unica causa non sufficit, quæ alteri adjuncta prodest ob regulam juris, *singula, quæ non prosunt, simul collecta juvant* (4). Quamvis propterea sola ætas viginti quatuor annorum in fœmina ad obtinendam dispensationem in secundo simplici consanguinitatis gradu non sufficiat; juvat tamen alteri adjuncta, et sufficit sola ad dispensationem in secundo et tertio mixto, et a fortiori in tertio simplici obtinendam. Unde quo majus est impedimentum, eo gravior requiritur causa; et gravior causa requiritur pro consanguinitate, quam pro affinitate, gravior pro secundo, quam pro tertio gradu, adeo ut si impedimentum sit ex minoribus, ut affinitatis, aut consanguinitatis in quarto gradu simplici lineæ transversæ, vel publicæ honestatis ex puris sponsalibus, vel cognationis spiritualis ex sola compaternitate, vel cognationis legalis, quæcumqua rationabilis causa sufficiat (5).

(1) Quod dicimus de angustia loci intelligitur de loco originis, et

non de loco domicilii, quia si respectus haberetur ad locum etiam domicilii, facile esset invenire causam dispensationis : sufficeret enim in locum angustum domicilium transferre. Præterea licet angustia loci sit eadem, sive agatur de civitate, sive de oppido ; tamen ex stylo curiæ inductum est, ut tantum civitatibus episcopalibus, earumque suburbiis per milliare circiter non distantibus denegetur angustia loci, nisi probetur, ipsas civitates tercentum focularia, sive familias non excedere. Hinc quando ob angustiam loci dispensationes conceduntur pro civitate, in litteris dispensationis solet apponi clausula, *dummodo præfata civitas tercentum focularium numerum non excedat*. Pro aliis vero locis etiam insignibus et amplis causa angustiæ loci, ut olim, ita et nunc admittitur. De Justis de disp. mat. l. 3, c. 2, n. 4. — (2) Hæc est una ex urgentioribus causis in quibus Papa solet etiam in propinquis gradibus dispensare, nam damnum illatum alio modo reparari non potest. Sed si copula habita sit sub spe *facilius* obtinendæ dispensationis, dispensatio redditur difficilior, quia factum continet scandalum, et dat ansam peccandi. Unde Papa non intendit dispensare, nisi factum exponatur, et quando dispensat taxam, et pœnitentiam auget. Quare prava hæc intentio, etiamsi ex parte unius tantum adfuerit, et copula sit occulta, est exponenda, alias dispensatio obreptitia, et nulla foret. Si hæc intentio prava sit occulta, et copula publica, post nulliter obtentam a Dataria dispensationem, potest pro sanatione recursus fieri ad S. Pœnitentiariam. Benedictus XIV Inst. 87, n. 17. Ex quo fit, quod quando in similibus Papa dispensat, soleat apponere clausulam : *et recepto juramento ab eis, quod sub spe facilius obtinendæ dispensationis incestum non commiserint*. At notandum illud verbum *facilius* : nam illi, qui dum carnaliter peccant, per accidens spem habent obtinendi dispensationem, non ideo peccant, ut facilius dispensationem obtineant, et non existimantur dispensatione indigni. Reiffenstuel loc. cit. n. 349. — (3) Id. loc. cit. § 3, n. 39 et seqq. — (4) L. 5, cod. de prob. — (5) Similiter in pari casu facilius pro magnis Principibus, quam pro nobilibus, facilius pro his, quam pro aliis regionis illustrioribus personis, et facilius pro his, quam pro reliquis de populo, et pauperibus dispensatio conceditur, quia cum illi plusquam isti ad Ecclesiæ bonum conferant, plus quoque sunt ab Ecclesia adjuvandi. Reiffenstuel cit. loc. n. 99 et seqq.

418. Summus Pontifex super matrimonii impedimentis solet dispensare, aut per S. Pœnitentiariam, si impedimenta sint occulta, aut per Datariam, si sint publica. Impedimentum autem dicitur occultum, quando adeo est secretum, ut nulla ratione possit probari, vel quando cognoscitur a paucis, ut a quatuor, vel quinque personis spectatæ vitæ et fidei, ita ut nullum sit

periculum publicationis : si enim agnosceretur a levibus mulierculis, aut homuncionibus, qui nequeunt silere, quod est proferre nefas, adhuc haberetur publicum, licet actualiter tale non esset. In hoc tamen sæpe variant Doctorum sententiæ; ideoque in casu practico ab Episcopo definitio erit petenda (1).

(1) Hac de re videndus Benedictus XIV in sua Institutione 87 a n. 40 et seqq., ubi ex doctrinis eorum qui insignes Pœnitentiariæ ministri fuerunt, plura dubia solvit circa definitionem occulti impedimenti, et ultimo suam profert sententiam.

419. S. Pœnitentiaria dispensat jure ordinario in occultis impedimentis impedientibus, et etiam in dirimentibus, in quibus solet dispensare summus Pontifex, tum ad contrahendum, tum ad revalidandum matrimonium (1). At in casu matrimonii contrahendi excipiuntur impedimenta in quolibet gradu consanguinitatis, affinitatis ex matrimonio, et cognationis spiritualis, in quibus jure ordinario non dispensat, ea forte ratione, quia licet hæc impedimenta in facto, et per accidens sint occulta, in jure tamen sunt publica (2). In casu vero matrimonii revalidandi, ac proinde jam nulliter contracti, excipiuntur impedimenta primi et secundi gradus, nec non secundi tantum consanguinitatis, et affinitatis ex matrimonio, nisi putati conjuges cum occulto impedimento per decennium publice vixerint ut legitimi : hoc quidem in themate etiam super dicto secundo simplici gradu Pœnitentiaria dispensat (3). Diximus *jure ordinario*, nam extra ordinem ex speciali summi Pontificis concessione interdum dispensat etiam in impedimentis publicis, quod cum facit, solet rescriptum ita inchoare : *Ex audientia Sanctissimi*, vel alio modo specialem Papæ auctoritatem indicat.

(1) Immo quandoque, sed raro, dispensat etiam super occulto impedimento criminis, altero, vel utroque machinante in mortem conjugis, tam in contractis, quam in contrahendis matrimoniis, dum in hoc eodem crimine publico non dispensat Dataria, quia non videtur permittendum matrimonium eorum quos publice constat ad matrimonium inter se contrahendum proprios conjuges interfecisse. At quando Pœnitentiaria in hoc occulto crimine dispensat requirit necessitatem alicujus gravis imminentis periculi, et dispensatio dari nequit, nisi prius, re discussa in cætu Congregationis Signaturæ,

quod non est observandum, si agatur de solo crimine adulterii cum fide. Benedictus XIV cit. Inst. 87, n. 21. — (2) Bul. *Pastor bonus* Benedicti XIV. -- (3) In reliquis vero gradibus, veluti in tertio, et quarto dispensat, excepto casu, quo adsit falsitas in narratione præcedentis copulæ in supplicatione facta Datariæ, ut si exposita fuisset copula, quæ non intervenerat ; nam in casu iterum ad Datariam recurrendum est. Benedictus XIV cit. Inst. n. 9 et 10. Item dispensat in omnibus gradibus affinitatis ex copula illicita. Reiffenstuel cit. loc. n. 419.

420. Licet quilibet queat per se, vel per amicum porrigere libellum supplicationis S. Pœnitentiariæ, et ab ea rescriptum obtinere, quo dispensandi facultas alicui Confessario a supplicante eligendo committatur : hoc tamen pium ministerium ad parochos, et confessarios specialiter spectat, qui, si ad Pœnitentiariam recurrant, facile et gratis ad dispensandum deputantur, sed debent in libello accurate proponere : 1° speciem, et numerum impedimentorum, et quidem in eadem supplicatione ; 2° justam dispensandi causam, ut sunt omnes supracitatæ, excepta ultima taxæ pecuniariæ, cum Pœnitentiaria gratis dispenset, et taxam non exigat; 3° an dispensatio petatur ad contrahendum matrimonium, vel matrimonio jam contracto; 4° an matrimonium contractum sit, factis vel dispensatis publicationibus; 5° an contractum sit bona, vel mala fide; 6° quo gradu consanguinitatis, vel affinitatis oratores sint conjuncti (1); 7° in cognatione spirituali an sit filiatio, vel compaternitas simplex (2); 8° in crimine, an sit cum vel sine machinatione. Denique, reticito nomine oratorum (3) et diœcesis, supplex libellus Majori Pœnitentiario porrigitur juxta formulas ab auctoribus traditas, in quibus juxta casus qualitatem necessaria exponuntur (4).

(1) Gradus tamen propinquior non est necessario exponendus, nisi sit primus : sufficit enim remotiorem exprimere, ex. gr. tertium, si oratores sint in secundo, et tertio; vel quartum, si sint in tertio et quarto. Nec est necessario exponenda copula, nisi habita fuerit sub spe facilius obtinendi dispensationem : tum quia expositio simplicis copulæ requiritur tantum in Dataria, cum copula publica est; tum quia declarationes S. Congregationis Concilii, quæ fiunt pro foro externo, non possunt applicari Pœnitentiariæ, quæ pro foro tantum conscientiæ dispensat. Quare, si post obtentam dispensationem a S.

Pœnitentiaria, et ante rescripti executionem, copula interveniat, vel repetatur, dispensatio valet, et potest executioni mandari. Reiffenstuel cit. append. n. 421. — (2) Filiatio habet locum inter patrinos, et baptizantem ex una parte, et baptizatam ac confirmatam ex altera, quia hæc est illis tamquam filia ; compaternitas vero inter patrinos, et baptizantem ex una, et baptizatæ, sive confirmatæ patrem ac matrem ex altera parte, quia hæ personæ sunt respectu ad baptizatam, et confirmatam tamquam compatres, atque commatres. Adjunximus verbum *simplex* ad illud denotandum, quod si hæc cognatio spiritualis oriretur simul a baptismo et confirmatione, id foret in supplicatione exponendum ; cum ex opposito nulla est necessitas exponendi, an unus tantum, vel plures filii sint de sacramento suscepti, quia cognatio ex eodem fonte nata est semper eadem. Reiffenstuel loc. cit. n. 201. — (3) Sæpissime orator est tantum unus, cum alter conjux est impedimenti nescius, et tam in hoc, quam in aliis casibus occultis impedimentum sub arcani lege est religiose custodiendum. Unde in supplicatione nomen oratorum nequit exponi ; sed loco nominis ponitur littera N. vel NN. et potest etiam adjungi fictum nomen ex. gr. Titius vel Sempronius. — (4) Reiffenstuel in cit. append. n. 426. S. De Ligorio in Theol. mor. l. 6, n. 1147. Litteræ supplicationis scribuntur, ut plurimum sermone latino ; sed possunt etiam scribi alio sermone nationali, italico ex. gr. aut gallico, etc. Inscribuntur, et diriguntur, *Ad eminentissimum D. Pœnitentiarium Majorem Romam,* et ut dispensatio possit redire in manus petentis adjicitur, ex. gr. *Eminentia vestra dignetur responsum dirigere Genuam ad me infrascriptum N. N.*

421. Accepto a S. Pœnitentiaria rescripto, ejus clausulæ sunt observandæ, et fideliter executioni mandandæ. Tale rescriptum ita dari solet : *Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario,* et quandoquæ adjungitur qualitas Doctoris in S. Theologia, aut in Jure Canonico. In hoc posteriori casu, qui non habet hanc designatam qualitatem, non potest valide dispensare, nisi aliunde alio fruatur privilegio, sed debet rescriptum alteri Sacerdoti remittere, qui talem habeat qualitatem, quique dispenset (1). At necesse semper est, ad valide dispensandum, ut executor ita designatus habeat actu facultatem ab Ordinario audiendi confessiones illius, cum quo debet dispensare ; neque sufficit ad dispensandum cum fœminis sola potestas audiendi confessiones virorum, neque vicissim (2). Tale insuper rescriptum inter alias sequentes continet clausulas : *Si ita est,* de qua jam egimus in titulo de Rescriptis ; *Audita prius Sacramentali confessione,* ex qua sequitur dispen-

sationem esse concedendam in ipso pœnitentiæ tribunali ; et *injuncta gravi pœnitentia salutari,* quæ vel a Pœnitentiaria determinatur, vel determinanda ipsi executori relinquitur. Quare si rescriptum sit obreptitium, vel subreptitium, si extra confessionem dispensetur, aut debita pœnitentia non imponanatur, dispensatio fit irrita atque nulla. Ante dispensationem tamen in ipso actu confessionis danda est absolutio a censuris : expedit quoque, ut detur absolutio a peccatis; sed si pœnitens non esset dispositus, et mora nequiret necti, etiam absque prævia absolutione a peccatis, valeret ab impedimentis dispensatio, cujus formulam exhibet Benedictus XIV, qui de hac materia late et sæpientissime more suo pertractat (3). Data demum dispensatione, litteræ a S. Pœnitentiaria acceptæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sunt lacerandæ, vel comburendæ, ne ullum earum maneat vestigium (4) : nam dicta dispensatio prodest tantum pro foro interno. Unde si impedimentum ex occulto fiat publicum, pro foro externo est iterum ad Datariam recurrendum ad dispensationem obtinendam.

(1) Benedictus XIV, cit. Inst. 87, n. 32. — (2) Id. ib. n. 31. — (3) Id. ib. per tot. Si agitur de ineundo matrimonio, executor confessarius post consueta verba absolutionis a censuris, vel etiam a peccatis, hæc addet : *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento N.* (hic nominatur impedimentum), *ut præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere N. publice, servata forma concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis, et valeas. In nomine Patris,* etc. Si vero agitur de matrimonio jam contracto, eadem adhibetur formula, omissis verbis : *publice, servata forma concilii Tridentini contrahere.* Et postea in utroque casu executor confessarius adjungit : *Insuper eadem auctoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, (vel quam suscepisti, et susceperis) legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris, etc.* Hæc ultima clausula in dispensatione ad contrahendum apponitur, ut salvetur, quantum fieri potest, legitimitas prolis, si postea impedimentum fiat publicum. In dispensatione vero post contractum matrimonium alia subjunguntur opera, ut est renovatio consensus ad matrimonium, ut infra videbimus. — (4) Hanc clausulam de litteris lacerandis solet Pœnitentiaria omittere, quando vir et mulier simul impudice viventes vulgo pro conjugibus putantur, quo casu non ipse confessarius rescriptum exequitur, sed parochus, qui matrimonium debet adno-

tare in consueto libro, et ideo easdem litteras, ut se tueatur, potest penes se custodire. Immo quando concubinarii pro veris conjugibus publice habentur, duas seorsum litteras dispensationis concedit; in primis dispensat, et jubet litteras lacerari; in secundis tribuit parocho facultatem, ut ineatur matrimonium coram se, et testibus, absque mandato eas lacerandi, simulque jubetur in libro adnotare idem matrimonium ea diligentia, quam Benedictus XIV præscribit de matrimoniis conscientiæ. Giraldus ad cap. 5, de secundis nupt. append. 2. Sed adhuc est notandum, quod quando litteræ dispensationis sunt rigorose lucrandæ, non est prohibitum earum copiam pro propria, aliorumque instructione et memoria condere et servare, modo non sit copia in forma authentica. Reiffenstuel in cit. append. n. 483.

422. Dataria Apostolica dispensat in impedimentis publicis. Libellus ad hoc opus eidem offerendus debet continere : 1° Speciem, et naturam impedimenti, vel impedimentorum, si plura sint, una cum linea et gradibus ex utraque parte (1). Sed si horum impedimentorum aliud sit publicum, et aliud occultum, quæritur a Dataria dispensatio in publico, et a Pœnitentiaria in occulto, ita tamen ut Pœnitentiariæ significetur dispensatio quoad publicum jam a Dataria petita et obtenta. 2° Nomen et cognomen Oratorum una cum designatione diœcesis, ad quam pertinent : nam error in nomine oratorum ex stylo Curiæ vitiat rescriptum, nisi error sit tantum accidentalis in aliqua syllaba, ut si scribatur Antoninus pro Antonio; item error in nomine diœcesis, quia hoc casu delegatio non potest exequi ab Ordinario oratorum, cui non fuit commissa, neque ab alio, cui fuit per errorem facta. 3° Causam dispensandi, quæ potest esse *motiva* et *principalis,* ut sunt supradictæ, quando singillatim proponuntur ; vel tantum *impulsiva* et *secundaria :* causa motiva et finalis falsa vitiat dispensationem, quia, ea non exposita, dispensationem Papa non dedisset; causa vero impulsiva falsa regulariter dispensationem non vitiat (2) : nam Pontifex ab ea ad dispensandum non movetur, et, ea etiam non exposita, adhuc dispensasset, licet non tam facile et cito (3). 4° Incestuosum commercium inter oratores habitum ante matrimonium ; et post matrimonium, an illud cum mala, vel bona fide in faciem Ecclesiæ contraxerint. 5° Denique declarationem status fortunarum ipsorum orato-

rum, ut agnoscatur, quomodo dispensatio sit concedenda, an in forma ordinaria, an in forma pauperum (4).

(1) Diximus *ex utraque parte*, nam licet ex regula alibi tradita quoto gradu remotior distat a stipite, eodem contrahentes distent inter se; ad obtinendam tamen a Dataria dispensationem propinquior etiam gradus est exponendus, quia ex stylo Curiæ per dispensantem declarandum est, propinquiorem gradum non obstare, cum difficilius dispensetur, prout propinquior gradus communi accedit stipiti, cumque videatur fraude agere, et scandalum præbere, qui propinquiorem gradum omittit. Hoc probatur ex communi Doctorum sententia, et ex bul. *Sanctissimus* S. Pii V, quamquam, ut jam vidimus, aliter obtineat in dispensationibus S. Pœnitentiariæ pro solo foro interno. Hinc qui sunt in quarto gradu cum primo mixto debent primum gradum exponere, quia dispensandum est in utroque gradu, aliter dispensatio est invalida; cit. bul. S. Pii V. Qui vero sunt in quinto gradu cum primo nulla indigent dispensatione, quia extra quartum gradum nulla extat amplius prohibitio, licet in quibusdam diœcesibus ex consuetudine declaretur gradum prohibitum matrimonio non obstare. Illi autem qui sunt in quarto cum tertio mixto, vel tertio cum secundo debent obtinere S. Sedis declarationem, tertium, vel secundum gradum matrimonio non obstare. Reiffenstuel cit. app. n. 170. — (2) S. Cong. Conc. in una *Pratensi* 5 jul. 1722. Richter ad sess. 24, de ref. matr. n. 126. — (3) Veritas causarum inspicienda est maxime tempore executionis. Propterea si causa vera erat tempore supplicationis, et tempore executionis deficiat, ut si puella prius indotata, postea dotem, vel hæreditatem consequatur, dispensatio exequi amplius nequit. Quod si post executionem dotem vel hæreditatem obtineat, vel alia quæcumque causa deficiat, ad matrimonium procedi potest; nam gratia dispensationis jam fuit perfecta et completa, et nequit amplius impedimentum reviviscere Reiffenstuel loc. cit. n. 204 et 229. Hæc vera sunt, cum dispensatio datur in forma commissoria, ut generaliter fieri solet; nam si Papa immediate per se dispensaret, tunc solum tempus factæ dispensationis foret inspiciendum.— (4) Id. loc. cit. § 4; per tot.

423. Dicitur a Dataria dispensatio concedi in forma ordinaria, cum solvitur a dispensatis solita pecuniæ taxa, sive *compositio*, sive *componenda*, ut varie nuncupatur; quæ diversimode diversis aptatur casibus. Dicitur deinde in forma pauperum concedi, dum agitur de pauperibus, et miserabilibus personis, quæ ex suo labore et industria tantum vivunt. Similes quidem sponsi, si uterque similis conditionis sit, solvunt componendam omnino tenuem. Attamen hac dispensandi

forma regulariter Dataria non utitur, nisi ex causa infamiæ mulieris ob nimiam familiaritatem, et ex causa prolis jam susceptæ. Observandum insuper quod concessa dispensatio strictioris est interpretationis ; et facilius hæc rescripta, quam cætera, obreptione, aut subreptione vitiantur. Debent sane copulative dictæ conditiones concurrere, ut scilicet oratores sint pauperes et miserabiles, et suo labore ac industria tantum vivant. Tales autem habentur, qui, detractis omnibus oneribus, bona non possident ultra quinquaginta aureos, quive in bonis non habent, unde absque labore ad bimestre vivant. Hæc certitudo ex depositionibus duorum saltem testium juxta instructionem Urbani VIII examinatorum est deducenda, et Datariæ per Episcopum declaranda (1). Si vero non omnino pauperes sint oratores, adhuc juvat eorum parvum patrimonium Datariæ referre, ut solita in proportionata parte minuatur taxa (2). Et si paupertas sit omnino extrema, adhuc juvat eam exponere, tum quia facilius adhuc a Dataria, et quandoque etiam a Pœnitentiaria pro foro interno et externo ex speciali Pontificis concessione dispensatur.

(1) Hæc Urbani VIII instructio est tenoris sequentis : « In primis « testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præsertim negotio.... Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio et habitatione. Inter. an sit civis, vel exterus ; et quatenus sit « exterus, a quanto tempore sit in loco, in quo deponit. Inter. an « ad examen accessivit sponte, vel requisitus. Inter. an sibi pro « hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum « vel oblatum a contrahere volentibus. Inter. an cognoscat ipsos « contrahere volentes, et a quanto tempore : si responderit negative, « dimittatur ; si responderit affirmative. Inter. quid sponsus in omnibus suis bonis generis cujuscumque possideat, et ad quem valorem ; et in causa scientiæ. Inter. quid si bona prædicta locarentur, annuatim ex illis percipere posset ; et in causa scientiæ « Inter. an alibi alia bona habeat, ex quibus majores fructus percipere posset ; et in causa scientiæ ; Inter. an esse possit, quod « sponsus alia bona possideat, ipso teste ignorante ; si negaverit, « det rationem suæ negativæ. Inter. an sciat quam dotem habeat « sponsa, vel alia bona, et in quo dos consistat, an in mobilibus « vel immobilibus. Inter. quid dotem locando, percipere posset « annuatim ; et in causa scientiæ Inter. quæ onera tam sponsus, « quam sponsa habeant super bonis prædictis, tam ordinaria, quam « extraordinaria ; et in causa scientiæ Inter. an sciat inter oratores

« aliquod parentelæ vinculum intercedere, et quale; si affirmative. « Moneantur (testes) declarare arborem, et dicere, quas personas ex « illa cognoverint, et quomodo ab illis reputarentur. Inter. an ora- « tores orthodoxæ fidei cultores existant, et in causa scientiæ. Inter. « an ipsi testes in Paschate communicaverint. » Postquam vero rescriptum dispensationis obtentum executioni mandandum erit, Ordinarius ipsos testes debet advocare, et interrogare : 1° an a se super disposita ratificent, vel aliquid addendum, vel detrahendum habeant, et quid ; 2° an sciant, vel dici audierint, quod oratores ab illo tempore, quo testes fuerunt examinati, acquisiverint alia bona, ex quibus majores fructus percipere possent, et quæ, et quos fructus percipere possent ; 3° an esse possit, quod alia bona acquisiverint, ex quibus majores fructus percipere possent, testibus ignorantibus. Deinde ex responsis Ordinarius judicabit, an pro veritate precum probanda alii testes advocandi sint, vel non. Reiffenstuel cit. append. n. 402 et seqq. — (2) Id. eod. loc. n. 387.

424. Rescripta Pontificis dispensationum in matrimonii impedimentis non solent continere gratiam factam, sed gratiam per executorem faciendam (1). Hæc quidem committi solent Vicario Generali illius diœcesis, ad quam pertinet sponsa, non vero Vicario Capitulari, si vacat Sedes episcopalis, qui ulterius nequit executioni mandare rescripta ad priorem Vicarium Generalem directa : vacante enim Sede, prædicta rescripta committi solent Vicario Generali Episcopi vicinioris, non autem Vicario Capitulari (2). Quare si antequam rescriptum sit executioni mandatum, status rei mutetur, rescriptum corruit et exequi amplius nequit (3); sed necesse est iterum ad summum Pontificem recurrere pro novo rescripto, quod ex Stylo Curiæ *Perinde valere* appellatur. Mutatio vero post executionem suborta non potest amplius nocere, nisi novum sit impedimentum. In executione tenetur executor accurratissime rescripti clausulas, sive formulas observare, quæ maxime in rescriptis Datariæ plures sunt (4).

(1) In quæstione an executor litterarum dispensationis ad matrimonium habeat jurisdictionem, vel nudum ministerium, respondemus cum sæpe citato Reiffenstuel loc. cit. n. 353, habere jurisdictionem in examinando, et informationes capiendo, an preces veritate nitantur ; et habere nudum ministerium in imponendo pœnitentiam, absolvendo, dispensando, prolem legitimam nunciando. Ex hoc sequitur, executorem posse subdelegare alteri, quæ ad jurisdictionem

pertinent ; non vero, quæ pertinent ad nudum ministerium, quia certum ministerium alicui commissum alteri delegari non potest. Cap. fin. § ult. de offic deleg. — (2) Ex moderna tamen praxi nobiscum observata hujusmodi litteræ pro earum executione Vicario Capitulari committuntur sub has forma : *Dilecto filio Vicario a dilectis filiis Capitulo, et Canonicis majoris Ecclesiæ N. illius sede archiepiscopali vacante, legitime deputato.* — (3 Ut si supplicatum sit propter capitales immicitias, quæ jam pacis fœdere sedatæ sunt. — (4) Quæ gravioris momenti in his clausulis continentur, sunt : 1° Pontifex absolvit oratores a quibusvis censuris ad effectum consequendi dispensationis gratiam ; sed hæc absolutio quibusdam non prodest, quos supra enumeravimus in n. 298 ex regul. Cancel. edit. a Clemente XIV anno 1769, § 66 in Bul. nov. tom. 4 pag. 14. 2° Ponit clausulam, *si preces veritati niti repereris*, quæ ex communi Doctorum sententia importat conditionem præviæ cognitionis, sine qua dispensatio non valet, licet in precibus veritas adsit. Causæ tamen cognitio assumitur extrajudicialiter, et etiam per delegatum : sed si adesset contradictor, posset etiam judicialiter fieri. 3° Si exigit dotem, vel augumentum dotis, non potest dispensatio conedi, nisi dote realiter constituta vel adaucta. 4° Si dispensat propter ætatem sponsæ, annus vigesimus quartus debet esse completus, secus dispensatio non valet. 5° Si dispensat propter infamiam mulieris, et ne scandala oriantur, non est necesse, ut sint præsentia vel certo obventura, sed sufficit si horum probabilis timor adsit. 6° Si incestuosi jubeantur absolvi per Curiæ decretum, extra confessionem absolvuntur, modo delictum ad judicem delatum non sit, et de eo adhuc judicium non pendeat. 7° Si imponat publicam pœnitentiam, ea ante dispensationem est exequenda ; si pœnitentiam salutarem tantum imponat, dispensatio valet sine pœnitentia, quia illa, non hæc conditionem affert. 8° Si dispenset in uno impedimento et gradu, dispensatio non prodest pro alio, ut si dispenset super consanguinitate, dispensatio non prodest pro affinitate etiam in eadem gradu ; excipe nisi dispenset in propinquiore gradu alicujus impedimenti, quia dispensatio per se ad remotiorem trahitur, cum remotior gradus in propinquiore contineatur. Reiffenstuel loc. cit. n. 310 et seqq. et n. 216.

425. At quando dispensatio datur, matrimonio jam contracto, executor, facta dispensatione, debet satagere, ut matrimonium, quo citius fieri poterit, revalidetur. Revalidatio autem fit per novum utriusque sponsi consensum, qui, si agatur de impedimento publico, emittendus est coram parocho et testibus ad formam Concilii Tridentini; nam cum primum matrimonium publice sit nullum, publice quoque coram parocho

et testibus revalidari debet. Si vero agatur de impedimento occulto, sufficit, si sponsi sine parochi testiumque præsentia novum sibi præbeant matrimonii consensum de præsenti; nam hoc casu matrimonium publice consideratur ut validum, et insuper dispensatio occulti impedimenti a S. Pœnitentiaria concessa in foro exteriori non prodest (1).

Novus utriusque conjugis consensus requiritur, sive uterque, sive unus tantum sit impedimenti conscius, quia novum matrimonium sine novo conjugis utriusque consensu esse non potest. Ac revera rescriptum dispensationis semper executori mandat, ut antequam deveniat ad revalidandum matrimonium pars impedimenti ignara *certioretur* de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut delictum nusquam detegatur. Hinc si ex præscripta *certioratione* nullius detegatur delictum, nec damnum aut scandalum immineat, quia conjux impedimenti ignarus paratus est libenter in præsens matrimonium novum consensum præbere (2), nulla est difficultas; sed conjux impedimenti ignarus de nullitate prioris consensus prudenter et caute est certiorandus, novumque deinceps ineundum matrimonium (3). Si vero conjux impedimenti ignarus taliter ex conjecturis moraliter certis animo judicetur dispositus, ut certior de matrimonii nullitate factus novum consensum dare recuset, et matrimonii solutionem reclamet cum magno fidelium scandalo, filiorumque damno, difficultas magna est, quam variis modis solvere nituntur Doctores, quorum sententias refert Benedictus XIV (4), et hic non vacat afferre. Dicimus tamen in hac gravissima difficultate securius esse medium iterum recurrendi ad Pœnitentiariam cum accurata descriptione status rei, omnium difficultatum, et periculorum, ut aliquid de severitate remittat, vel a summo Pontifice ob naturalem consensum ab initio ad matrimonium præstitum a nova præstatione consensus dispensationem obtineat, quam dispensationem Doctores vocant *in radice* (5).

(1) Benedictus XIV Inst. 87, n. 62 et seqq. — (2) In hoc casu sufficiens certioratio erit, si conjux impedimenti conscius alteri conjugi ignaro impedimenti non veram impedimenti causam manifestet, quam Pœnitentiaria vult semper occultam; sed declaret libere, et aperte, se non rite matrimonio consensisse: ideoque ex consilio

confessarii, et ad internam animi tranquillitatem obtinendam oportere, ut ambo consensum in matrimonium renovent, et inde dicat. *Rogo te, ut de novo contrahas mecum, meque in conjugem novo consensu accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio* : quod si alter respondeat, *placet, consentio, de novo te in conjugem accipio*, etc. res in tuto est, et matrimonium rite revalidatur. Sic enim impedimenti ignarus de matrimonii nullitate recte certioratur, et delictum non detegitur. Neque per hoc timendum mendacium : nam verum semper est, quod ubi adest impedimentum dirimens, rite in matrimonium consensus non datur. Reiffenstuel loc. cit. n. 596. Giraldus ad cap. 5 de secund. nupt. append. 2, n. 5 et Benedictus XIV cit. Inst. n. 78. — (4) Inst. cit. n. 71 et seqq. — (5) Giraldus loc. cit.

426. Hæc dispensandi in radice forma in eo consistit, quod Pontifex in casu particulari abrogat legem afferentem impedimentum, et irritat, vel revocat omnes effectus, quos in eodem casu ipsa abrogata lex jam produxerat. Ideo patet, dispensationem in radice matrimonii illud idem efficere, ac si ante matrimonium impedimenti lex fuisset sublata. Sed hoc extraordinario remedio summus Pontifex uti non solet, nisi ex gravi et urgenti causa (1), ut si impedimentum absque gravibus incommodis altericonjugi manifestari nequeat, vel conjux volens matrimonium, nolit renovare consensum, vel demum non expediat conjuges in eorum bona fide turbare, quia monitio non sit profutura, quod ultimum debent confessarii diligenter meditari, ne materiale peccatum fiat formale (2).

(1) Pontifex tamen nunquam dispensat, si agatur de errore personæ, quia hic error ad jus naturale refertur. Giraldus loc. cit. — (2) De hac dispensatione, data opera, agit Benedictus XIV in bul. *Etsi matrimonialis*, et etiam de Synod. l. 13, c. 21, n. 7; et observamus ex hodierna S. Sedis praxi ex gravissimis causis, et in casibus extraordinariis quandoque episcopis facultatem concedi in radice dispensandi, ut hoc sæculo episcopis Galliæ pluries concessum fuisse testatur Auctor André verbo *Dispense* § 5.

427. Quæritur denique an Episcopus jure ordinario in dirimente matrimonii impedimento a lege ecclesiastica constituto queat dispensare? Ex communi Doctorum sententia respondemus: si impedimentum sit publicum, negative, quia Episcopus Ecclesiæ legem auferre non potest, nisi id fiat ex consuetu-

dine, aut ex tacita summi Pontificis voluntate (1). Si sit occultum, distinguimus. Aut agitur de matrimonio jam contracto, aut de matrimonio contrahendo. Si primum, potest dispensare, modo matrimonium in faciem Ecclesiæ, factis denunciationibus, et bona saltem unius conjugis fide contractum sit, et adsit ita gravis ac urgens dispensandi causa, ut absque gravi incommodo nequeat a S. Sede dispensatio expectari, quia Episcopus hoc casu præsumptam habet a summo Pontifice dispensandi facultatem adeo consuetudine firmatam, ut indultum videatur æmulari (2). Si secundum adhuc potest episcopus dispensare ob eamdem rationem, si adsit vere gravis et urgens necessitas, ut ad evitandum periculum mortis, ad legitimandam sobolem, et ad evitandam fœminæ infamiam. Sed hac facultate aut nunquam, aut rarissime utuntur Episcopi, et cum etiam eadem utuntur, illico ad S. Pœnitentiariam recurrunt ad dispensationem pro cautela obtinendam (3).

Solent tamen Episcopi a S. Sede obtinere specialem delegationem circa quædam occulta matrimonii impedimenta dispensandi, ut super affinitate ex illicita conjunctione producta, certis adhibitis cautelis, super crimine absque machinatione, super consanguinitate et affinitate tertii et quarti gradus, ubi dispensatio a S. Sede jam sit concessa, quæ ob reticitum incestum reperitur irrita, vel ob supervenientem incestum jam amplius nequit executioni mandari. Similes facultates, ut plurimum, respiciunt matrimonia jam contracta, et imponunt onus revalidationis, et ad contrahenda non referuntur, nisi in casu, quo omnia jam parata sint ad nuptias, quæ sine gravi scandalo differri nequeant, et in casu irritationis rescripti papalis dispensationis ob incestum (4).

(1) Revera S. Congregatio Concilii ratam habuit sequentem damnationem propositionis a S. Inquisitione factam : « Propositio asserens, episcopum posse dispensare in publico impedimento matri« monium dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, « sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in « qua contrahentes non possint expectare dispensationem sedis Apo« stolicæ, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, et seditiosa. » Richer ad sess. 24, n. 121. Exceptionem posuimus in casu legitimæ consuetudinis et tacitæ voluntatis summi Pontificis, qua olim frui vi-

debantur quidam Galliæ episcopi ; sed nunc ob concordatum anni 1801 quo antiquæ suppressæ sunt diœceses cum omnibus juribus, et privilegiis suis, ac novæ simpliciter erectæ, veteres consuetudines illæ videntur abrogatæ, et res ad jus commune restituta. — (2) Unde S. Congregatio interrogata : 1° an Episcopus dispensare possit in foro conscientiæ tantum in impedimentis dirimentibus matrimonium, et post ejus publicationem, ac confirmationem detectis ; 2° an possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium ? ad utrumque respondit : Non posse, secluso scandalo ; ideo potest, si scandalum adsit. Similiter interrogata : 1° an possit, quando ob moram habendæ dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiæ et scandali ; 2° an possit, quando impedimentum provenit ex parte fœminæ passuræ jacturam vitæ, famæ, et scandali, si illud detegeretur ? ad utrumque respondit : Affirmative, sed quoad forum conscientiæ tantum. Ita in una *Aegitanien.* 19 april. 1692. Richter loc. cit. n. 122. — (3) S. De Ligorio l. 6, n. 613 et 1122. — (4) Similes facultates concessæ fuerunt de triennio in triennium Placido Mariæ Tadini archiepiscopo Genuensi a S. Pœnitentiaria, *dispensandi super occulta impedimenta primi, nec non primi et secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto.... Item dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium absque periculo gravis scandali differri possit.... Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto.... Dispensandi denique super impedimento tertii aut tertii et quarti, vel quarti simplicis gradus, sive graduum consanguinitatis vel affinitatis, super quo, vel quibus obtenta fuerit dispensatio a Dataria Apostolica, et in litteris hujusmodi dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quæ tamen occulta remaneat ; ac etiam dispensandi, seu revalidandi litteras Apostolicas hujusmodi irritas, ac nullas redditas ex incestu sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eamdem executionem in casibus semper occultis, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de matrimonio jam contracto...*

TITULUS XI.

DE DIVORTIO.

SUMMARIUM : 428. Repudium ab Ecclesia non admittitur. — 429. Divortium quid sit et quotuplex? — 430. Matrimonium legitimum quomodo solvatur quoad vinculum per conversionem ad fidem? — 431 Ratum et non consummatum quomodo solvatur? — 432. Consummatum indissolubile est etiam ex jure divino. — 433. Quomodo fieri queat divortium quoad thorum? — 434. Quæ sint justæ hujus devortii causæ? — 435. Quot generum sint causæ matrimoniales, et a quo judice sint cognoscendæ? — 436. Coram quo judice proponenda sit instantia nullitatis matrimonii? — 437. Quomodo procedatur in causa separationis conjugum? — 438. Apud quem proles educanda sit post separationem?

428. Ex veteri novoque jure liquet, a contracto matrimonio sponsos quandoque recessisse per Repudium et Divortium, quod satis probant Digestorum, Codicis Justinianei, et Decretalium Summorum Pontificum singulares tituli, de divortiis et repudiis. Repudium *est renunciatio facta sponsalibus, aut matrimonio, et a sponso vel marito missa sponsæ, vel uxori* (1). Repudium erat apud Hebræos toleratum ; sed ab Ecclesia catholica numquam fuit admissum : nam Christus Salvator matrimonium ad primigeniam suam integritatem revocavit, cum Pharisæis interrogantibus, utrum liceret homini dimittere uxorem suam, et asserentibus a Moyse sibi factam fuisse potestatem dandi libellum repudii, et dimittendi uxorem, ita respondit : *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam , nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* (2).

(1) Ex Romanorum jure dabatur etiam e converso, scilicet a sponsa vel uxore, ipsi sponso vel marito, et in libello repudii pro sponsalibus hæc adhibebatur formula : *Conditione tua non utor;* pro matrimonio vero : *Tuas res tibi agito,* vel alia similis l. 2 ff. de divort. — (2) Matth. c. 19, et cap. 8 de divort

429. Divortium a jurisconsulto Gajo sic appellatum vel a diversitate mentium, vel quia in diversas partes eunt, qu distrahunt matrimonium, *est legitima separatio mariti, et uxoris ex justa causa a judice competente facta.* Dividitur autem ex jure canonico in divortium *quoad vinculum*, et in divortium *quoad thorum et habitationem.* Illud dicitur divortium quoad vinculum, quod, dissoluto matrimonii vinculo, dat conjugibus jus novi ineundi matrimonii ; illudque dicitur quoad thorum et habitationem, quod, stante matrimonii vinculo, dat conjugibus jus vivendi seorsum, vel quoad thorum tantum, vel quoad thorum, et habitationem simul.

430. Nunc agentes primo de divortio quoad vinculum opus est, ut jam citatam matrimonii divisionem in legitimum, ratum, et consummatum in medium afferamus : nam licet quodcumque matrimonium morte alterutrius conjugis omnino solvatur; quoad ipsam tamen solutionem aliis modis contingentem maximum est discrimen inter matrimonium legitimum, ratum, et consummatum. Et quidem matrimonium legitimum, quod inter infideles contrahitur, solvitur quoad vinculum per conversionem unius conjugis ad fidem catholicam, si pars, quæ remanet in infidelitate, nolit cum converso pacifice, et sine injuria Creatoris habitare. Aperta enim est in hac re D. Pauli sententia : *Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi ; in pace autem vocavit nos Deus* (1). Hæc tamen solutio non perficitur statim post receptum baptismum, sed tantum postquam infidelis a fideli interpellatus declaraverit expresse, aut saltem tacite, se nolle cum eodem pacifice habitare, et fidelis novum cum fideli matrimonium contraxerit (2). Hinc si ex opposito infidelis paratus sit cum converso pacifice habitare sine injuria Creatoris, et nullum sit mali aut perversionis periculum, non solvitur matrimonii vinculum, quod ita fuit ab eodem D. Paulo definitum : *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quæ mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* (3). Tanto itaque minus solvitur matrimonii vinculum, si uterque conjux infidelis ad

fidem convertatur, et baptismum recipiat; nam per Sacramentum baptismi non solvuntur conjugia, ut ait Innocentius III, sed dimittuntur crimina; quod verum est etiamsi conjuges in infidelitate matrimonium contraxissent cum aliquo impedimento dirimente juris tantum ecclesiastici; nam ex jam dictis infideles legibus ecclesiasticis non subjiciuntur (4). Eo tamen in casu, quo per conversionem ad fidem solvitur matrimonium, proles prius suscepta avellenda est ab infideli, et penes fidelem educanda est (5).

(1) I ad Corinth. c. 7; et cap. 7 de divort. — (2) Huc refertur declaratio S. Congregationis Concilii 27 juli. 1727, qua definivit, uxorem hebræam ad fidem catholicam conversam teneri ad recipiendum virum, quem reluctantem in judaismo reliquerat, et in eo aliam uxorem duxerat hebræam, postquam ipse vir, et ejus superinducta uxor fidem catholicam receperant. Richter cit. loc. n. 151 et 153. — (3) Ibid. — (4) Cap. 8 de divort. — (5) Cap. 2 de conv. infid. Hic in praxi notamus: 1° quod interpellatio infideli facienda duo debet comprehendere, an scilicet ipse velit ad fidem catholicam converti, et an saltem velit cohabitare sine injuria Creatoris; si vero in hac interpellatione esset defectus, timendum foret, ne novum matrimonium foret nullum: unde Gregorius XVI anno 1836, multa in radice revalidavit matrimonia in quibus dicta interpellatio rite facta non fuerat; 2° quod fidelis dispensatus ad contrahendum cum infideli non admittitur ad solvendum matrimonium, si infidelis injuriam Creatori afferat; sed dari tantum potest separatio quoad thorum et habitationem. S. Cong. S. Offic. 1 Aug. 1759. Analect. jur. Pont. ser. 2, pag. 1814.

431. Matrimonium ratum tantum, et non consummatum inter ipsos fideles solvitur quoad vinculum : primo per professionem religiosam in approbata aliqua Religione emissam, etiamsi alter sponsorum in sæculo manens repugnaverit, qui quidem jure fruitur novum sibi quærendi conjugem, non autem revocandi professum. Hoc autem privilegium soli professioni religiosæ concessum plene probatur ex responso Alexandri III, Archiepiscopo Salernitano, in quo declaratur licitum sponso, *altero etiam repugnante eligere monasterium*, *sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*, *dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos... Quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire*, *et alter*

in sæculo remanere (1). Et Tridentinum anathema fert in eos, qui dicerent, matrimonium ratum per solemnem Religionis professionem non dirimi (2). Propterea sponsis, et eorum cuivis post matrimonium, et ante ejus consummationem, bimestre tempus conceditur ad deliberandum, an in conjugio manere, vel ad profitendum in Religione approbata transire malint (3). Quare facta hoc tempore ex una parte status regularis electione, alia in sæculo manens per integrum novitiatus annum debet expectare, adeo ut jus consequatur, vel, omissa professione, revocandi conversum, vel, professione facta, ad novum matrimonium transeundi. Revera citatus Pontifex Alexander III ita adjungit : *Et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire* (4). Secundo solvitur quoad vinculum matrimonium tantum ratum per summi Pontificis dispensationem, quod probatur exemplo plurium Summorum Pontificum, qui similes dispensationes ob justam gravemque causam concessere, et ex definitione Benedicti XIV, qui mandat, ut quoties hæc quæritur dispensatio, supplex libellus porrigatur ipsi summo Pontifici cum tota facti clara et sincera expositione, et ut illa S. Congregatio, cui forte libellus examinandus fuerit commissus, non decisivum, sed solum consultivum habeat suffragium (6). Tertio solvitur similiter matrimonium ratum per Episcopi sententiam, qua definitur, matrimonium prius contractum propter dirimens impedimentum, non posse existere (7). Verum, ut animadvertenti statim patet, hoc modo proprie non rescinditur matrimonii vinculum, sed tantum decernitur nullum, ut semper fuit.

(1) Cap. 2, de conv. conjug. — (2) Can. 5, sess. 24 de matr. — (3) Cap. 7, de conv. conjug. — (4) Cit. cap. 2, de conv. conjug. Prædictum autem deliberandi tempus sponsis concessum, non a die matrimonii, ut quidam putant, est computandum, sed a die, qua judex ecclesiasticus terminum præfixerit, ut communiter sentiunt Doctores : nam de judiciali termino præfixo est conceptum citatum septimum Decretalium caput ; et aliunde citatus Tridentini canon indefinite loquitur de matrimonio tantum rato. Idcirco quoadusque matrimonium est tantum ratum, sponsi dicto privilegio fruuntur ; sed episcopus eos potest adigere intra bimestre præfigendum, aut ad ingrediendam religionem, aut ad servandum matrimonium. Si vero pri-

mum sequatur, omnia revocantur in pristinum, et uterque sponsus, quod noscitur accepisse, restituit. — (5) Bul. *Dei miseratione.* — (6) Rationem hujus conclusionis adversus quosdam, qui contrarium docent, in eo edicimus, quod professio religiosa fortius vinculum inducit, quam matrimonium ratum, tum ratione promissionis Deo nuncupatæ, tum ratione status perfectioris. At nihilominus ex potestate divinitus accepta in professione religios alicite et valide summus Pontifex dispensat, ut apud omnes in confesso est; eccur ergo non poterit in matrimonio tantum rato dispensare? Sed insuper professio religiosa solvit matrimonium ratum non ex jure divino, sed ex jure ecclesiastico, quod summi Pontificis auctoritate constituitur; eccur ergo non poterit summus Pontifex eadem sua auctoritate in matrimonio tantum rato dispensare? Quare merito esset reprehensibilis qui de hac summi Pontificis auctoritate dubitaret, cum ea veteres Pontifices usi sint, et nuperrime immortalis noster Pius Papa IX, similem dispensationem concesserit anno 1847. Anal. Jur. Pont. ser. 2, pag. 1816. Rara quidem est solutio matrimonii rati ob professionem religiosam, quia difficilis est probatio continentiæ; sed rara etiam est ob dispensationem, quia præter eamdem continentiæ probationem, requiritur adhuc gravis et justa dispensandi causa. — (7) Benedictus XIV in bul. *Dei miseratione* modum procedendi in similibus causis præscribit, et hæc inter alia præcipit, ut in quacumque diœcesi eligatur Defensor matrimoniorum, qui, si fieri potest, sit vir ecclesiasticus, et teneatur juratus matrimonii validitatem omni meliori modo defendere; ut nequeant conjuges divertentes absque polygamiæ pœnis aliud contrahere matrimonium, nisi post duas conformes sententias solutionis primi; et ut a prima solutionis sententia teneatur ex officio appellare matrimoniorum Defensor. Sed prædictæ duæ sententiæ conformes, quæ possunt executioni mandari, numquam transeunt in rem judicatam; unde si appareat imposterum duo prima divortii judicia falsis niti probationibus, matrimonium est redintegrandum, quamquam conjuges jam ad alias nuptias transiverint. Cap. 10 et 11 de sent. et re jud. cap. 5 et 6, de frig. et malef. Post duas conformes sententias tamen, et post mortem conjugum, eorum hæredes non admittuntur ad agendum contra easdem sententias. S. Cong. Concilii, in una *Januen.* 17 septemb. 1842. Richter cit. loc. n. 134.

432. Matrimonium denique consummatum indissolubile omnino est, si excipias casum mortis, in quo extinguitur, et prædictum casum sententiæ judicialis, in quo non dissolvitur, sed tantum declaratur suapte natura dissolutum. Hanc indissolubilitatem jus divinum adeo manifeste decernit, ut nullus sit ambigendi locus. Habemus profecto utriusque divini fœderis

testimonium : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* ; quod confirmavit Christus apud S. Lucam his verbis : *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur* ; *et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (1) : Similia habemus apud S. Marcum (2) : unde S. Paulus Magistri sententiam explicans ita ait : *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro suo non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (3). Tridentinum denique definivit, matrimonium quoad vinculum dissolvi non posse propter hæresim, aut molestatem cohabitationem, aut adulterium, et in eos, qui contrarium dicerent, anathema tulit (4). Cæterum matrimonii consummati indissolubilitatem ipsa naturalis ratio confirmat : nam ab ea conventione, in qua res non est amplius integra, quæque fuit jam executa, nequit amplius recedi ; et sicut homo nequit corpus suum dimittere, ita illud mulieris dimittere nequit, quia, sacro eloquio testante, jam una caro effecti sunt, et in nata prole perpetuo uniti repræsentantur (5).

(1) Luc. c. 16. — (2) Marc. c. 10. — (3) I ad Corinth. c. 7. — (4) Can. 5 et 6, sess, 24, de suc. Matr. — (5) Idcirco Romulum legem tulisse ferunt, *viros sic habere uxores, ut rem necessariam, nulloque divellendam modo.* Nec juvat regerere, matrimonium a conventione accipere vim : nam vel conventio fit in perpetuum, ut postulat natura matrimonii, quod ex dictis in definitione individuam vitæ consuetudinem continet, vel fit ad tempus ; sed hoc casu non est amplius matrimonium, cum in essentiali attributo deficiat. Similiter nil prodest opponere locum jam citatum S. Matthæi, in quo dicitur non licere dimittere, *nisi ob fornicationem ;* nam hæc verba non sunt referenda ad sequentia : *et aliam duxerit ;* sed ad præcedentia : *qui dimiserit uxorem suam* : quo significatur, per fornicationem non posse fieri divortium quoad vinculum, sed tantum quoad thorum. Quibus rebus sic stantibus, manifesta fit temeritas eorum qui sequentem statuunt damnatam propositionem, eamque defendunt : *Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.* Syllab. prop. 67.

433. Divortium quoad thorum et habitationem in ipsomet matrimonio consummato fieri potest aut in perpetuum, aut ad tempus, tum utriusque conjugis consensu, tum altero invito.

Fit primo utriusque conjugis consensu, cum vel ambo ingrediuntur religionem, et in ea profitentur, vel unus profitetur in Religione, aut sacros Ordines suscipit, et altera in sæculo manens emittit perpetuæ castitatis votum. Hoc divortium est perpetuum ; sed ut valeat et liceat, plures sunt observandæ conditiones, quæ statuuntur a legibus, et explicantur a Doctoribus in titulo de conversione conjugatorum. Fit deinde altero conjuge invito cum cupiens divertere in judicio Ecclesiæ justam et legitimam divertendi causam allegat, et sufficienter probat (1).

(1) Dicimus *in judicio Ecclesiæ* quod refertur ad forum externum : nam quoad forum internum quandoque privata auctoritate innocentis cum confessarii, aut viri prudentis consilio licet adulteram repellere, vel ab adultero recedere. Sic divortium privata auctoritate licet : 1° si adulterium conjugis sit notorium : 2° si, licet occultum, certo innocenti moraliter constet, et non adsit scandalum ; quale si adsit, poterit tantum negare debitum : 3° si conjux in hæresim lapsus sit, vel innocentem ad catholicam fidem deserendam incitet, aut ad sodomiam, vel alia crimina : 4° si sevities tanta sit, ut periculum sit in mora ; sed hoc casu, quo citius fieri poterit ad judicem recurrendum erit. Reiffenstuel de divort. n. 35 ; 5° si dubium sit, an matrimonium validum fuerit, quod si proveniat ex causa levi et temeraria spernendum est ; si ex causa probabili et discreta, privat jure petendi debitum, non vero reddendi ; et si moralem certitudinem attingat, utroque jure privat.

434. Ex jure Romanorum plures erant divortii causæ, ut videre est in lib. 8 Codicis Justinianei de repudiis ; sed ex jure Canonico justæ divortii causæ probantur sequentes. Prima causa est adulterium, quo fides conjugalis turpiter violatur. Regula porro in hac causa est, conjugem innocentem posse dimittere adulterum absque distinctione inter adulterium mariti, aut uxoris. Hoc jus conceditur tantum parti innocenti contra reum in pœnam adulterii, quod ex legibus Hebræorum, et Romanorum morte plectebatur, ita ut adultera esset lapidibus obruenda (1), et sacrilegi nuptiarum morte puniendi (2). Hinc adulter nequit divortium ex hoc capite quærere, et si forte jam sit ab innocente dimissus, tenetur ad eumdem, si revocetur, redire, cum nemo ex suo scelere utilitatem consequatur ; innocens vero in foro externo ad obtinendum a delinquente

divortium, debet in judicio Ecclesiæ adulterium probare saltem gravibus et violentibus indiciis, nisi adulterium sit publicum, et notorium, vel de solo conscientiæ foro agatur (3).

Exceptio tamen fit a prædicta regula : 1° si adulterium non sit culpabile, ut si contigerit per errorem, aut per vim, quia non debet dici quis perpetrasse, quod nolens passus fuit, nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam facta sunt (3); 2° si maritus sit causa, vel auctor adulterii uxoris, quia in hoc casu ipse consentit in crimen, et pœnam quoad se prius remittit, quam crimen sit perpetratum; scienti enim, et consentienti non fit injuria (5); 3° si injuria per adulterum matrimonio irrogata jam sit a parte innocente remissa, aut expresse per verba, aut tacite per facta et signa dilectionis conjugalis; nam hæc pœna in favorem conjugis innocentis est constituta ad injuriam reparandam; sed ex regula juris omnes licentiam habent iis renunciandi, quæ pro se sunt introducta; 4° denique, si uterque conjux sit vel fiat adulter, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, etiamsi unius delictum sit occultum, et alterius publicum, unius omnino simplex, et alterius pluries commissum (6).

Secunda causa est hæresis sive apostasia. Conjuges quidem debent sibi duplicem servare fidem, nempe contractus, et Sacramenti : illam violant per adulterium carnale; hanc per hæresim, sive adulterium spirituale. Hinc propter hæresim conjux fidelis potest ab hæretica, vel ab hæretico divertere. Si vero hæreticus ad fidem redeat, et inquiratur, an innocens debeat illum recipere, distinguitur inter casum, quo hæreticus per judicium Ecclesiæ fuit nominatim condemnatus, et casum, quo nulla de hoc extat judicis sententia : in primo quidem casu regulariter non tenetur eum recipere, quia causa divortii per sententiam fit perpetua; sed in ultimo casu recipere eum tenetur, quia per conversionem omne malum, et infamia purgatur (7).

Tertia causa est sævities conjugis, ex qua periculum vitæ, aut salutis, aut alterius gravis damni immineat alteri conjugi, ut si uxor insidias struat vitæ mariti, aut hic in uxorem atrocibus minis, crudelibus furoribus, aut inhumanis verberationibus animadvertat : nam licet modice puniendæ uxoris juxta

status, et personarum conditionem jus sit marito, ut illa frug fiat; tamen cæca rabies, et ferus animus conjugali cohabita tioni nimium repugnat (8). Hæc tamen causa temporale tan tum regulariter dat divortium. Sed separata hoc modo pe judiciis sententiam uxor a marito non est cogenda maritale iterum subire lares, nisi data a marito cautione de tanta im manitate vitanda, deque uxore amice tractanda, quæ cauti dari potest per pignora, aut fidejussores et in horum impos sibilitate etiam per jusjurandum. Attamen si tanta sit sævities ut juste semper trepidet uxor domum mariti reverti, a qu veretur pejus quam prius latebrose tractari, non est eiden restituenda, quia juxta Jurisconsultum cautio malevolum ani mum non mutat (9).

Aliæ præterea esse possunt hujus divortii temporalis causæ uti foret periculum corporis ex morbo forte contagioso pro ductum, et periculum animæ ob alterius incitationem ad grav peccatum, uti ad maleficium, ad superstitionem, ac præcipue ut loquitur S. Augustinus, ad illicitas concupiscentias, *qua animam male corpore utentem a lege Dei aberrare faciunt, e perniciose turpiterque corrumpunt* (10).

(1) Joan. c. 8. — (2) L. 30, cod. ad leg. Jul. de adult. — (3) Cap. de divort. — (4) Can. 5 et 6, c. 34, q. 1 et can. 3, c. 32, q. 5. Solu tamen metus probabiliter non excusat, quia non liberat a culpa dum est potius mors subeunda, quam seclus perpetrandum. — (5 Cap. 6 de eo qui cogn.-- (6) Cap. 4 de divort. cap. 6 et 7, de adult Quare si per adulterium favore innocentis jam sit decreta thori se paratio, et deinceps ipse innocens eodem crimine se polluat, ma trimonium est redintegrandum. Cap. 5 de divort. — (7) Cap. 6 et de divort. — (8) Cap. 8 et 13 de rest. spoliat. — (9) Cap. cit. 8. — (10) Can. 5, c. 28, q. 1.

435. Quæstiones matrimoniales triplicis generis esse possunt aliæ respiciunt ipsum matrimonii vinculum ; aliæ respiciun separationem matrimonii quoad thorum et habitationem ; e aliæ respiciunt dotem, successiones, alimenta, et alia hujus modi. Jam vero quæstiones primi et secundi generis ad judice ecclesiasticos omnino pertinere noscuntur ex lege canonica (1) Quæstiones tertii generis possunt cognosci a judice sæculari

sed si earum occasione controversia suboriatur de vinculo matrimonii, aut de jure separationis, hæc est per judicem ecclesiasticum definienda (2).

(1) Can. 10, c. 35. q. 6, cap. 3 de divort. Cap. 12 de exces. prælat. et Trid. can. 12 sess. 24. Hoc ipsum evinci etiam potest ex ipso nuncupato jure ecclesiastico protestantico : nam ex eo quæstiones matrimoniales non a magistratibus civilibus cognoscendæ sunt; sed a consistoriis, sive ministris ejusdem sectæ. Revera codex civilis et criminalis Protestantium de matrimonio silet, et titulus de matrimonio in eorum codice ecclesiastico inscribitur, ut tradit eorum Doctor Schroeter in opere Fund. jur. eccl. prot. Idcirco judices civiles non deberent se causis hujusmodi se immiscere, quia simul a Protestantibus, et a Papa confoditur hæc propositio : *Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civilem pertinent.* Syllab. prop. 74. — (2) Devoti l. 3, t. 4, § 4.

436. Instantia in causa nullitatis matrimonii regulariter proponenda est coram Episcopo, vel Ordinario, et plene ac perfecte probanda est per testes omni exceptione majores cum assistentia Defensoris matrimonii juxta jam citatam formam a Benedicto XIV præscriptam (1). Diximus regulariter, nam si de matrimonio magnorum Principum ageretur, ex diuturna judiciorum consuetudine causa foret summo Pontifici reservata : judices enim ordinarii, et a S. Sede non delegati in his causis videntur debita libertate carere (2).

(1) Bul. *Dei miseratione.* — (2) Et ita revera fuit observatum in causa divortii inter Ludovicum XII et Joannam Franciæ, inter Henricum IV et Margaritam Valesiam. Propterea merito damnatum fuit divortium a Curia ecclesiastica Parisiensi pronunciatum anno 1810, inter Napoleonem et Josephinam Tascher, etiamsi sententia fuerit fundata in motivo difficultatis habendi recursum ad summum Pontificem; quia non ab alio, quam ab ipso Napoleone accessus ad summum Pontificem injuste, et crudeliter impediebatur. Lequeux, tom. 1, n. 182 et tom. 2, n. 870.

437. Instantia in causa separationis conjugum similiter proponenda est coram Ordinario, qui post acceptum libellum mandat probari separationis motiva, et examinari testes pro informatione Curiæ. Quo facto scrutinio, si de legitima separationis causa constet, interlocutorie pronunciat, esse sup-

plicanti jus et licentiam ad tempus vivendi seorsum ab alio conjuge; et si de uxore agatur, quæ sævitiam patitur, eam jubet sub custodia poni aut in aliquo fœminarum claustro, aut penes honestam, et probam matronam, ita ut subsidio expensarum, et alimentorum exhibendorum a marito teneatur in legitimo judicio usque ad definitivam sententiam causam prosequi (1).

(1) Post obtentam ab Ordinario sententiam interlocutoriam separationis potest uxor alimenta petere a marito coram magistratu civili. Post obtentam vero definitivam separationis sententiam potest uxor coram eodem magistratu petere separationem dotis, et assequi bonorum paraphernalium administrationem ad formam juris civilis.

438. Facta demum conjugum separatione, ex præscripto legum Romanarum, ad quas se referunt communiter Canonistæ, proles ex matrimonio suscepta educanda regulariter est penes matrem expensis patris, si ipse separationi causam dederit; si vero causam dederit mater, penes patrem et suis expensis (1).

(1) Novel. 107, c. 7 Excipitur tamen casus infantium infra triennium, in quo admissus fuit illud adagium : *Mater alit trimum, trimoque minorem. Majorem vero pascere patris erit.* Sed nunc ex jure civili plurium nationum admissum est, ut proles usque ad quadriennium remaneat penes matrem ; post hanc vero ætatem penes patrem, vel matrem, prout ex variis circumstantiis ætatis, sexus, personarum, et causarum separationis decreverit judex ; qui tamen nequit prolem relinquere penes hæreticum, vel de hæresi suspecto, vel pravis moribus imbuto cum præjudicio salutis spiritualis, aut temporalis ipsius prolis. Expensæ educationis imponi solent patri, et in subsidium in toto, vel in parte etiam matri, aut aliis ascendentibus paternis vel maternis.

TITULUS XII.

DE ECCLESIIS.

SUMMARIUM : 439. Quid nomine Ecclesiæ hic intelligatur? — 440. Quæ sit Ecclesiarum distinctio? — 441. Conditiones in Ecclesiarum erectione observandæ. — 442. Ecclesia a quibus sit reparanda? — 443. Nova Ecclesia est benedicenda, vel consecranda. — 444. Quomodo execretur? — 445. Quomodo polluatur? — 446. Quæ sint interdicta in Ecclesia polluta, et quomodo reconcilianda? — 447. Oratoria publica jure Ecclesiarum fruuntur, non vero privata. — 448. Quis concedat, ut missa celebretur in oratoriis privatis? — 449. Quibus in casibus possit episcopus permittere missæ celebrationem in oratorio privato, vel extra Ecclesiam? — 450. Quibus, et quomodo prosit indultum apostolicum oratorii privati? — 451. Altare quotuplex sit, et quid requiratur, ut in eo sacrum fiat?

439. Inter res ecclesiasticas spirituales post Sacramenta secundum Institutionum ordinem locum præcipuum obtinent Ecclesiæ. Sed hic non accipitur Ecclesia pro congregatione fidelium, de qua jam suo loco egimus (1); hic consideratur tamquam templum manufactum, in quo fideles congregati, Deo sacrificia offerunt, preces fundunt, et Sacramenta aliaque Religionis subsidia recipiunt. Sicut enim non omnes, sed tantum Deo sacrati ministri possunt sacrum facere; ita non in omnibus locis, sed tantum in locis Deo sacratis, vel dedicatis possunt sacrificia offerri.

(1) Lib. 1, tit. 3. — (2) Can. 11, dist. 1, de consec.

440. Ecclesia principalis cæterisque dignior dicitur *Basilica;* ea in qua sedem habet Archiepiscopus *Metropolitana;* ea in qua sedem habet Episcopus *Cathedralis;* et ea in qua adest Canonicorum collegium *Collegialis.* Dicitur Ecclesia *matrix,* quæ alias tamquam filiales habet subjectas Ecclesias; *baptismalis,* quæ habet fontem baptismi; *parochialis*, quæ habet adjunctam curam animarum; *regularis,* quæ a Regularibus, et

sæcularis, quæ a clericis sæcularibus regitur. Præterea ad Ecclesias referuntur quoque oratoria tum publica, tum privata, quæ ad divinorum officiorum, sanctique sacrificii celebrationem sunt destinata.

Ecclesiæ prius eriguntur, et erectæ restaurantur; deinde erectæ, vel restauratæ benedicuntur, vel consecrantur; et demum consecratæ iterum consecrantur, si execratæ, vel reconciliantur, si fuerint pollutæ : de quibus omnibus nunc sumus breviter acturi.

441. In Ecclesiarum erectione sequentes sunt observandæ conditiones. Prima in eo sita est, quod adsit consensus Episcopi, qui per se, si fieri potest, aut per delegatum suum locum designet, crucem figat, et primum lapidem ponat (1). Secunda consistit in dote, quam debet habere ipsa Ecclesia erigenda, ita ut ex ea percipere valeat quidquid est necesse pro conservatione ædificii, pro divini cultus exercitio, et pro alimentis ministrorum (2). Tertia posita est in justa causa erectionis, quam exhibet commoditas plebium, et utilitas universitatum. Quarta demum requirit, ut vitetur, quantum fieri potest, aliarum Ecclesiarum præjudicium, *quia nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda* (3) Propterea qui credit se læsum, potest novum opus nuntiare, id est ædificationi juridice se opponere, quo facto, ædificans per tres menses ex judicis præscripto tenetur opus suspendere (4). Hinc si de Ecclesiæ parochialis erectione agatur, justa causa putatur nimia distantia fidelium a prima parochia, incrementum populi, difficultas viarum per montium juga, aut nemorum anfractus, aut aquarum stagna, vel flumina, aut per interjectas vias ferreas, et alia similis causa, ob quam sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia in propria parochia audienda fideles accedere non possunt (5) Sed Episcopus post aquitam justam novæ parochiæ erigendæ causam debet monere, et in scriptis audire parochum, vel defensorem Ecclesiæ, si fuerit vacans, intra cujus territorii fines nova parochia est constituenda, quin tamen sit necesse, ut eorum votum, aut consilium sequatur ; aliter vero facta novæ Ecclesiæ erectio non foret legitima, utpote quæ dismembrationem et alienationemin volveret, quæ, inconsulto re-

ctore, vel Ecclesiæ defensore, ad hoc designato, fieri nequit (6).

Si dos pro nova construenda Ecclesia ex bonis, et redditibus matricis Ecclesiæ desumantur, huic in illam præter alia honoris capita ex jure competit jus patronatus, ita ut Rector matricis queat canonice novæ Ecclesiæ parochum præsentare toties quoties ea vacare contigerit (7); quod jus, ubi parochiani nolint, vel nequeant ipsi ædificare et dotare, alteri cuicumque fideli acquiritur, qui expensis suis ædificet et dotet, prout infra de jure patronatus agentes fusius exponemus.

Nova proinde parochia erigi nequit, nisi dictæ observentur conditiones, et in ea decem saltem sint parochiani, qui de Ecclesiæ sacramentis participent (8). Et si parochus matricis Ecclesiæ aliqua ratione se læsum sentiat, non potest ad legitimum superiorem appellare, nisi ad effectum devolutivum, cum plenæ appellationis remedium per Tridentini decretum sit illi ademptum (9).

(1) Can. 9, dist. 1 de consec. Unde S. Pontifex Felix illud memoriæ commendat : *Vide ne offeras holocausta in omni loco, quem videris, sed in omni loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Can. 11, eod. Doctores tradunt, hunc episcopi consensum posse esse expressum, vel tacitum ut si ipse videat, et non contradicat; imo quidam adjungunt, posse defectum consensus, per ratihabitationem sanari. Ventriglia tom. 2, annot. 17, n. 2. Hoc tamen irregulare est, et legibus oppositum. Sed qui, cum vel sine consensu Episcopi cœpit ædificare Ecclesiam, debet eam perficere, maxime si episcopi ratihabitio accesserit. Antonius De Luca ad cit. annot. Ventrigliæ § 1, n. 2; et episcopus, concurrentibus justis causis, licentiam ædificandi negare nequit, aliter recursus daretur ad Archiepiscopum, et ad S. Congregationem. Monacellus tom. 1, tit. 6, form. 10, n. 3. Quoad ritum imponendi primum lapidem videndus Baruffaldus ad Rit. Rom. t. 71 et Pontif. Rom. de impositione prim. lapid. — (2) Can. 9, dist. 1, de consec. Dos debet esse competens pro sustentatione ministri, et pro aliis divini cultus expensis. Si dos a fundatore, vel ab alio assignata non sufficiat, potest Episcopus, non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, ex redditibus suæ Ecclesiæ cathedralis novæ Ecclesiæ providere, si necessitas adsit fidelium cap. ult. de eccl. ædif.; et similiter potest ab Ecclesia principali, vel matrice satis redditibus cumulata, aliquid pro nova Ecclesia detrahere. Cap. 4, eod. Sed in dote competente constituenda computantur eleemosynæ, et oblationes fidelium tum præsentes, tum quæ probabiliter sperantur in futurum. Competens demum dos habetur in redditu ducatorum mille pro Ecclesia cathedrali, et centum annuorum pro paro-

chiali. Trid. sess. 24, c. 13, de ref. — (3) Cap. 1 de nov. oper. nunc. — (4) Cap. 4 eod. — (5) Cap. 3 de eccl. ædif. et Trid. sess. 21, c. 4, de ref. Una ex dictis causis sufficit, quia ibi Tridentinum disjunctive loquitur dicens : *ob locorum distantiam, sive difficultatem.* Ratio tamen incrementi, sive multitudinis populi ex communi Doctorum sententia, et ex S. Congregationis praxi sola non sufficit, quia huic necessitati potest alio modo episcopus consulere, cogendo nimirum parochiarum Rectores, ut sibi tot alios adsciscant Sacerdotes, quot ad pascendas animas sunt necessarii ad formam citati capitis 4 Tridentini. Nihilominus observamus, Glossam in can. 2° dist. 99, verbo *Constitui*, novæ parochiæ erectionem probare ex sola causa, *si multitudo fidelium excreverit.* Observamus pariter, Pium VI in suo Brevi 10 mart. 1791, ad Galliæ episcopos, in quo damnat sanctionem Gubernii admittentem unam tantum parochiam pro sex capitum millibus hæc ad rem edixisse. « Quo umquam modo unus parochus « sufficere tanto curando populo poterit? Quam ad rem opportunum « hic referre videtur, cardinalem Conradum a Gregorio IX ad præsi- « dendum Coloniensi synodo delegatum, hisce verbis interrogasse « quemdam, qui aderat, parochum, quique vehementer contendebat, « ne illuc Fratres Ordinis Prædicatorum inducerentur : *Quis est nu-* « *merus hominum in parochia tibi subditorum? Cumque ille esse* « *novem millia respondisset : tunc Cardinalis admiratione, iraque* « *commotus : Quis es, inquit, tu miserrime, qui tot millibus sufficis* « *debitam gubernationis curam impendere? Nescis hominum perdi-* « *tissime, quia in illo debes tremendo judicio, ante tribunal Christi* « *de his omnibus respondere? Et tu, si tales habes vicarios (Fratres* « *Prædicatores) querularis, qui onus tuum gratis relevent, sub cujus* « *pondere nescius conquassaris? Quia igitur ex hac querela indignum* « *te cura omnimodo judicasti, ideo privo te omni beneficio pastorali.* « Et quamvis illic de novem hominum millibus agebatur, hic vero, « nimirum a Conventus decreto sex tantum millia unius parochi « curæ tribuantur, nihilo tamen minus quis non fateatur, talem « etiam numerum longe lateque unius parochi vires excedere, ac « consequi propterea debere, ut multi ex parochianis necessario « priventur spiritualibus subsidiis. » Theiner doc. ined. tom. 1, n. 19. Ex quibus summi Pontificis verbis clare patet, unum parochum non posse populum sex millium personarum rite gubernare. Neque putamus, hunc textum posse ad parochos restringi adjutoribus sive vicariis destitutos : nam Pontifex loquitur absolute, et aliunde dictum reprobatum Conventus decretum, de adjutoribus nullam faciebat mentionem, eosque proinde non prohibebat. Quare ubi parochia adeo excreverit, ut sex millium personarum numerum excedat, videant episcopi quid sit faciendum. Circa causam demum distantiæ S. Congregatio definivit sufficere distantiam, quæ excedit duo millia passuum, in una *Anconitana* 30 april. 1803. — (6) Arg. cap. 1, ne sed., vac. etc. et cap. 1, de reb. eccl. non alien. in 6, et ib. Doctores. — (7) Cap. 3 de eccl. ædif. — (8) Can. 3, c. 10, q. 3. Decem siquidem personæ con-

stituunt turbam, sive populum. L. 4, ff. de vi bon. rapt. — (9) Sess. 21, c. 4, de ref. Ecclesia tamen collegialis erigi jure novo non potest, nisi de auctoritate summi Pontificis. Monacellus part. 1, t. 6, for. 10, n. 7; Ecclesiæ autem minores, et oratoria publica, debitis concurrentibus conditionibus, Episcopi solius auctoritate eriguntur. Id. ib. n. 2 et 3. Sed datam erigendi licentiam regulariter nequit ipse, aut ejus successor revocare, maxime si opus sit inceptum, aut completum, ut adstruere videtur S. Congregatio Concilii in resolutione diei 6 junii 1840.

442. Cum Ecclesia jam erecta ruit, aut ruere minitatur, aut adeo vetustate decorem amisit, ut non videatur amplius expedire in eadem sacrum fieri, protinus est restituenda, vel reparanda. Quod si fieri nequeat, a sacris est prohibenda, et postremo etiam data execratione in profanos usus, non sordidos, convertenda (1); ita tamen ut, si fieri potest, in loco Ecclesiæ Crucis signum erigatur, ejusque beneficia simplicia in Ecclesiam matricem, aut in alias ejusdem loci, vel viciniores Ecclesias Episcopi arbitrio transferantur cum omnibus emolumentis, et oneribus priori Ecclesiæ impositis (2).

Expensæ reparationis desumendæ sunt ex fructibus et proventibus quibuscumque ad Ecclesiam reparandam quomodocumque pertinentibus (3); qui si non sufficiant, debent concurrere patroni, et beneficiati fructus ex ea percipientes ultra honestam eorum sustentationem, et in eorum defectu parochiani, si de Ecclesia parochiali sermo sit (4). Si vero de cathedrali agatur in defectu dotis ad eam reparandam tenetur Episcopus una cum Canonicis, qui in necessitate potest ad hoc subsidium charitativum petere.

(1) Quia quod *semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Cap. 51 de reg. jur. in 6. — (2) Trid. Sess. 21, c. 7, de ref. — (3) Quod observatur quando nemo est, qui ex lege speciali, vel pacto, aut consuetudine ad Ecclesiam reparandam teneatur; quo casu is, et non alii ad reparationem cogendi sunt. — (4) Trid. loc. cit. Parochianorum autem nomine intelliguntur omnes qui ad parochiam spectant, quique ex propriis bonis possunt opus promovere; quod si pauperes sint, et nequeant pecuniam afferre, debent adjutrices operi manus dare: immo hoc nomine intelliguntur etiam exteri, qui in parochiæ districtu bona possident, ut, teste Card. Soglia de jur. priv. § 124 decisum fertur a S. Congregatione Concilii in *Imolen* 5 sept. 1793, et in *Camerien et Cingulana* anni 1841.

443. Ecclesia ædificata, antequam divino cultui dicetur, est benedicenda, vel consecranda. Benedictio quidem per Episcopum etiam simplici Sacerdoti committitur. At consecratio committi nequit nisi alteri Episcopo, et semel peracta fit perpetua, cujus quotannis celebranda est anniversaria solemnitas (1). Si vero dubitetur, an prius fuerit consecrata, et nullum sit pro consecratione satis probabile argumentum, absque alicujus culpæ formidine potest consecrari, quia non potest dici iteratum, quod non demonstratur antea peractum (2).

(1) Can. 16 et 20, dist. 1, de consec. — (2) Cit. can. 16, eod. Ritus vero in consecratione servandus describitur a Pontificali Romano, cujus hæc sunt præcipua. In vigilia consecrationis ab Episcopo, et a petentibus consecrationem observetur jejunium ; vesperæ canantur in Ecclesia eoram sacrosanctis Reliquiis ; sequenti mane Episcopus ter Ecclesiam circumambiat, et aqua benedicta aspergat ; Ecclesiam inde ingressus in ejus pavimento cinere consperso græcum, et latinum alphabetum deline et, sacro chrismate unam in porta, et duodecim in internis parietibus cruces designet, et missam inde celebret, quæ tamen non est consecrationi essentialis.

444. Duobus modis Ecclesia a benedictione et consecratione recepta cadit, nempe per *execrationem*, et per *pollutionem*. Execratio fit per mutationem in ipsa Ecclesia contingentem; pollutio vero per injuriam ipsi Ecclesiæ irrogatam. Sed adeo ut Ecclesia vere fiat execrata, tanta ejus requiritur mutatio, ut nova cum antiqua Ecclesia eadem et identica dici amplius nequeat, quod ex communi Doctorum sententia contingit : 1° si Ecclesia in toto, vel in majori parte simul destruatur, licet ex eadem materia reædificetur; 2° si interna parietum superficies in toto, vel in majore parte vastetur, sive abradatur; 3° si adeo adaugeatur, ut pars adjuncta superet antiquam. In his quidem casibus Ecclesia post restitutionem est iterum benedicenda, vel consecranda, licet, ut supra innuimus, Ecclesiæ benedictio, et consecratio sit perpetua : quia id verum est, ubi Ecclesia manet semper eadem; non vero quando ita mutatur, ut saltem moraliter eadem dici amplius non possit. Propterea si vel in exigua parte destruatur, et statim reparetur, vel successive etiam tota per partes renovetur, vel tectum corruat, et remittatur, non execratur, neque nova benedi-

ctione, aut consecratione indiget, quia Ecclesia moraliter habetur semper eadem, semperque major pars benedicta, vel consecrata trahit ad se partem minorem, ad quam propter unionem benedictio et consecratio successive extenditur (1).

(1) Cap. 6, de consec. eccles. Reiffenstuel ad eumd. tit. n. 11.

445. Ecclesia polluitur ob sequentia facta sibi graviter injuriosa et criminosa intra suum internum ambitum commissa, nimirum : 1° ob voluntariam, et injuriosam humani sanguinis effusionem a vulnere productam (1) ; 2° ob homicidium voluntarium, licet sanguis non effundatur (2) ; 3° ob fornicationem, adulterium, et quamlibet voluntariam et illicitam pollutionem (3) ; 4° ob sepulturam infidelis, aut excommunicati, quando est notorius. Inspicitur autem locus ubi causa criminis posita fuit : unde si quis percussus in Ecclesia extra Ecclesiam sanguinem fuderit, vel mortem obierit, manet Ecclesia polluta ; non vero in casu contrario, ubi quis extra Ecclesiam percussus ad eamdem accesserit, inque ea sanguinem, et vitam fuderit, quia nullo in hoc casu injuria irrogatur Ecclesiæ. Sed non aliter ex dictis factis polluitur Ecclesia, quam si fuerint notoria. Nam si sint occulta, non violatur Ecclesia, quia nullum est ejusdem dedecus in existimatione hominum ; et aliunde Ecclesiæ puritas humano flagitio in se violari non potest (4).

(1) Hinc non polluitur ecclesia si sanguis fundatur casu, aut forte ex naribus, aut per factum amentis aut ad sui defensionem, aut in exigua quantitate, vel paucis guttis. Id. ibid. n. 15, — (2) Can. 19 dist. 1, de consec. et cap. 4, de consec. Eccles. Sed homicidium a furioso patratum, vel ob sui defensionem, vel casu, hunc effectum non producit. Id. ib. (3) — Can. 20, dist. 1, de consec. et cap. unic. de consec. Eccl. in 6. Propterea pollutio non obest, si præter omnem intentionem occurrat in somno, vel occurrat invitis, aut amentibus. Obstat tamen ex probabiliori sententia illa, quæ copulæ maritali inest, nisi necessitas excuset. Id. ib. n. 22 ; et S. De Ligorio l. 6, n. 365. — (4) Doctores ad tit. de consec. Eccl. Hic notamus videri Ecclesiam tunc etiam pollui, cum Episcopus intrusus audet in ea Pontificalia celebrare, et jurisdictionem, quam non habet, exercere. Ita eruitur ex responso Pii VI, ad episcopum Argentoratensem diei 29 julii 1791, in quo eidem præcipit, ut, si ad Ecclesiam suam cathedralem, expulso intruso Brandel, reverti possit, solemnitatem

instituat reconciliationis ejusdem Ecclesiæ, pro qua etiam indultum plenariæ indulgentiæ publicandæ illi concedit. Theiner docum. ined. tom. 1, n. 30.

446. Cum Ecclesia fit polluta, tale quoque fit quodcumque ejus altare fixum, et cœmeterium contiguum; non e converso, polluto altare vel cœmeterio, polluitur Ecclesia, quia accessorium sequitur principale, non principale accessorium. Sed si utrumque, vel alterutrum sit pollutum, nequit amplius in eo sacrum fieri, aut divina celebrari officia, et nequeunt amplius in cœmeterio Christianorum cadavera sepeliri, nisi avulso a loco sacro infidelis, vel excommunicati vitandi cadavere, si queat ab aliis adhuc discerni, et facta Ecclesiæ, vel cœmeterii reconciliatione (1). Est autem reconciliatio actus, quo Ecclesia polluta a macula per indignam actionem contracta purgatur, divinoque cultui restituitur. At si Ecclesia prius erat tantum benedicta per aspersionem solius aquæ lustralis potest reconciliari a suo Rectore, etiam inconsulto Episcopo (2); sin vero prius erat consecrata, reconciliari debet ab Episcopo per aspersionem aquæ cum vino et cinere benedictæ (3). Neque potest Episcopus hanc facultatem alicui simplici Sacerdoti committere, nisi habeat hac super re S. Sedis indultum, quod aliquando summus Pontifex petentibus Episcopis concedit.

(1) Cap. unic. de consec. Eccles. in 6. Similiter si plura sint cœmeteria, quamvis sibi cohærentia, violato uno, non violatur aliud, modo parietes sejungantur, etsi de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus. Can. eod. — (2) Cap. 10, de consec. Eccles. — (3) Cap. 4 et 9, eod.

447. Nunc attentionem nostram paululum sibi poscunt Oratoria, quæ, ut jam diximus in *publica* et *privata* dividuntur. Dicuntur publica, quæ Episcopi auctoritate, et in publico erecta sunt; eaque talia adhuc putantur, quæ licet in privato condita sint, ostium tamen habent in via publica, aut fuerunt ab Episcopo consecrata : destinatio quidem patris-familias in priori casu, et dicatio ad perpetuum divinum cultum in altero reddit publicum oratorium (1). Propterea publicum est oratorium erectum in palatio episcopali, aut in conventu Regularium, aut in seminario, aut in collegio, aut in conservatorio,

aut in confraternitate, vel communitate, aut hospitali, aut in carceribus, quia cum hæc loca ad publicam utilitatem sint instituta, publica esse dicuntur (2). Idcirco in Oratoriis publicis, quæ similitudinem referunt Ecclesiarum, potest sacrum fieri, et audientes in die festo missam satisfaciunt præcepto (3).

Dicuntur deinde Oratoria privata, quæ in domibus privatorum privata auctoritate sunt erecta. Hæc quidem, quæ ad familiæ pietatem fovendam magnopere sunt consulenda, jure Ecclesiarum non fruuntur; et in his proinde absque Sanctæ Sedis indulto sacrum fieri nequit (4).

(1) Oratorium differt a capella, quæ secundum communem loquendi usum accipitur pro altari minori, aut pro sacello in aliqua ecclesia fundato, ad cujus erectionem Ordinarii auctoritas similiter requiritur, non vero absolute dos, cum ad ornatum Ecclesiæ absque missarum oneribus instituitur. De his capellis videndus est Ventriglia tom. 2, annot. 19, a n. 22. — (2) S. De Ligorio l. 6, n. 357. S. Congregatio 27. mart. 1848. An tale etiam sit Oratorium erectum in aula Magistratus civilis, aut criminalis, videtur negandum. Giraldus ad sess. 22. Trid. sect. 69. — (3) Cum Episcopi licentia in dictis oratoriis haberi conciones, Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta administrari possunt. Notandum tamen quod in iisdem oratoriis sanctissima Eucharistia retineri nequit absque speciali S. Sedis facultate, sicut alibi innuimus; et quod ibi functiones parochiales non sunt permittendæ nisi ex causa assignata a Tridentino in sess. 21, c. 4, de ref. Cæterum Monacellus docet, Episcopum non debere facilem se præbere in permittenda oratoriorum erectione in pagis, et oppidis, ne fideles abstrahantur a Pastoribus, et a pascuis spiritualibus. Part. 2, t. 13, in decret. cir. rub. n. 42. — (4) Can. 33, dist. 1, de consec.

448. Olim missæ Sacrificium poterat *ubi ipse Episcopus permiserat* (1): consequenter concedere licentiam poterat celebrandi etiam in Oratoriis domesticis; sed ipsi hæc facultas fuit limitata, et sublata per decretum Concilii Tridentini, quod præscribit, ne Episcopi patiantur, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum cultum dicata Oratoria sanctum sacrificium peragi* (2). An vero per hoc omnino hæc facultas Episcopis adempta sit, dubitatur; sed negativa sententia videtur probabilior, et hodie certa: nam verum quidem est, pluries S. Congregationem etiam jussu Pontificum declarasse, hanc facultatem Episcopis fuisse ademptam, et soli Romano Pon

tifici reservatam; sed hoc intelligendum videtur de jure ordinario, et ex potestate illimitata, ac ad libitum, ut olim competebat, non vero de casu alicujus gravis necessitatis; nam Tridentinum mala voluit impedire, non vero quæ bona, et utilia essent prohibere. Unde dicta facultas Episcopis restricta atque limitata potius, quam prorsus sublata, et adempta creditur. Revera S. Carolus Borromeus in Concilio Mediolanensi IV, agnovit in Episcopo facultatem permittendi celebrationem missæ in oratorio privato propter *magnas et urgentes causas*. Sanctus de Ligorio id pariter Episcopo licere affirmat in aliquo casu particulari per modum actus *ob justam causam*, et in confirmationem plures Doctorum sententias affert (3). Sed rem conficit S. Congregatio, quæ interrogata, an Episcopus possit facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu? Respondit : *Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum* (4).

(1) Can. 12 et 13, de consec. — (2) Sess. 22, in decret. de observ. et vit. in cel. mis. — (3) Lib. 6, n. 359. — (4) Resol. diei 4 septemb. anni 1856, quam refert auctor Præl. Jur. Can. tom. 2, n. 508. Et dicitur per modum actus tantum, quia per modum habitus hanc facultatem solus summus concedit Pontifex; id est per modum actus pro aliquo tempore, non vero perpetuo per modum habitus, ut explicat S. de Ligorio loc. cit.

449. Unde, non obstante præcitato Tridentini decreto, hæc cum communi Doctorum sententia adnotamus : 1° Episcopus præter oratorium in suo palatio episcopali, potest habere aliud in domo rusticana suæ habitationis etiam extra suam diœcesim (1); 2° Episcopus in visitatione, aut in itinere, aut cum abest a sua ordinaria habitatione potest erigere altare, in quo ipse, et alii sacerdotes sacrum faciant, in domibus laicorum, a quibus hospitio recipitur, aut penes quos moram facit (2); 3° Episcopus potest permittere oratorium privatum cum persona distinctæ qualitatis, maxime si sit sacerdos, cum non potest propter infirmitatem, aut senectutem ad Ecclesiam accedere, ut missam audiat, aut celebret, et Eucharistiam recipiat (3); 4° Episcopus potest permittere, ut sacrum extra Ecclesiam fiat, si Ecclesia diruta sit, si sacerdos longam peregrinationem per loca deserta, vel per loca infidelium susci-

piat (4), si Ecclesia magnam multitudinem continere nequeat, si exercitus sit in castris, aut multitudo navigantium in littore maris, si bellum ferveat, aut dominetur pestis (5).

(1) Ratio hujus asserti est nedum in episcopali dignitate, sed et in eo, quod Episcopi ex mente Bonifacii VIII, in cap. ultim. de privil. in 6, cessante impedimento, debent quotidie missam celebrare, vel audire ; cui obligationi, ut facilius satisfacere valerent, eis concessit Pontifex, ut quoties non possent *commode ad Ecclesias accedere pro missa celebranda, vel audienda in ipsis... altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrari.* Huic privilegio derogatum non fuit a Tridentino, aut a posterioribus S. Sedis decisionibus, ut S. Congregatio declaravit. Proinde Episcopi etiam titulares possunt habere oratorium in suis domibus pro se, et pro aliis sacerdotibus, etiamsi de familia non sint, ibique celebrare tam præsente, quam absente episcopo, et præcepto festivo etiam exteri ibi audientes missam satisfacere, ut post Monacellum docet Giraldus loc. cit.; ex quo sequitur, hoc privilegium esse reale. — (2) Bul. *Apostolici ministerii* Innocentii XIII. Hæc bulla confirmata fuit ab alia Benedicti XIII, qui revocavit contrarium decretum Clementis XI, et declaravit licitum esse Episcopis erigere altare in domibus laicorum occasione visitationis, vel itineris, et quando absunt ab eorum ordinaria habitatione, si ibi hospitentur, aut moram faciant, ibique celebrare, ac celebrari facere. Hoc tamen privilegium, ut tenet post Tamburinum S. de Ligorio, est Episcopo personale; ideoque, absente Episcopo nequeunt, alii sacerdotes ibi celebrare. L. 6 n. 358; sed præsente Episcopo, missa ibi celebrata videtur sufficere pro festivi præcepti adimplemento, quia prodest ut missa celebrata *in domo propriæ ordinariæ habitationis*, ut loquitur citatus Pontifex. — (3) Quoad laicos distinctæ qualitatis habemus S. Congregationis declarationem, quam refert Gallemart ad citatum Tridentini decretum n. 6, ubi legitur « *Permittit Pontifex Ordinarii arbitrio, necessitate personali, et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio, vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat* : quam declarationem probat Card. Petra, et S. de Ligorio, loc. cit. n. 359. Quoad sacerdotes vero ratio eruitur non non solum ex hac communi regula ; sed principaliter ex eo, quod ex mente Tridentini debent missam celebrare *saltem omnibus diebus festis, et solemnioribus.* Sess. 23, c. 14, de ref.; et ex sententia S. de Ligorio venialiter peccent, si cum quotidie celebrare possunt, (excepta ob reverentiam una die infra hebdomadam) sine justa causa a celebrando ob desidiam abstineant. Loc. cit. — (4) Can. 39, dist. 1, de consec. — (5) S. de Ligorio loc. cit.

450. Indultum oratorii privati a S. Sede specialiter post Tridentinum concessum, est personale et illis tantum prodest,

quorum contemplatione fuit datum, qui Indultarii appellantur, quique in fronte, vel in inscriptione, et quandoque in ipso corpore Brevis nominantur (1). Hinc indultarius, mutata habitatione, secum privati oratorii privilegium defert (2), et si indultarius, vel unus eorum præsens non sit, non potest in oratorio privato sacrum fieri coram alio etiam de ejus familia ; si vero ipse sit præsens, sacrum in die festo, exceptis solemnioribus diebus (3), pro præcepti satisfactione prodest omnibus, qui in eodem indulto fuerunt saltem in genere designati; et de Episcopi licentia potest ibidem Eucharistiæ, et Pœnitentiæ sacramentum ministrari (4). At plures in similibus indultis apponuntur conditiones, quas explicant Auctores, et præsertim Joannes Baptista Galtico in suo speciali opere de Oratoriis domesticis et nuperrimus Van Gameren de oratoriis publicis et privatis. Hæ omnes conditiones omnino sunt observandæ, ut valeat gratia, vel ut vitetur peccatum (5).

(1) Cum hoc privilegium sit personale, expirat morte illius, qui illud obtinuit, non morte concedentis. — (2) Sed nova visitatio, et approbatio Ordinarii requiritur, ut locus declaretur aptus. Si duobus conjugibus hoc indultum concedatur, et dicatur conjugis matrem posse coram se missam celebrari facere, etiam ipsa indultaria est. Bul. *Magno* Benedicti XIV. — (3) Tales dies solemniores solent declari in calendariis variarum diœcesiam : non enim sunt iidem penes omnes. La Croix in theol. moral. l. 6, part. n. 271. Quandoque tamen in indulto hi dies solemniores non excluduntur ; immo præsumuntur non exclusi, cum datur indultum ratione infirmitatis, ut declaravit S. Congregatio die 13 januar. 1725, teste Zaccharia ad La Croix loc. cit. — (4) Bul. cit. *Magno* Benedicti XIV. — (5) Præcipuæ clausulæ apponi solitæ sunt : 1ª *Tibi, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus, etc.*; ad quam implendam sufficit nobilitas simplex data ex beneficio Principis. S. Congregatio in *Fanen.* 14 maii 1745, teste Zaccharia ad La Croix loc. cit. 2ª *In privato domus tuæ oratorio, ad hoc decenter muro exstructo, et ornato... ab omnibus domesticis usibus libero* : quæ clausula inter alia indicat, oratorium debere esse distinctum parietibus, et ornatum ad formam capellæ, licet ejus benedictio non sit necessaria. Sed S. Carolus in concilio Mediolanensi VI insuper requirebat, ut supra domum oratorii non esset cœnaculum, vel dormitorium. Rituale vero Parisiense ulterius talem in eo requirit amplitudinem, ut quatuor saltem longitudinis, et tria latitudinis, ac altitudinis metra habeat, et nullum supra existat cubiculum, in quo lectum cuiquam sternatur. Sed de iis in diœcesi Genuensi nil constitutum reperitur. 3ª *Unam missam unoquo-*

que die, etc. Die tamen nativitatis D. N. J. C. tres missæ possunt, celebrari, salvo infirmitatis casu. S. Congr. teste Giraldo ad cap. 30, de privil. sect. 884. 4ª *Sine quocumque jurium parochialium præjudicio*, quæ clausula significat, in oratorio privato non posse administrari solemnem baptismum, benedictionem nuptialem, communionem paschalem, neque sacramenta Eucharistiæ, et Pœnitentiæ absque licentia Episcopi ex rationabili causa concessa. 5ª *In tua ac familiæ tuæ præsentia*, quæ innuit, non posse missam celebrari, nisi quis adsit ex indultariis. 6º *Volumus, ut familiares servitiis tuis non necessarii... ab obligatione audiendi missam in Ecclesia minime liberi censeantur.* Ex hac clausula eruitur, missæ præcepto diebus festis satisfacere indultarios, eorum designatos filios, consanguineos, et affines, et indultariorum famulos, in eadem domo viventes, qui pro servitiis tempore missæ necessarii sunt, et non alios; licet sint Doctores, qui contrarium sustinent, quos solide confutat Monacellus, part. 2, t. 13, decret. general. circ. rubr. n. 33.

451. Denique superest, ut de altaribus, quæ in Ecclesiis, et oratoriis eriguntur, pauca adjungamus. Altare, sic appellatum, quod sit eminens, sive alta ara, est mensa, sive tabula lapidea (1), supra quam sacramentum Eucharistiæ conficitur, et Missæ sacrificium offertur. Si hæc mensa, vel tabula ita ædificio conjuncta sit, ut ab eo absque fractione separari nequeat, altare dicitur *fixum;* quo casu totum altaris ædificium consecratur ; si vero sit mobilis, et sine fractione de uno in alium locum transferri possit, dicitur altare *viaticum,* vel *portatile ;* quo casu consecratur tantum parva mensa lapidea, mobilis et plana, quæ saltem capax sit continendi hostiam, et majorem partem calicis, et idcirco non minor palmo (2), quæ mensæ ampliori etiam ligneæ in medio convenienter aptetur. Hæc consecratio in utroque altari ita est necessaria, ut aliter nequeat licite in eo sacru mfieri; et consecratio fieri tantum potest ab Episcopo vel ab alio habente a summo Pontifice auctoritatem, illis omnibus adhibitis, quæ a Pontificali præscribuntur (3).

Consecratio ambigua non sufficit (4), et semel rite facta amittitur in altari fixo, cum mensa disjungitur ab inferiori structura, cui fuit in consecratione conjuncta. Si vero tota mensa foret consecrata, et inferiori structuræ non conjuncta, formam assumeret altaris portatilis, quod, salva consecratione, potest de loco in locum transferri. Similiter consecratio amittitur in altari sive fixo, sive portatili, cum enormem subiit

fracturam (5), et cum lapidis sepulcrum, in quo Sanctorum reliquiæ reconduntur, fractum fuit, aut ex eo amotæ fuerunt Reliquiæ (6). Præterea si Ecclesia polluatur, polluta in ea fiunt omnia altaria fixa, non vero altaria portatilia, quia illa, non hæc necessariam cum Ecclesia conjunctionem habent (7).

(1) Ad altare requiritur tabula lapidea, quia Christus, qui pro altari figuratur, petra dicitur, I, ad Cor. 10, et ejus sepulcrum, quod repræsentat altare, erat excisum de petra. Marc. 15; unde nunc non sufficit tabula lignea, et non sufficit argentea, vel aurea. Ventriglia t. 2, Annot. 20, n. 40. — (2) Ita S. Congregationem definivisse refert Giraldus ad cap. 3, de consec. Eccl. qui docet majorem esse posse ; immo si tota mensa altaris consistat in unico plano lapide, tota potest consecrari, et sacrificium in qualibet parte potest offerri. — (3) Si quis vero extra casum summæ necessitatis, vel absque licentia summi Pontificis cum advertentia celebret in altari non consecrato mortaliter peccat, et suspendendus est a divinis. Giraldus loc. cit. Quoad reliqua videndum Pontificale Romanum de consecratione altaris. — (4) Can. 18. dist. 1 de consec. Neque præsumitur, nisi aliqua ratione probetur. Fieri autem potest cum Ecclesia, vel separatim ; sed in Ecclesia simpliciter benedicta altere fixum consecrari nequit. Ventriglia loc. cit. n. 18 et 24. Similiter non potest consecrari, si positum sit supra, vel prope corpora defunctorum ; et si consecratum sit, non possunt in altaribus sic collocatis missæ celebrari ; sed altaria debent interdici, donec corpora alio transferantur. Id. eod. loc. n. 28. — (5) Cap. 1 et 3 de cons. Eccl. Fracturam autem cum Giraldo loc. cit. tunc solum credimus esse enormem in altari portatili, cum tabula altaris suam amittit formam ; in altari fixo, cum aliquam lateralem crucem ab episcopo benedictam amittit, ut ait Annotator ad decisionem S. Congregationis anni 1820 in collectione Gardelliana. — (6) Hoc probatur ex pluribus S. Congregationis decisionibus, quas afferunt auctores, et ipse Giraldus loc. cit. Consequenter si Reliquiæ evanuerint, vel de earum authenticitate non amplius constet, altare iterum consecrandum est. Neque novæ possunt in lapidum sepulcris recondi Sanctorum Reliquiæ, nisi obtineatur ad id specialis S. Sedis facultas, ut eruitur ex decisione S. Congregationis anni 1848, allata a Gardellinio n. 5162. Episcopus tamen potest ad Reliquias recognoscendas altarium sepulcra aperire, salva consecratione, modo eas debito modo iterum in sepulcro recondat. Gardellinius ad annum 1693, n. 3305. — (7) Item, execrata Ecclesia, intelligitur etiam execratum altare fixum, non e contra. Nihilominus docet Ventriglia, altare non execrari quando execratur Ecclesia per combustionem, aut collapsionem parietum, salvo et intacto remanente altare, quia consecratio Ecclesiæ est separata a consecratione altaris. Loc. cit. n. 21.

TITULUS XIII.

DE ECCLESIARUM IMMUNITATE.

SUMMARIUM : 452. Quid sit immunitas, et quotuplex? — 453. Qui actus profani in Ecclesia fieri prohibeantur? — 454. In quo consistat jus sacri asyli, et ad quæ loca ab Ecclesiæ legibus extendatur? — 455. Hoc jus penitus tolli nullo modo potest. — 456. Quomodo a Concordatis fuerit restrictum? — 457. Quibus prosit, vel non? — 458. Quomodo tractandi rei ad Ecclesiam confugientes? — 459. Quomodo ex sacro asylo extrahendi rei criminis excepti? — 460. Quæ sint pœnæ contra violatores sacri asyli constitutæ, et qui habeantur tamquam violatores?

452. Immunitas in genere definiri potest, *jus quo loca, res, et personæ ecclesiasticæ ab actibus, oneribus, et muneribus sæcularibus liberæ et exemptæ sunt.* Ex hac autem definitione sequitur, immunitatem esse triplicem, nempe : *localem,* quæ competit Ecclesiis, aliisque piis locis; *realem,* quæ competit ecclesiasticis rebus; et *personalem,* quæ personis ecclesiasticis competit. Hæc personarum ecclesiasticarum, et Ecclesiarum immunitas *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus* fuit constituta (1). Cum vero de duabus ultimis immunitatis speciebus jam supra pauca prælibaverimus, reliquum nunc est, ut hic de immunitate locali loquemur. Hæc immunitas duo complectitur capita, nempe interdictum, ne actus profani et sæculares in Ecclesia exerceantur, et jus sacri asyli, quo criminum sontes ad Ecclesiam confugientes in vita et membris ab ipsa tutantur.

(1) Trid. sess. 25, c. 20 de ref.

453. Interdictum vetat, ne in Ecclesia etiam simpliciter benedicta civilis, et maxime criminalis causa agatur, aut sententia proferatur (1), ne contractus, negotiationes, nundinæ (2)

et publica parlamenta habeantur (3), ne fiant comessationes, confabulationes, deambulationes, trepitus; ne organo sive cantu lascivum et impurum aliquod misceatur, aut aliud simile fiat, quod divinum queat turbare officium, aut oculos divinæ Majestatis in loco orationis offendere, *ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio* (4). Licet nihilominus, ut communis fert Doctorum sententia, litterarias in Ecclesia habere disputationes, academicos prolysis, et laureæ gradus conferre, synodum ecclesiasticum congregare (5) : quia hi actus pietatem fovent, locique sanctitatem non lædunt (6).

(1) Lucius III in cap. 5, de immun. Eccl. hujus rei dat rationem : quia Ecclesia *domus orationis esse debet, non spelunca latronum, aut sanguinis forum.... Absurdum enim est, et crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta.* — (2) Hoc interest inter sententias criminales latas in Ecclesia, et contractus ibi initos, quod processus, et sententiæ carent robore firmitatis, cap. 2 de imm. eccl. in 6; contractus vero quamquam illiciti, sunt tamen validi, cum nuspiam in jure reperiantur irritati. Sunt Doctores magni nominis, qui permittunt in Ecclesiis vendi candelas, coronas, sacra numismata, et similia, modo id fiat sine impedimento divini cultus, et cum augumento pietatis ; nobis tamen placet decretum concilii Provincialis Parisiensis, quod sic statuit : *Prohibitum sit ne intra templum ipsum vendantur imagines, libri, coronæ deprecatoriæ et alia hujuscemodi.* Tit. 2, cap. 4. Hoc sane convenit cum exemplo Christi, qui reprobavit acriter venditiones columbarum in templo, licet pro sacrificiis deservirent. — (3) Quare juxta auctorem Prælect. Jur. Can. tom. 2, n. 529, conventus civium causa pertractandi negotia profana a locis immunibus penitus excluduntur. Neque ipsi Pastores possunt in Ecclesia aliquid publicare, quod simpliciter ad temporalia referatur ; et auctoritas sæcularis nequit Pastoribus id aliquo modo præscribere, nisi adsit Episcopi mandatum. André, Cur. jur. can. verbo *affaires profanes*. Neque judex sæcularis potest tribunal in Ecclesiis erigere. Zallinger de imm. Eccl. § 483, in not. — (4) Cap. 2 de imm. Eccl. in 6, et Trid. sess. 22, in decret de celeb. miss. — (5) Benedictus XIV de Synod. l. 1, c. 5. — (6) Zallinger loc. cit. adjungit, inaugurationes, et creationes Regum, creationes illustrium equitum, et alicubi ex antiqua consuetudine electiones et confirmationes magistratuum civilium in Ecclesiis fieri posse : tales enim operationes aliquo modo ad actus sacros revocantur, quia, invocato divino auxilio, pro bono Ecclesiæ et civitatis peraguntur.

454. Jus asyli sacri est privilegium, quo donantur debitores, et rei criminum non exceptorum ad Ecclesiam confugientes,

nequeant ab ea violenter extrahi, et in vita, membrisque puniri. Quare si injuste, et per vim extrahantur, injuria irrogatur Ecclesiæ, et sic extracti sunt liberi in loco immuni reponendi. Hoc jus asyli ab Hæbreis, et Gentibus prius inventum, ab Ecclesia catholica apprime determinatum, et ab omnibus fere Rerumpublicarum moderatoribus observatum fuit (1). Jus canonicum commune multum in hac materia mutatum fuit per Concordata inita inter S. Sedem, et Principes ac Reges : nam hoc jus, quod prius late admodum patebat, et ad omnes Ecclesias, etiam execratas, vel pollutas, ad oratoria publica, ad cœmeteria, ad pia loca Episcopi auctoritate erecta, et ad loca Ecclesiis adjacentia per spatium 40 passuum in majoribus, et 30 in minoribus Ecclesiis extendebatur (2), in vim Concordatorum restrictum fuit (3).

(1) Hoc late probat Gonzalez ad cap. *Inter alia* de imm. Eccl. et D. Gualco in tract. de jure sac. asyl. — (2) Can. 6, c. 17 q. 4. — (3) Etiam processio in qua defertur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum jure sacri asyli fruitur, et quidem merito : nam dicta processio quamdam continet Ecclesiæ extensionem, et Christi præsentia locum sacrum facit ; si enim recte dicitur ibi esse Romam, ubi est Papa, a fortiori dici poterit, ubi esse Ecclesiam, ubi est Christus.

455. Non desunt Auctores, qui dicant, in aliquibus locis vi consuetudinum ita jus asyli sacri restrictum fuisse, ut penitus evanuerit. Concedimus in facto, ob persecutiones in Ecclesiam diversis temporibus excitatas, id contigisse ; sed negamus idem in jure evenisse, aut evenire potuisse. Nam asylum sacrum ex jure naturali, et divino promanat, cum universæ gentes illud admiserint : quia quod in universum a gentibus fit, aliam non potest habere causam, quam ipsam naturam. At consuetudo contra jus naturale, contra Ecclesiæ libertatem, et immunitatem non potest introduci, cum talis consuetudo eam habeat adjunctam pravitatem, quæ numquam potest cohonestari (1). Quæ sane erit reverentia, libertas, et immunitas Ecclesiæ debita, si per consuetudinem licitum fieri queat, reum a sacro altari armis, et strepitu avellere ?

(1) Cap. 49 de sent. excom. et cap. 14 elect.

456. Generatim a Concordatis hoc jus asyli sacri restrictum fuit ad Ecclesias parochiales, earumque filiales vel succursales, in quibus cura parochialis exercetur, vel sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum retinetur; item ad conventus, et monasteria pro toto illo spatio, quod intra clausuram comprehenditur, quemadmodum ex verbis specialium Concordatorum liquet. Illud profecto certum est, restrictiones per summum Pontificem factas in Concordatis cum Principibus sæcularibus, justa exigente causa, libertatem et immunitatem Ecclesiarum non lædere, quia quæ ex legitimis Concordatis fiunt, ipsius Pontificis auctoritatem habent (1).

(1) Pro regno Sardiniæ adest instructio Benedicti XIV, anni 1742, quæ quoad immunitatem localem, vel quoad jus sacri asyli ad Liguriam nostram extensa fuit per Breve *Obsequio erga Deum* Leonis XII, 20 jun. 1826.

457. Post loca, quæ jure asyli sacri fruuntur, juvat videre, qui sint rei, quibus idem jus potest prodesse. Ac primo hoc jus in genere prodest omnibus catholicis, immo et excommunicatis, schismaticis et hæreticis, modo contra eos de hæresis crimine non inquiratur; prodest quoque juxta probabiliorem Doctorum sententiam ipsis Judæis, paganis, et infidelibus; quia hoc privilegium non est personale, sed reale, vel locale, utpote constitutum in gratiam loci sacri, atque in obsequium Dei, non in gratiam personæ recurrentis ad illum (1). Demum hoc ipsum jus prodesse potest omnibus reis, qui crimen commiserunt non exceptum. Quædam profecto crimina sunt adeo execranda, ut qui ea patraverint, nullatenus sint jure asyli sacri donandi. Hinc Deus Moysi pro Israelitis legem dederat: *Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari evelles eum, ut moriatur* (2). Jure canonico tales sunt: latrones publici, grassatores viarum, homicidæ animo præmeditato, sicarii, fabricatores litterarum Apostolicarum, conflantes monetas falsas et veras adulterantes, violatores juris sacri asyli, et alii, quos recenset Benedictus XIV (3). Jure vero Concordatorum alii plures sint criminati, qui jure sacri asyli non fruuntur: qua de re ipsa Concordata inspicienda sunt (4).

(1) Ita ferunt, sacram Congregationem definivissse in *Sarzanen.* 26 Septemb. 1651, et 26 mart. 1686. — (2) Exod. c. 21. — (3) Inst. 41, ubi aliorum summorum Pontificum bullas huc respicientes citat. — (4) Quoad regnum Sardiniæ videnda ut supracitata Instructio Benedicti XIV, cum brevibus Pii VI 18 april. 1776, 11 decemb. 1779 et 9 april. 1781 in quibus plura declarantur crimina excepta.

458. Criminum rei ad Ecclesiam confugientes christiana benignitate, et charitate sunt recipiendi, et si indigeant, ex bonis ecclesiasticis sustentandi : nequeunt rebus suis secum in locum immunem delatis spoliari, licet spoliari queant rebus alienis, et armis etiam cum imploratione et potestate brachii sæcularis (1) : nequeunt de loco immuni exturbari, nisi eodem abutantur; quod si contingat, possunt prima vice Episcopi auctoritate de uno in alium locum transferri ; at si adhuc abutantur secunda vice, possunt sacri asyli privilegio per eumdem Episcopum privari (2).

(1) Can. 6, c. 17, q. 4. — (2) Benedictus XIV, cit. Instit. 41, n. 33, et in alia cit. Instr. pro regno Sardiniæ § 9 in fin.

459. Si vero, qui in sacrum asylum se recepit, reus supponatur excepti criminis, extrahi quidem ex eo potest; sed requiritur : 1° ut interveniat Episcopi licentia, qui eam non tribuit, nisi extractioni interveniat ecclesiastica persona ad id deputata pro debita servanda Ecclesiæ reverentia; 2° ut Episcopus processum informativum sibi conficiat, ex quo constet de crimine excepto, et de indiciis gravibus pro reitate confugientis ad Ecclesiam; 3° ut minister curiæ sæcularis juret, se restituturum Ecclesiæ reum, si probetur innocens, vel non reus criminis excepti sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ; 4° ut judex sæcularis in processu conficiendo audiat Ecclesiæ fiscalem, ipsumque reum; 5° ut traditio fiat sub protestatione incolumitatis vitæ, et membrorum ad formam notissimi capitis *Prælatis* (1).

(1) Cap. 2, de homicid, in 6. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 132. Aliæ quoque in Concordatis præscribi solent conditiones, et etiam judicium Episcopi cum jure appellationis, ut in citato Concordato pro regno Sardiniæ.

460. Præcipuæ pœnæ contra violatores juris sacri asyli duæ sunt, nimirum : privatio hujus beneficii, si violator imposterum ad asylum sacrum recurrat, et excommunicatio major Papæ reservata. Violatores tamen hujus juris habentur : qui repellunt confugientes ad Ecclesiam, aut impediunt, quominus eis necessaria ad vitam deferantur ; qui in Ecclesiam receptum ab ea extrahunt, et hujus facti cooperatores ; qui eumdem in Ecclesia occidunt, vel graviter lædunt ; et demum qui cum debeant reum Ecclesiæ restituere, id facere recusant (1).

(1) Card. Soglia loc. cit.

TITULUS XIV.

DE SEPULTURIS, ALIISQUE ECCLESIÆ BONIS.

SUMMARIUM : 461. Sepultura fidelibus quo loco diversis temporibus data sit? — 462. Quomodo in Ecclesiis sit danda? — 463. Quotuplex sit, et quid dicendum de electa? — 464. Quid de gentilitia? — 465. Quid de parochiali? — 466. Quibus interdicatur? — 467. Calix et patena consecratione indiget, et execrari potest. — 468. Quæ sint adnotanda circa Ecclesiæ supellectilem? — 469. Quæ circa campanas?

461. Sepultura dupliciter accipitur, videlicet pro loco, in quo cadavera humantur, et pro jure humationis juxta ritus ab Ecclesia præscriptos, quo sensu dicitur etiam sepultura *ecclesiastica*, de qua nunc agimus. Circa primum Romanis erat interdictum, ne cadavera sepelirentur in Urbe juxta illud XII Tabularum : *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito ;* eratque aliunde cautum, ut loca extra Urbem, in quæ cadavera illata forent, religiosa haberentur. Disciplina vero ecclesiastica antiqua interdicebat, ne quis sepeliretur in Ecclesia ; sed hoc vix aliquando permittebat in atrio, aut porticu Ecclesiæ (1), dum ad cadaverum receptacula erant instituta cœmeteria, loca scilicet religiosa ad hoc ab Episcopo solem-

niter benedicta, et quantum fieri potest, Ecclesiæ proxima. At decursu temporis sepultura concedi cepit in ipsa Ecclesia primum sanctis martyribus, episcopis, sacerdotibus, et principibus christianis, ac inde universis Christi fidelibus ; quod, si nihil obfuisset, multum proderat, ut defunctorum præsentia fidelium mentes ad divinam pro eis exorandam clementiam excitaret (2). Hodiernis tamen temporibus sub specie antiquam renovandi disciplinam, et incolumitati consulendi ; sed vere, quo spiritu, Deus scit, civili auctoritate urgente (3), fere ubique erecta fuerunt cœmeteria, et interdictæ in Ecclesia sepulturæ (4).

(1) Can. 15, c. 13, q. 2. — (2) Possunt quidem esse casus, in quibus expediat, mortuorum cadavera potius in cœmeterio, quam in Ecclesia tumulare ; sed hoc utilitati mortuorum et fidelium pietati minus congruum videtur. Revera ferventiores catholici semper exoptarunt, et nunc etiam exoptant, sua reponere ossa in domo orationis, et prope venerandas Sanctorum reliquias, quorum credunt, se facilius obtenturos patrocinium, adjuvantibus continuis fidelium precibus. Quare S. Maximus episcopus Taurinensis recte aiebat : *A majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat.* Serm. 55. — (3) Ex quo factum est, ut pluribus in locis cœmeteria potius profana dici debeant, quam ecclesiastica, cum a civili auctoritate regantur, et administrentur ; quæ quidam minus est idonea ad leges ecclesiasticas in fidelium sepulturis servandas. — (4) Ita hodie in Italia leges, et auctoritates civiles præscribunt, quæ dum libertatem jactant, libertatem etiam sepulturæ negant.

462. Veteres gentes juxta diversos earum mores defunctorum cadavera aut feris, aut aeri, aut aquis, aut igni, aut terræ extenuanda dabant ; Ecclesia catholica hunc morem condendi in terra defunctorum corpora elegit, semperque retinuit, utpote qui antiquior, communior, naturæque convenientior est, cum corpus hominis reddendus sit humo, ex qua desumptum fuit juxta illud : Revertatur pulvis in terram suam, unde erat ; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum (1). Exstructa propterea sunt cœmeteria in agris, et in Ecclesiis sepulcra ; in quibus observandum, quod cadaverum depositiones fieri debent subtus terram, ita ut sepulcri operculum complanetur cum pavimento, et non in muris, aut conditoriis elevatis ; quæ si

forte adsint in aliqua Ecclesia ab Ordinariis amovenda sunt juxta præscriptum S. Pii V (2). Hoc quidem privilegium sepulcri elevati solis summis Pontificibus competit (3).

(1) Eccles. c. 12. — (2) Bul. *Cum primum*, ubi hæc leguntur : *Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem Ordinarii provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.* — (3) Est insuper curandum, ne cadavera sepeliantur subter altare, aliter non posset in eo sacrum fieri, nisi hinc iisdem amotis. S. de Ligorio l. 6, n. 369, ne epitaphia tumulis inscribantur, neque ulla insculpentur aut pingantur emblemata, quæ ab Episcopo non sint approbata, et ne defunctorum corpora sepulcris absque episcopi licentia effodiantur, aut alio transferantur, aut inhumaniter tractentur, in quo ultimo casu reus plectitur reservatæ excommunicationis pœna. Extrav. *Detestandæ* de sepult. int. com. Si tamen fiscus exhumationem petat, ad recognoscendum cadaver, in deficientia Ordinarii, parochus, aut dignior loci sacerdos potest exhumationem permittere, modo extra Ecclesiam, locumque immunem recognitio fiat, ut pluries fuit a S. Congregatione definitum. Monacellus part. 1, t. 6, for. 7.

463. Circa secundum, sive jus humationis, vel sepulturæ, observamus, sepulturam a sacris canonibus assignavi triplicem, nempe : *electam, gentilitiam,* et *parochialem*. Sepultura electa prævalet omnibus : nam quoad locum sepulcri potius semper esse debet judicium morientis. Attamen sub interdicti, et excommunicationis reservatæ pœnis non licet Religiosis, aut Clericis cum quoquam de eligenda penes se, aut de electa non, mutanda sepultura pacisci ; quod pactum etiam juramento, aut voto firmatum semper est nullum ; et si jam fuerit executioni mandatum, sepelientes ad cadaveris, omniumque inde perceptorum restitutionem tenentur (1). Habent autem ex jure communi sibi libere sepulturæ eligendæ jus omnes fideles (2), etiam filii-familias, et maritæ, non obstante viri potestate, quia electio hæc ad eum statum pertinet, in quo uxor solvitur a lege viri. Si vero marita sibi sepulturam non elegerit, tumulanda est cum suo viro, et quidem cum ultimo, si plures habuerit (3). Excipiuntur tamen impuberes, et regulares, quibus non est neque velle, neque nolle (4).

(1) Cap. 1 de sepult. in 6 et Clem. *Cupientes* de pœn. — (2) Modo laici non eligant sepulturam in Ecclesiis Monialium, quod est prohibitum absque S. Congregationis permissione et Monialium consensu, illis exceptis, qui in dictis Ecclesiis ab immemorabili tempore sepulcrum habent. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 126. — (3) Cap. 7 de sepult. et cap. 1, eod. in 6. — (4) Cap. 5 eod. Pro impubere tamen, ipso vivente, potest sepulturam eligere pater, vel mater. Card. Soglia loc. cit. § 127.

464. Sepultura gentilitia est illa, quam quis habet in sepulcro familiari, aut hæreditario, aut Majorum : hæc prævalet parochiali, dum ista communis appellatur, et illa particularis ac propria (1). Propria vero dicitur, non quod quis habeat in ea verum dominium, sed quo quis habeat in ea tantum usum sive jus sepeliendi; dum sepulcra loca religiosa sunt, et idcirco extra hominum commercium posita (2). Unde, qui eo potitur jure, alteri donare, vel legare non prohibetur (3), aut remediis possessoriis sibi vindicare ; non vero potest per se, et principaliter vendere, cum jus sit rei spirituali adjunctum, nisi vendatur locus purus a ministris Ecclesiæ, aut commoditas honorificentioris loci, aut a quocumque materiale loci jam constructi; cum in illis casibus pretium, quod penditur, in ministrorum sustentationem cedat, et in hoc ultimo locum factarum expensarum teneat. Sed si sepulcrum hæreditarium sit, vendita hæreditate, in emptorem transit, nisi sit exceptum (4).

(1) Cap. 1 et 3 de sepult. — (2) L. 4, cod. de rel. et sumpt. fun. — (3) L. 14, eod. de legat. — (4) Gonzales ad cap. *Abolendæ* de sepult. num. 7.

465. Sepultura denique parochialis est, quam quis habet in propria parochia, in qua divina officia consuevit audire, et ecclesiastica recipere sacramenta. Verum in hac, sicut in aliis jam citatis sepulturæ speciebus, proprius defuncti parochus, excepto casu paupertatis, jus habet ad portionem canonicam petendam (1). At ob retardatam, vel non solutam canonicam portionem nequit parochus cadaveris sepulturam differre, vel negare, ut definivit pluribus vicibus S. Congregatio : multum enim repugnat, ut propter emolumentum pecuniæ ultimum lædatur pietatis officium (2).

(1) Portio canonica parocho defuncti debita non est satis in jure determinata; sed determinatur a rationabili consuetudine regionis, vel provinciæ. Cap. 9 de sepult.; ad quod consuetudo quadraginta annorum sufficit. Trid. sess. 25, c. 13, de ref. Quæ portio dicitur quarta parochialis, vel quarta funeralium, scilicet eorum, quæ ex voluntate defuncti, vel ex funeribus obveniunt Ecclesiæ. Reiffenstuel de sepult. n. 44 et seqq. — (2) Synod Genuen. c. 24.

466. Quilibet fidelis jus habet ad ecclesiasticam sepulturam, nisi in lege reperiatur expresse interdictus. Interdicuntur autem : primo qui sunt excommunicati vitandi, a nobis supra definiti, in quibus ea viget regula, *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus mortuis* (1); secundo qui a Religione publice desciverunt, ut sunt hæretici, schismatici, et apostatæ; hi quidem recedentes, et ab Ecclesia seorsim viventes, ecclesiastica sepultura se faciunt indignos (2); tertio qui in duello occubuerunt, etiamsi post crimen pœnitentiam egerint (3); quarto qui in statu peccati lethalis publice constat absque pœnitentia decessisse, ut sunt suicidæ (4), fures et latrones mortui in flagranti (5), monachi mortui cum peculio (6), et usurarii motui sine cautione de restituendis usuris (7); quinto qui sunt blasphemi (8); sexto qui præceptum paschale violaverunt (9). Hi et alii publici peccatores modo ex dispositione juris, et modo ex judicis ecclesiastici sententia declavatoria criminis et impœnitentiæ finalis, ecclesiastica sepultura privantur. At hujusmodi sententia tunc non habet locum, cum de peccatis occultis utcumque gravibus agitur, quia sacri canones non patiuntur, ut publica pœna crimina puniantur occulta. Similiter non habet locum, cum adest dubium circa jus, aut circa factum : quia in pœnis mitior est tenenda nterpretatio; et cum regulariter delinquens saltem in extremis aliquod pœnitentiæ, aut pietatis signum dedit, ut communiter sentiunt Doctores.

(1) Cap. 12 de sepult. — (2) Cap. 8, de hæret. — (3) Bul. *Detestabilem* Benedicti XIV. — (4) Can. 12, c. 23, q. 5. — (5) Cap. 2 de furt. — (6) Cap. 1 et 6 de stat. monach. — (7) Cap. 2 de usur. in 6. — (8) Cap. 2 de maled. — (9) Cap. 12 de pœnit.

467. Nunc superest, est pauca de aliis Ecclesiæ rebus adjungamus, inter quas calices, suppellectiles, et campanas recensendas existimamus. Calix et patena duo sunt vasa aurea, vel argentea in ea parte inaurata, in qua Corpus et Sanguinem Christi continent, quæ per Episcopi consecrationem divino aptantur ministerio (1), quæque ad instar Ecclesiarum, Altariumve quandoque execrantur. Hoc profecto contigit, si ita frangantur, ut primam amittant formam, si perfossa nequeant sacras species continere, et probabiliter etiam, si novo obducantur auro (2). Quousque vero hæc vasa consecrationem servant, tangi nequeunt a laicis et fœminis, neque a clericis etiam Subdiaconis si sanctissimam Eucharistiam contineant (3). Nequeunt vendi, nisi urgente necessitate, qua etiam posita, nulla consecrationis, sed tantum materiei et artis habenda est ratio, ita ut sic personis ecclesiasticis integra, et laicis tantum confracta vendi regulariter queant.

(1) Abbates etiam benedicti non habent ex jure communi facultatem consecrandi calices, et patenas, sed tantum ex speciali S. Sedis privilegio ; et qui hoc speciali privilegio fruuntur, eo uti nequeunt in favorem Ecclesiarum, quæ ad eos non pertinent, nisi privilegium adeo late pateat, ut alienas comprehendat Ecclesias, ut pluries S. Congregatio declaravit. Giraldus ad cap. 3 de consec. Eccl. — (2) S. de Ligorio l. 6, n. 370. — (3) Can. 25 et 26 dist. 23.

468. Suppellex Ecclesiæ consistit in sacris Ministrorum vestibus, in instrumentis ad sanctissimum Missæ Sacrificium celebrandum necessariis, et in aliis Ecclesiarum, Altariumque ornamentis, de quibus agunt ex professo rerum liturgicarum Auctores. Nos hic tantum pro munere nostro adnotamus, sacras prædictas vestes atque instrumenta regulariter esse per Episcopum benedicenda, qui sibi competentem facultatem nequit simplici sacerdoti delegare, nisi hac super re S. Sedis habeat indultum, quod facile solet concedi (1). Adnotamus similiter his rebus magnam habendam esse reverentiam, cum sint pro divini cultus exercitio specialiter Deo dicatæ, ita ut nequeant ad usus profanos ulterius transferri (2). Benedictio his rebus impertita semper durat, nisi earum notabiliter mutetur forma, sive ita atterantur, ut nequeant, vel indeceat, eas

in divinis usum præbere; ac proinde non fiunt execratæ, si tantum reficiantur; aut abluantur; sed si execratæ factæ sint, debent comburi, et in sacrario, vel alio honesto loco earum cineres recondi (3).

(1) Pixis, ostensorium, et corporalia debent benedici juxta propriam formam, quæ habetur in Missali. S. Congregatio Rituum in *Januensi* 16 nov. 1649. Quoad cruces altarium et processionum sunt qui docent, posse privatim a simplici sacerdote benedici, Giraldus loc. cit.; sed Baruffaldus cum Monacello docent, cruces et imagines in Ecclesia exponendas esse omnino benedicendas et quidem solemniter, quia rubrica Ritualis Romani in tit. 70. *Benedictio Imaginum J. C. D. N. et B. M. Virginis, et aliorum Sanctorum*, est constitutiva, et non directiva; eo etiam magis, quia præscribitur in Pontificale, quod vim legis habet. Baruffaldus tit. cit. n. 6. — (2) Cap. 51. de reg. jur in 6. Non prohibentur tamen a laicis tangi, excepto corporali, et purificatorio. — (3) Can. 39, dist. 1, de consec.

469. Campanæ ab antiquissimo tempore in Ecclesia introductæ (1) benedicendæ sunt, vel, ut alii loquuntur, consecrandæ per ipsum Episcopum, qui absque speciali S. Sedis indulto hanc benedictionem nequit simplici sacerdoti committere, ex eo quod in ea sacra unctio est adhibenda (2). Hæc consecratio quandoque appellatur baptismus campanarum, quia in ea adhibetur aqua benedicta, sanctum Oleum infirmorum, sanctum Chrisma, et nomen alicujus Sancti campanæ imponitur; sed vere est benedictio, qua campana ab usibus profanis segregatur, et divino cultui addicitur : unde consecratio campanæ Ecclesiæ consecrationem imitatur. Hoc ritu illæ solum campanæ benedici possunt, quæ ad Ecclesiæ usum deputantur, non vero illæ, quæ a laicis ad ciendum populum, aut ad horas pulsandas adhibentur (3). Antequam vero sint benedictæ, in Ecclesiæ usu esse non debent; et post benedictionem pulsandæ sunt moderate ad usus tantum religiosos et pios juxta Ecclesiæ cujusque consuetudinem, et juxta mandatum Episcopi, vel Parochi. Nec potestas civilis aliquod jus habet circa sonum (4); neque pulsari possunt ad usus mere profanos (5).

(1) Indubitatum est, campanas originem habuisse in Ecclesia occi-

dentali ; sed dubitatur, quis primus fuerit earum institutor. Communiter hæc inventio tribuitur S. Paulino Nolæ episcopo, qui medio sæculo quinto vita functus est. Sed de veritate hujus opinionis valde dubitat Benedictus XIV in sua Institutione 20, quia idem S. Paulinus Ecclesiam describens a se ædificatam per singulas suas partes, nil de campanis, aut turri campanaria commemorat, quod non siluisset, si primus in ea campanas collocasset. Quare multo probabilior videtur opinio, quæ S. Columbanum nostrum monasterii Bobiensis abbatem seculo sexto campanarum inventorem statuit. Revera P. Mabillonius in vita S. Columbani a se scripta ait, *ipsum* (S. Columbanum) *media nocte, pulsante campana, se ad templum contulisse et quadam die ministro suo campanam subito pulsare præcipisse, cujus sonitu Fratres excitati Ecclesiam protinus sunt ingressi*. Hæc est prima campanarum mentio, quæ in historiis ecclesiasticis invenitur, de quo Martene, et Pagius conveniunt, ut testatur Benedictus XIV in Inst. 20 cit. — (2) Hæc facultas nunc Episcopis petentibus facile conceditur. — (3) Sic enim definivit S. Congregatio Rit. 17 sept. 1822, quæ interrogata : *An signa, seu campanæ pro indicandis horis in horologiis publicis possint benedici eadem formula, qua benedicuntur signa ecclesiastica?* Respondit : *Negative, præterquam in casu, quo eadem signa nedum pro indicatione horarum pulsanda sint, verum etiam pro sacris functionibus.* — (4) Hoc principium admittitur etiam a novis legibus civilibus Galliæ. André Curs. alph. jur. can. verbo *Cloche*, § 2. Nec potestas civilis valet nominare pulsatorem companarum, vel turris companariæ custodem, quod munus non ad Majorem, vel Syndicum, neque ad consilium Fabricæ, sed ad Parochum spectat. Id. ib. — (5) Possunt tamen pulsari in casu inundationis aquarum, incendii, aut alterius calamitatis, vel periculi : quia sic officium charitatis et pietatis exercetur.

TITULUS XV.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM : 470. Origo beneficiorum. — 471. Beneficium ecclesiasticum definitur. — 472. Quæ requirantur ad ipsum constituendum ? — 473. Beneficiorum divisio. — 474. An ad auferendum beneficium manuale requiratur aliqua causa ? — 475. Beneficia majora a Papa, minora ab Episcopo eriguntur. — 476. Quid observandum in erectione canonicatuum ? — 477. Quæ conditiones in beneficiorum erectione possint apponi ? — 478. An capellania laicalis queat per episcopum in beneficium erigi ? — 479. Quibus signis judicatur, an capellania laicalis sit beneficium, vel non ?

470. Post factas animadversiones de rebus Ecclesiæ spiritualibus, ad temporales progredimur, inter quas præcipuum tenent locum beneficiorum fructus. Hinc prima est disquisitio de beneficiis.

Certum est ante sæculum Ecclesiæ quintum nulla fuisse vera beneficia ecclesiastica. Clerici ante hoc tempus, ad instar militum a proprio duce, vitæ stipendia diurna, aut menstrua a proprio Episcopo ex communibus bonis capiebant (1) ; qui cum assensu presbyterii eos deputabat, modo ad sibi adsistendum in Ecclesia civitatis, modo ad regendam Ecclesiam ruralem. Deinde sæculo sexto post factam bonorum ecclesiasticorum divisionem in quatuor partes (2), quædam bona Clericis ad vitam sustinenda credi singillatim, aut commendari ceperunt (3), ac postea sæculo nono beneficia ecclesiastica reperiuntur nominata in canone Concilii Moguntini (4).

(1) Habent sane Clerici jus sustentationis ex bonis ecclesiasticis, quod naturalis ratio, docuit omnes gentes, et Deus in veteri et novo testamento probavit. Lev. c. 10. Luc. c. 10 et Paulus 1. ad Cor. 9. Unde illud Innocentii III ex Apostolo desumptum : *Qui altari servit, vivere debet de altari.* Cap. 16 de præbend. — (2) Can. 27 et 30, c. 12, q. 2.

— (3) Hoc significatur in can. 32, 35 et 36, c. 12, q. 2. — (4) Hic canon refertur in cap. 1 de eccl. ædif. Hoc primum tempore dicimus beneficia ecclesiastica reperiri nominata ; nam beneficia sæcularia, et civilia penes Romanos antiquissima fuerunt : porro illæ concessiones prædiorum fiscalium, quæ a duce fiebant militibus ob rem strenue gestam, beneficia dicebantur. Ex quo illud factum est, ut beneficia quoque appellarentur illæ prædiorum, bonorumve ecclesiasticorum concessiones, quæ ab episcopo Clericis magis de religione meritis fierent, quæque hodierna beneficia ecclesiastica constituunt.

471. Beneficium ecclesiasticum potest definiri : *jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, quod ecclesiastica auctoritate institutum ab eadem Clerico propter spirituale officium ad vitam tribuitur.* Hoc jus ex re spirituali enascitur, quia dantur fructus temporales propter officium spirituale (1), et comprehendit potestatem percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, non autem plenam proprietatem in iisdem bonis, et absolutum dominium : nam beneficiatus vivens tamquam bonus pater-familias debet beneficii bona utiliter administrare, et moriens restituere quidquid ex iisdem sua culpa fuit diminutum aut peremptum (2).

(1) Unde in beneficiis simonia committi potest, ut jam vidimus ; spirituale autem officium est, ex. gr. celebrare missam, absolvere a peccatis, recitare horas canonicas, verbum divinum nunciare, aliaque ministrare sacramenta ; et ex adverso non est officium spirituale ex. gr. agere causas Ecclesiæ in officio advocati, vel procuratoris, pulsare organa, inflare tibias, solumque ædituum agere. — (2) Beneficium quandoque appellatur etiam *Prœbenda,* quæ distinguitur a beneficio, quia significat tantum bona temporalia, sive dotem. Devoti Inst. can. L. 2, t. 14, § 3.

472. Ex præmissa definitione liquet, tria ad beneficium constituendum requiri, nempe : ut sit erectum auctoritate ecclesiastica ; ut sit ab eadem auctoritate conferendum Clerico ; et ut sit perpetuum. Ac primo beneficium erigendum est auctoritate ecclesiastica, nimirum summi Pontificis, aut Episcopi, quia in beneficiis confertur facultas ad munia spiritualia legitime obeunda ; at hæc facultas haberi nequit, nisi ab Ecclesia. Hinc pium legatum missarum etiam perpetuum cum onere hæredi

imposito præsentandi sacerdotem ab Episcopo in eo instituendum, item privata capellania etiam in perpetuum dotata pro celebrandis missis, quamquam sit benedicta, si ecclesiastica careant institutione, qua ad naturam beneficiorum erigantur, neque vera sunt beneficia, neque beneficiorum regulis moderantur; sed sub hæredum, et successorum a testatore designatorum cura, et dispositione manent : et si quis ex tali legato, vel capellania ordinationem obtinuerit, non ex titulo beneficii, sed ex titulo patrimonii dicendus est ordinatus (1).

Requiritur secundo, ut ab auctoritate ecclesiastica sit conferendum ob supra citatam rationem, ac quidem Clerico saltem prima tonsura initiato; nam laici nequeunt absque summi Pontificis dispensatione beneficiorum fructus percipere, cum nequeant spirituale ministerium exhibere (2). Requiritur tandem tertio, ut beneficium sit perpetuum in se, et ad vitam beneficiati duraturum : nam cum beneficiatus ad vitam suum promittat Ecclesiæ ministerium, ad vitam est ab eadem sustentandus, quod fit perpetuo beneficii titulo (3) ; excipitur tamen ab hac regula beneficium regulare, quod, cum possit ab uno auferri et alteri dari, dicitur *manuale*, ut infra videbimus.

(1) Zallinger de præb. et dignit. § 51. Beneficium erigendum est ad altare cum sufficienti dote. Monacellus part. 1, t. 2, f. 1, n. 3. Dos constituenda est in bonis immobilibus, vel mobilibus Ecclesiæ, modo perpetuam afferant utilitatem. Ideo hodierna Galliæ beneficia, quæ redditus consequuntur ex publico ærario, vera sunt beneficia, et tales redditus ecclesiastici sunt. S. Congregatio ita pluries definivit, et specialiter S. Pœnitentiaria die 9 januar. 1823. — (2) Si tamen laicus proxime clericandus, ut dicunt, ad beneficium juris patronatus præsentetur, ejusque ordinatio a præsentante petatur, et si post præsentationem intra tempus ad præsentandum patrono concessum ordini ecclesiastico adscribatur, tonsuramque recipiat, valet præsentatio, et ipse est in beneficio instituendus. Garcia de benef. part. 7, c. 1, n. 28. — (3) Nam, *in qua ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuo perseveret*, traditur in can. 2 dist. 70.

473. Beneficia dividuntur in *majora*, uti sunt beneficia Episcoporum, et Prælatorum jurisdictionem quasi episcopalem exercentium; et *minora*, uti sunt cætera beneficia inferiora (1). Item in *sæcularia*, quæ clericis sæcularibus, et *regularia*, quæ

Clericis regularibus sunt conferenda (2). Item in *curata*, et *duplicia*, quibus opponuntur *simplicia*. Curata illa dicuntur, quæ habent adjunctam curam animarum; duplicia vero, quæ vel curam animarum, vel jurisdictionem, vel præcedentiam, vel administrationem, vel etiam residentiam habent adjunctam, uti sunt parochiæ, dignitates, personatus, officia, et canonicatus residentiales (3). Item denique in *electiva*, quæ conferuntur per electionem Capituli juxta sacros canones celebratam, et a Superiore confirmatam; in *collativa*, quæ conferuntur per liberam Superioris auctoritatem; et in *patronata*, quæ ad patronorum præsentationem conferuntur. Nos hujus postremæ divisionis ordinem in his institutionibus sequemur. Quædam tamen adhuc a Pragmaticis recensentur beneficia, quæ dicuntur *manualia*, sive revocabilia, eo quod ad nutum conferentis vel alterius possunt a beneficiatis auferri (4).

(1) Sed majora beneficia sub simplici appellatione beneficiorum in materia odiosa non solent comprehendi; et dispensatus ad beneficia in genere obtinenda, non potest ad episcopatum promoveri, quia dispensatio utpote odiosa stricte est interpretanda. Reiffenstuel de præbend. n. 21. — (2) Notamus sæcularia beneficia fieri regularia non posse, neque vicissim, nisi ex dispositione summi Pontificis, aut ex indi legitimæ et quadragenariæ præscriptionis; in dubio vero beneficia præsumuntur sæcularia. Gonzalez in reg. 8 Cancel. — (3) Quare beneficia, quæ his carent attributionibus, solumque onus involvunt canonicas recitandi horas, divinas canendi laudes, et sacrum celebrandi simplicia sunt; in quibus illud notandum, quo dispensatus ad obtinendum beneficium simplex, nequit consequi beneficium duplex, quia hujusmodi rescripta dispensationum stricte sunt interpretanda. — (4) Hæc beneficia licet a benefactore fundata, et episcopi auctoritate erecta, vera beneficia non sunt, cum perpetuitatis tributo careant. Nihilominus in favorabilibus nomine beneficiorum veniunt; ideoque favore publicæ utilitatis est constitutum, ut etiam in manuali beneficio simonia committatur, et ut obreptione vitietur impetratio secundi beneficii, si in supplicatione orator omiserit exponere, se aliud manuale beneficium possidere, ut tradunt communiter Doctores.

474. Circa hæc manualia beneficia quæritur, an ad removendum beneficiatum a beneficio aliqua causa requiratur? Sententia affirmativa ex eo sustinetur, quod amotio debet esse rationabilis, quæ si fiat absque aliqua causa, rationabilis nul-

latenus esse potest; et aliunde injustum est a beneficio dimu tere beneficiatum, qui rite suis muneribus fungitur. Sed nega tiva communiter a Doctoribus, et a Romana Curia recipitu quæ ex ipsa beneficii natura emergit : nam beneficium m nuale revocabile est ad nutum. Qui proinde sic agit, utitu jure suo, et nemini facit injuriam (1).

(1) Hæc tamen sententia licet verior in thesi generali, non e certo admittenda, si amotio per odium, aut vindictam fiat, si læd jus tertii, ut populi, qui multum utilitatis ex optimo sacerdote si ad nutum deputato reportat, et si de beneficio agatur, in quo requ ritur præsentatio patroni, et institutio episcopi ; nam clericus nom natus et institutus licet queat a patrono sine causa removeri non e amotio sine causa ab episcopo acceptanda, maxime cum nequit ab que jactura famæ ipsius beneficiati acceptari. De Luca de benef. sum. n. 298.

475. Beneficia majora Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturæ ordinariam jurisdictionem exercentis, item ben ficia Abbatum, primarumque dignitatum in Ecclesiis regular bus, cathedralibus et collegiatis auctoritate tantum summi Po tificis erigi queunt : hæc quidem merito inter primaria Eccl siæ beneficia recensentur, et sunt summo Pontifici reservat Beneficia vero parochialia, et simplicia solius Episcopi diœcesa auctoritate eriguntur, modo observentur solemnitates a ju præscriptæ, quæ fere conveniunt cum illis, quæ supra erectione Ecclesiarum parochialium numeravimus (1).

(1) Zallinger de præbend. § 61 et 62.

476. Quoad erectionem canonicatuum in Ecclesiis cathedr libus, et collegiatis distinguendum est, aut numerus Canonic rum in data Ecclesia est per summum Pontificem definitus, a non : in primo casu nequit Episcopus novum canonicatum e gere, quia nequit mutare, quod fuit per summum Pontifice definitum (1); in secundo vero casu, potest Episcopus nov canonicatus erigere, si adsit dos sufficiens, et Capituli conse sus, quamquam canonicorum numerus fuerit ab aliquo E scopo antecessore definitus, quia ab ejusdem antecesso definitione non devincitur (2). Sed nequit Episcopus Canonic

pernumerarios creare, eo quod talis institutio expectativam futuram præbendam contineret, dum omnes expectativæ erunt per Tridentinum sublatæ (3) ; et nequit similiter, mor- o aliquo Canonico, duos in ejus locum sufficere, dum per c idem jus spirituale inter duos divideretur, quod jus cano- cum non patitur (4).

1) Hoc tamen habet locum, quando redditus Ecclesiæ in eadem tu perseverant ; nam si supponantur adaucti ita sufficienter, ut vi canonicatus existat præbenda, potest ex quorumdam sententia iscopus etiam in Ecclesia numerata novum canonicatum, consen- nte Capitulo, constituere, quia præsumitur summus Pontifex pro toto o tempore tantum definitionem edere, quo redditus in eodem statu nent. Gratianus disc. for. cap. 819, n. 20. — (2) De Luc. de Ca- n. disc. 6 et 36. — (3) Sess. 24, c. 19, de ref. — (4) Cap. 25, de æbend.

477. In beneficiorum erectione ex fundatorum voluntate, et Ordinariorum approbatione apponi possunt conditiones nestæ et possibiles, etiamsi aliquantulum jure communi trahere videantur. Cum vero fuerunt modo legitimo appo- æ, ita sunt per hæredes, ac successores observandæ, ut dem etiam Ordinarii consensu derogari nequeat, sicut uitur ex Tridentino (1), et ut sentiunt communiter Docto- s, paucis exceptis (2). Conditiones vero impossibiles pro n adjectis in favorem Religionis habendæ sunt. Tamquam possibilis vero consideratur ea conditio, qua fundator velit neficium suum a jurisdictione ecclesiastica subtractum, et qua velit, beneficium sibi conferri (3).

1) Sess. 25, c. 5, de ref. — (2) Idcirco si lex fundationis designet rsonas ad beneficium nominandas, aut dispenset in legitima ætate beneficium assequendum, aut residentiam in loco beneficii etiam plicis requirat, aut qualitatem sacerdotis in beneficiato injungat, aliud simile importet, erit fideliter observanda, neque poterit per ccessores, utcumque approbantibus locorum Ordinariis, immutari. (3) Potest nihilominus fundator Episcopum rogare, ut sibi benefi- m a se institutum conferat, et si conferatur absque pacto, et con- ntia, nulla in hac specie erit simonia. Cap. 24 de Simon.

478. Denique in vim præmissorum dubium exoritur, an

Capellania simpliciter laicalis, instante fundatoris hærede, siv
successore, queat per Episcopum in beneficium ecclesiasticu
erigi? Hoc dubium ita resolvitur. Si Capellania per actu
inter vivos instituta, et, vivo adhuc fundatore, jam sit eff
ctum suum sortita, nequit amplius in beneficium ecclesiast
cum erigi, alias mutaretur evidenter lex a fundatore in limi
institutionis præscripta. Si vero Capellania, vivo fundator
effectum suum sortita non sit, vel per actum ultimæ volunt
tis fundata exhibeatur, utique potest, instante hærede, vel su
cessore, aut executore testamentario, per Episcopum in bene
ficium ecclesiasticum erigi, quia hoc casu hæres, vel successo
præsumitur institutus mandatarius ad id exequendum, quo
utilius esse et magis ipsi Capellaniæ expedire judicabit. Ha
tamen præsumptio cessat, si fundatorem aut expresse, a
tacite contrarium voluisse ex ipsa fundatione appareat (1).

(1) Garcia de benef., part. 1, c. 2, n. 108.

479. Capellania laicalis, quæ dicitur etiam manualis, siv
mercenaria, est quædam pia fundatio, sive assignatio certo
rum reddituum, ut determinatæ celebrentur missæ, cui al
adhuc onera adjungi possunt; sed vel a privato procedit, v
Ecclesiæ non habet auctoritatem : quæ proinde beneficium no
est (1). In praxi tamen sæpe dubitatur, an Capellania benef
cium sit, vel non ; et dubium ex tabulis fundationis, et e
præcedenti observantia resolvendum est. Si enim ex tabul
appareat, fundatorem voluisse beneficium dotare, aut officiu
spirituale in certa Ecclesia instituere; vel si ex observant
constet, per spatium quadraginta annorum Capellano institutio
nem datam fuisse ab Episcopo, Capellania ipsa judicanda e
collativa, sive ecclesiastica, ac proinde verum refert benef
cium (2). Si vero ex opposito e tabulis appareat fundatore
voluisse Capellaniam laicalem instituere, si Episcopum ab ej
collatione excluserit, bona hæredibus administranda reliqueri
eisque jus concesserit Capellanum amovendi, et ex observan
tia constet, Capellanum fuisse antea, ab hæredibus, insc
Episcopo, deputatum, Capellania æstimanda est laicalis,
nullam beneficii rationem habet. Illud denique attente obse

vandum, quod, salvo judicio petitorio, ultimus rei status est attendendus, sicut communiter loquuntur Doctores. Quapropter, si ultima vice Capellania collata sit ab Episcopo, tamquam ecclesiastica habetur ; si vero de ea disposuerit sæcularis persona, laicalis censetur (3).

(1) Ideo legibus beneficiorum non est obnoxia, quia simplex est legatum pium, ejusque bona possunt possideri, et administrari per hæredes fundatorum, aut per designatos patronos, modo oneribus piis satisfaciant, quod inspicere, curare, et visitare tenetur episcopus qui a Tridentino constitutus est omnium piarum voluntatum executor, et in iis Apostolicus delegatus, sess. 22, c. 8, de ref.; sed non potest Capellaniæ laicalis visitare bona temporalia. A Mostazo de legat. piis tom. 1, l. 3, c. 2, n. 35. Similis capellania non subjicitur legibus simoniæ; potest conferri in qualibet ætate absque consensu Episcopi, modo non adversetur fundatoris voluntas; potest possideri a fœmina ; non est obnoxia tributis subsidii charitativi, aut synodatici, neque ejusdem possessor clericus ad divinum officium recitandum tenetur. Cardinalis Soglia de jur. priv. § 82 et A Mostazo jam cit. eod. loc. n. 43 et seqq. — (2) Quod dicimus de observantia quadraginta annorum locum sibi vindicat, cum de contraria fundatoris voluntate clare non constat; si enim de hac voluntate manifeste constaret, quidam Doctores requirunt observantiam immemorialem ex cap. 1 de præscript. in 6 ; et quidam quamcumque observantiam nullius roboris habent ex Tridentino sess. 25, c. 9, de ref. Soglia loc. cit. — (3) A Mostazo, loc. cit.

TITULUS XVI.

DE ELECTIONE, ET POSTULATIONE.

SUMMARIUM : 480. Quid sit electio, et quot modis fiat? — 481. Quomodo fiat per compromissum? — 482. Quomodo per scrutinium? — 483. Post electionem quid agendum? — 484. Electus in episcopum per Papæ confirmationem jurisdictionis potestatem consequitur. — 485. Ante confirmationem non potest administrare, nisi sit electus in concordia. — 486. Quid sit postulatio, et quomodo ab electione differat?

480. Cognita beneficiorum natura, statim nobis sese offerunt modi, quibus beneficia obtinentur, qui quidem sunt quatuor, nempe : *electio*, *postulatio*, *collatio* et *institutio;* et a primis duobus exordimur.

Electio definiri potest, *vocatio personæ idoneæ ad ecclesiam, aut prælaturam vacantem a legitimis electoribus facta, et a superiore confirmata.* Hinc sequitur, electionem ex jure habere locum in beneficiis majoribus, ut in episcopatibus, de quibus egimus supra in proprio titulo.

Canonica electio triplici modo fieri potest, nempe : per *scrutinium*, per *compromissum*, et per *inspirationem* aut *quasi inspirationem.* Per inspirationem fit, cum ex divina revelatione quis in Episcopum eligitur, ut contigit in S. Nicolao electo in Episcopum Myræ, et in S. Ambrosio in Archiepiscopum Mediolanensem. Per quasi inspirationem vero electio tunc fit, cum, nullo præcedente tractatu, omnes electores, quasi divino Spiritu afflati, uno corde et ore ad aliquem in Episcopum designandum concurrunt (1).

(1) Cap. 42 de elect.

481. Per compromissum fit electio, cum qui habent vocem activam eligendi, nemine dissentiente, eorum facultatem uni,

aut pluribus idoneis compromissariis concedunt, ut ipse, vel ipsi omnium vice Episcopum eligant (1). Compromissum vero potest esse *absolutum*, vel *limitatum*. Dicitur absolutum, si compromissariis data sit facultas quamcumque idoneam personam eligendi ; dicitur limitatum, si compromissariis data sit facultas eligendi aliquem de determinato Capitulo, aut Collegio, aut etiam eligendi tantum illum, quem major Capituli pars probaverit ; quo casu compromissum evidenter de scrutinio participat.

(1) Cit. cap. 42 et cap. 29, de reg. jur. in 6.

482. Per scrutinium denique fit electio, cum a Capitulo legitime convocato tres ab ipso Capitulo deputantur scrutatores fide digni, qui primum a se invicem, deinde a singulis Canonicis secreto, et diligenter vota exquirant, eaque in scriptis referant, et publicent. Facta autem publicatione, instituitur comparatio, ut dicunt, numeri ad numerum, zeli ad zelum, et meriti ad meritum inter ipsos electos (1) ; ac demum ille efficaciter denunciatur in Episcopum electus, in quem major et sanior pars Capituli consenserit, ita ut nulla detur ab hac electione vera appellatio, licet admitti queat protestatio (2). Si vero, facta publicatione, nemo majoritatem absolutam votorum retulerit, scrutinium toties est iterandum, quoties aliquis agnoscatur canonice electus, vel electio in compromissum est deducenda, quia electores non possunt variare, publicato scrutinio, et inter eos hoc casu non admittitur accessus (3).

(1) Hæc comparatio haberet locum, si vota essent publica, data per scriptum, vel viva voce ; sed cum vota sint secreta, fit tantum comparatio numeri ad numerum. — (2) Cap. 42, de elect. — (3) Nomine accessus hic intelligitur actus, quo qui prius votum secreto dedit uni, inde publice, mutata voluntate, votum dat pro alio, vel aliorum votis accedit, ut eorum electio perficiatur. Hic accessus, qui in aliis electionibus, in quibus duæ tertiæ requiruntur eligentium partes, admittitur, hic prohibetur, quia hæc electio majorem, et saniorem eligentium partem omnino deposcit, ut valida sit. Cæterum in aliis capitularibus electionibus minoris momenti accessus non reprobatur. Reiffenstuel, de elect. n. 303 et seqq.

483. Electio legitime peracta intra octo dies, si commode fieri queat, est significanda electo (1), qui habet mensem ad electioni de se factæ consentiendum ; et post præstitum consensum tres menses ad confirmationem a summo Pontifice petendam, aliter, si nullum adsit impedimentum, a jure sibi acquisito cadit (2). Interea processus informativus conficitur de natalibus ipsius electi, de ætate, et doctrina, deque moribus (3). Hic processus, si omnia legitima adsint, summo Pontifici in Consistorio refertur, qui actus vocatur *præconizzatio*, ac denique in alio Consistorio, consultis Cardinalibus, per eumdem summum Pontificem solemnis emittitur electi confirmatio.

(1) Cap. 16, de elect. in 6. — (2) Cap. 6, eod. et Extrav. *Si religiosus* eod. int. com. — (3) Trid. Sess. 22, c. 2, de ref. Bul. *Onus Apostolicæ* Gregorii XIV et bul. *Si processus* Urbani VIII.

484. Per hanc confirmationem promotus consequitur potestatem valide peragendi omnia, quæ ad solam episcopalem jurisdictionem pertinent (1) ; quam potest exercere postquam litteras confirmationis suæ Capitulo Cathedralis exhibuerit (2). Sed post confirmationem adhuc debet promotus intra alios tres menses munus consecrationis suscipere, alioquin ad fructus perceptos restituendos, et post sex menses ad Ecclesiam dimittendam (3). Consecratio vero ab aliquo Episcopo ex commissione Pontificis cum assistentia duorum aliorum Episcoporum tribuitur, et per eam ordinis potestas, et officii episcopalis plenitudo confertur (4).

(1) Cap. 15, de elect. — (2) Extrav. *Injunctæ* eod. int. com. — (3) Trid. Sess. 23, c. 2. de ref. — (4) Cit. cap. 15, de elect.

485. Ex præmissis palam fit, episcopum solum electum, et nondum confirmatum ea, quæ ad officium episcopale pertinent, ne posse quidem attingere, quin a jure sibi per electionem acquisito decidat. Sed hæc regula ex nonnullorum sententia limitationem patitur, si agatur de episcopatu in remotis ultra Italiam S. Sedi immediate subjecto, quando Episcopus a Capitulo suo in concordia electus fuit. Hoc quidem casu propter Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, Episcopus post

electionem, et ante confirmationem potest in temporalibus, et spiritualibus dispensative administrare (1). Dicitur autem in concordia electus, cum omnes capitulares in eum eligendum convenerunt, aut cum electum a majori et saniori parte in Episcopum absque protestatione recipiunt.

(1) Cap. 44, de elect.

486. Alter modus obtinendi beneficia est Postulatio, quæ potest definiri, *petitio habentium jus eligendi summo Pontifici facta, ut ad episcopatum eum admittat, qui propter canonicum impedimentum eligi nequit.* Idcirco postulatio ab electione in eo vel maxime differt, quod electio fit de digno, postulatio vero de eo, qui aliquo impedimento laborat, in quo tamen potest, et solet dispensari : quo casu postulatio electionis, et confirmationis locum tenet. Differt pariter in eo, quod electores post electionem rite peractam nequeunt amplius pœnitere, et variare, dum absolute loquendo possunt variare post postulationem, si nondum sit acceptata. Cæterum quæ supra de electione exposuimus, ut plurimum, in postulatione quoque vigent (1).

(1) Hodie vero ex consuetudine, vel Concordatis, ubi intrat postulatio, solet peti indultum eligibilitatis a summo Pontifice, ut promovendus more ordinario eligi queat. Postulatio autem non intrat in aliis electionibus capitularibus ad beneficia, vel dignitates. Scarfantonius ad Ceccop. l. 1, t. 3, n. 30. Neque in electionibus superiorum Regularium, quæ fieri debent per vota secreta. Giraldus ad cap. 6, sess. 25. Trid. de ref. ; neque in electionibus abbatissarum. Id. ad cap. 42, de elect. In his enim non probatur inspiratio, aut quasi inspiratio, quia nomina eligentium publicari nequeunt, ne discordiæ inter Regulares suboriantur.

TITULUS XVII.

DE COLLATIONE, ET INSTITUTIONE.

SUMMARIUM : 487. Collatio beneficiorum, et quæ ad eam perficiendam requirantur? — 488. Primus collator est Papa, qui tribus modis confert. — 489. Episcopus est ordinarius collator beneficiorum suæ diœcesis. — 490. Capitula cathedralia quædam beneficia conferunt. — 491. Qui sint beneficiorum incapaces? — 492. Quæ sit forma collationis? — 493. In quo consistat forma concursus ad parochiales Ecclesias? — 494. In concursu tres requiruntur examinatores synodales. — 495. Qui dicuntur examinatores synodales? — 496. Quæ sint in concursu partes Ordinarii? — 497. Quomodo a decisione in concursu capta detur appellatio? — 498. An forma concursus sit observanda in parochiis jurispatronatus? — 499. Quandonam parochiarum collatio libera sit a forma concursus? — 500. Per concursum conferendæ sunt præbendæ Penitentiarii, et Theologi ecclesiarum cathedralium. — 501. Quotuplex sit institutio in beneficiis? — 502. Quomodo detur institutio corporalis?

487. Collatio proprie dicta definitur, *cononica concessio beneficii vacantis ab habente potestatem libere facta.* Hinc patet, ab electione, et postulatione collationem differre : nam illæ fiunt a clericorum collegio in beneficiis majoribus ; hæc vero in beneficiis minoribus ab unico conferente libere regulariter fit ; licet quandoque collatio pro electione, imo et institutione improprie accipiatur. Tria ad legitimam collationem requiruntur, nempe : potestas in conferente, capacitas in acceptante, et canonica collationis forma.

488. Primus omnium, et absolutus beneficiorum collator est summus Pontifex, ad cujus intuitum omnia orbis beneficia sunt manualia. Ipse vero ex jure communi beneficia confert *jure præventionis, concursus,* et *devolutionis.* Jure præventionis cum certæ personæ dat mandatum *de providendo,* quo inferiorem collatorem prævenit, ne alteri, quam mandatum habenti beneficium vacans, aut proxime vacaturum conferat. Jure concursus, cum vere ipse Pontifex aliquem in vacante beneficio

instituit, in quo loci Ordinarius instituere pariter potuisset (1). At nunc his duobus conferendi modis raro, aut numquam summi Pontifices utuntur : tum quia incommoda oppido multa involvunt, tum quia obstant Concordata, tum quia iisdem videntur fuisse substitutæ beneficiorum affectiones, et reservationes (2). Jure devolutionis summus Pontifex beneficia confert, cum intra tempus a lege definitum non fuerunt per Ordinarium collata, aut fuerunt male collata, quod constitutum est, ne diuturna beneficiorum vacatio propter negligentiam aut culpam Prælatorum Ecclesiis præjudicium afferat. Tempus autem a jure præfixum est trium mensium, si de prælaturis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum tum sæcularium, tum regularium agatur, et sex mensium, si agatur de aliis beneficiis minoribus (3). Devolutio gradatim fit ex dispositione juris communis ab inferiore ad superiorem collatorem, ab Episcopo ad Archiepiscopum, et ab Archiepiscopo ad summum Pontificem, ita ut inferior collator in beneficiis minoribus tempus sex mensium ad conferendum habeat. At nunc in praxi devolutio non fit amplius ab Episcopo ad Archiepiscopum, sed solum ad summum Pontificem, quia ita fuit a S. Congregatione Episcoporum definitum (4). At ubi hoc tempus utile jam præterlapsum sit, et beneficii collatio ab inferiore collatore adhuc fiat, erit nulla, si alia prius facta fuerit a superiore; erit revocabilis, si superior, per sententiam velit eam declarare irritam ; et erit firma, si superior acquiescat, et nemo se opponat : quo casu ita de misericordia toleratur collatio, ut provisus maneat in conscientia tutus (5).

(1) Hanc potestatem summo Pontifici competere inficiabitur nemo : nam potestas Ordinariis tributa ab ipso Ecclesiæ capite dimanat, qua se certo non privavit, dum suis membris eam concessit. Cum vero in actu practico queat contingere casus, quo idem beneficium duobus conferatur, uni scilicet per summum Pontificem, et alteri per Ordinarium, hæc sunt statutæ regulæ : si beneficium uni prius, alteri posterius sit collatum, prima valida est collatio, quia prior in tempore potior est in jure ; si autem collatio eodem die utrique facta exhibeatur, præfertur is, qui nactus est beneficii possessionem, quia in dubio melior est conditio possidentis ; et si nemo sit in possessionem immissus, præfertur is, qui beneficium a summo Pontifice obtinuit ob prærogativam dignitatis. — (2) De his agimus in sequenti titulo. —

(3) Cap. 41, de elect. et cap. 2, de concess. præbend. Hoc tamen tempus non currit ignoranti vacationem, aut ad beneficium conferendum impedito, nisi a die scientiæ in primo, et potentiæ in secundo casu. Cap. 5, eod. — (4) Hanc definitionem diei 2 maii 1601, refert Marchettus in Prax. Vic. cap. part. 2, tit. 32, n. 6. — (5) Zallinger de suppl. negl. prælat. n. 381.

489. Post summum Pontificem ordinarius beneficiorum omnium collator est Episcopus quoad suæ diœcesis beneficia, qui fundatam habet in jure communi potestatem conferendi, nisi sint affecta, aut reservata, vel alteri probentur devoluta (1). Episcopus hac potestate uti non prohibetur, etiamsi extra suam diœcesim reperiatur, quia beneficii collatio est donatio, et ad fructus sui beneficii pertinet, quos, ubicumque reperiatur, recte colligit, et donare potest (2).

(1) Can. 10 et 11, c. 16, q. 7. — (2) Aliqui tamen excipiunt urbem Romam, in qua si reperiatur Episcopus, nequit suæ diœcesis beneficia conferre, quia ut Proconsules Romanorum ingredientes Urbem deponebant imperium, sic Episcopi ingredientes Romanam Curiam videntur deponere aliquo modo auctoritatem, quæ in minore coram majore dicitur conticescere.

490. Præter Episcopum sunt alii beneficiorum collatores. Sic omnia Capitula cathedralia, sede vacante, conferunt beneficia ad collationem Episcopi, et Capituli communiter spectantia (1); licet generaliter nequeant conferre beneficia ad Episcopum devoluta, et ad ipsum jure proprio spectantia (2); item conferunt beneficia, quæ erecta fuerunt ex bonis mensæ ipsius Capituli, et quæ ex diuturna, et immemorabili consuetudine a Capitulo collata semper fuerunt (3). Hac in re illud observandum, quod existens in possessione, aut quasi possessione legitima juris conferendi valide confert, quamvis postea agnoscatur, jus conferendi ratione tituli, aut proprietatis ad alium pertinere, quia collatio pertinet ad beneficiorum fructus, quos juste bonæ fidei possessor suos facit (4).

(1) Cap. unic. ne sed. vac. in 6. — (2) Ex jure communi beneficiorum canonicalium, et etiam inferiorum collatio pertinet simul, et in solidum ad Episcopum et Capitulum, quia fundata præsumuntur ex

bonis mensæ communis ; sed consuetudine factum est, ut pertineat vel ad solum Episcopum, vel ad Episcopum et Capitulum simul, vel etiam quandoque ad solum Capitulum. Cum communis collatio Episcopo et Capitulo in uno deficit, consolidatur in alio. Scarfantonius ad Ceccop. l. 1, t. 2, animad. n. 31. — (3) Horum exempla habemus in capitulo Taurinensi, Novariensi, Sarzanensi, quod quosdam propriæ Ecclesiæ canonicatus confert. — (4) Cap. 6, de instit. Ad instar Episcoporum Cardinales in propriis titulis beneficia conferunt. Card. Soglia de jur. priv. § 93.

491. Capacitas ad beneficia acceptanda omnibus inest clericis, quibus non aufertur a lege. Aufertur autem clericis conjugatis, quia cithara cum psalterio male concordat, ut ait Innocentius III (1) ; omnibus excommunicatis (2), suspensis, atque interdictis, filiis hæreticorum usque ad secundum gradum in linea paterna, et ad primum in materna, si parentes in hæresi decesserint (3), carentibus ætate, ordine, doctrina, moribus a S. Canonibus præscriptis ; omnibus irregularibus ad ordinem, quem beneficium requirit, de quibus suis in locis egimus in libro primo. Sed specialius in jure sancitum reperitur : primo, ne Episcopus, aut alius collator beneficium in suis manibus resignatum, aut dimissum queat conferre alicui consanguineo, affini, aut familiari suo, vel illius, qui beneficium dimisit, etiamsi extranea sit persona intermedia, aut de beneficio parochiali per concursum conferendo agatur ; aliter facta collatio adeo est nulla, ut neque titulum coloratum ipsi beneficiato tribuat (4). Secundo ne filius illegitimus queat obtinere beneficium in Ecclesia, in qua beneficiatus est pater, aut obtinere beneficium a patre quocumque modo dimissum (5); si vero de filio legitimo agatur, qui ante patris ordinationem natus sit, hic nequit obtinere ejusdem patris beneficium immediata successione, sed potest obtinere, si quæ sit intermedia persona (6), immo potest obtinere aliud beneficium dissimile in eadem Ecclesia, in qua beneficiatus est pater (7) ; nepos autem ad avi beneficium admittitur, suo vivente patre, quia in casu excluditur imago successionis tantopere a S. Canonibus in beneficiis reprobata, sed non admittitur, patre defuncto, quia filius in locum patris ingreditur, et ipsum repræsentat (8). Tertio non numquam certæ personæ a beneficiis excluduntur in vim spe-

cialium statutorum, quibus decernitur, et quandoque juramento firmatur, beneficia conferri non posse nisi civibus, aut nationalibus, aut nobilibus; sed hæc statuta fieri non possunt a potestate sæcularia, et si fiant nulla sunt, et reprobantur a S. Sede, ut sæpius reprobata fuerunt (9); deinde hæc eadem statuta facta a Capitulis, vel ab Episcopis, etiamsi fuerint juramento, et immemorabili consuetudine vallata, ab Apostolica sede non admittuntur, nisi fuerint prius ab eadem confirmata (10), quia ecclesiastico adversantur juri communi (11), quod a sæculari potestate, vel ab Episcopo, et Capitulo immutari non potest.

(1) Cap. 5, de cler. conj. — (2) Cap. 7, de cler. excomm. — (3) Cap. 2 et 15, de hæret. in 6. — (4) Bul. *Quanta* S. Pii V. Dispositio tamen hujus bullæ non extenditur ad casum mortis antecedentis beneficiati, neque ad beneficia juris-patronatus, neque ex quorumdam sententia ad consanguineos, et affines ultra tertium gradum, aut ad solos consanguineos naturales. Benedictus XIV de Synod. l. 13, c. 24. Monacellus in suppl. ad t. 1, p. 2, n. 372 et 385. Ratio prohibitionis est, ut naturalis compescatur affectus, et ut fraudes eviteutur. Quamobrem interdicitur Episcopo officia ecclesiastica committere propinquis. Can. 6, dist. 89. — (5) Immo illegitimus non potest confessiones audire in Ecclesia, in qua pater fuit parochus, neque ab Ecclesia, in qua pater possidet beneficium, emolumenta quæcumque percipere. Dicimus beneficium; nam si capellaniam tantum amovibilem possideret, posset filius illegitimus aliam capellaniam amovibilem etiam possidere. Ita fuit a S. Congregatione Concilii definitum, teste Benedicto XIV loc. cit. et Richer ad cap. 15, sess. 25, Trid. de ref. Hæc theoria procedit etiamsi illegitimi legitimati sint per rescriptum Principis, non vero si legitimati essent per subsequens matrimonium. Cap. 1 et 6, qui fil. sint legit. Ratio hujus prohibitionis eruitur ex sancto motivo, ne memoria paternæ incontinentiæ divini ministerii puritatem lædat. Trid. l. c. (6) Cap. 11 et 17, de fil. presb. et Benedictus XIV l. c. — (7) Arg. cap. 12 de fil. presb. et cap. 8 eod. — (8) Cap. 7, 10 et 12, eod. Pater tamen legitimus potest absque dispensatione immediate obtinere beneficium filii : nam præterquam quod in hoc casu nulla adest juris prohibitio, non potest adesse ratio incontinentiæ paternæ, de qua loquitur Tridentinum, neque ratio successionis hæreditariæ, de qua loquitur Alexander III, in cap. 15, de jurep. cum ut ait Benedictus XIV, l. c. n. 15, juxta usitatum naturæ ordinem filius solet esse hæres patri, non pater filio, quia juxta D. Paulum II ad Cor. 12 : *Nec debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Similiter fratres eorumque filii possunt fratris, aut patrui beneficium obtinere. Reif-

fenstuel, de fil. presb. n. 38. Quod autem de nepote diximus confirmatur a decisionibus S. Congregationis Concilii relatis a Benedicto XIV, l. c. et a Reiffenstuel, ibid. n. 40. Quando vero hujusmodi prohibitio viget, dispensatio dari nequit ab Episcopo, etiamsi agatur de beneficio simplici ; sed a S. Sede est imploranda, quam sæpe concedit cum clausula : *Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit* ; cui Episcopus debet habere satisfactum, si dispensandus per integrum decennium probe vixerit. S. Congregatio ita definivit, ut refert Richter, ad Sess. 25, c. 15, de ref. n. 8. — (9) Cap. 10, de const. can. 1 et per tot. dist. 10. Hinc Clemens VI reprobavit legem Philippi Galliarum regis, qua exteri a beneficiis regni excludebantur, et Martinus V Poloniæ regem Uladislaum objurgavit, quæ certæ Ecclesiæ canonicis prohibuerat, ne exterum aliquem socium reciperent. Riganti ad reg. 17, Cancel. n. 123 et seqq. — (10) Zallinger de const. § 135, n. 5. Plura tamen ex his statutis fuerunt a S. Sede confirmata. Pro illis vero statutis, quæ a Sede Apostolica non fuerunt confirmata nil prosunt adjecta juramenta, *quia non juramenta, sed perjuria potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur.* Cap. 27, de jurej. ; ideo hæc juramenta *libertati ecclesiasticæ obviantia* non possunt præstari Cap. 1, eod. in 6. — (11) Jure communi etiam exteri ad beneficia admitti possunt tum necessitatis, tum majoris utilitatis causa. Innocentius enim III, Patriarchæ Constantinopolitano, qui in Ecclesiis clericos tantum suæ nationis instituebat, mandavit, *ut viros litteratos, vel alios idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis, et maxime in majori, instituere non postponat.* Cap. 5, de instit. et ib. Doct. quia non est sequendus carnalitatis affectus, sed judicium rationis. Cap. 29, de præbend. Excipiuntur tamen Episcopi, qui tunc solum de aliena diœcesi eligi possunt, cum nemo dignus in Ecclesia vacante invenitur, quia, ut ait Cœlestinus Papa : *Primum illi* (hujus Ecclesiæ) *reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis præferantur. Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat* ; *nec alii debitam alter sibi vindicare audeat mercedem.* Can. 13, dist. 61 ; concordat can. 16, eod. cap. 4, de postul. et cap. 41, de elect. Cæterum in omnibus beneficiis regula est ex jure, æquitate, et congruentia deducta, ut præferatur, *cæteris paribus, oriundus non oriundo, diœcesanus non diœcesano, et indigena forensi.* Citatus enim Pontifex Cœlestinus Galliæ Episcopos in sua instructione ita monet, *nec emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur.* Can. 12, dist. 61, Reg. 17 Cancel. et ib. Riganti.

492. Forma demum collationis olim non erat determinata, ac proinde per solam expressam collatoris voluntatem beneficia

conferebantur, cujus voluntatis indicium erat traditio annuli, et baculi, aut birati impositio. Sed postea ad ordinem servandum, et ad cavendas fraudes inductum est, ut ante beneficii possessionem collatoris litteræ, tum a S. Sede, tum a collatoribus ordinariis sint expectandæ. Papa pluribus modis litteras beneficiales conficit, nempe : *in forma pauperum*, quando clericus pauper beneficio donatur (1); *in forma gratiosa*, quando beneficium confert clerico, qui ad illud obtinendum declaratur dignus, atque idoneus (2); *in forma dignum*, quando Pontifex Ordinario mandat, ut alicui beneficium conferat, si eum post diligens examen dignum, et idoneum reperiat (3); et *ex motu proprio*, quem in suo brevi Pontifex significat (4). Ordinarius vero litteras beneficiales conficit juxta formam in sua Curia vigentem (5).

(1) Alii istas litteras appellant *in forma communi*. Reiffenstuel de præb. n° 169. — (2) In vim harum litterarum ipse Pontifex beneficium confert, et executorem ad eum tantum finem deputat, ut provisum in corporalem beneficii possessionem immittat; consequenter executor de qualitatibus clerici nullum potest examen instituere. — (3) Hæc litteræ appellantur *in forma dignum*, quia inchoantur his verbis : *Dignum arbitramur, et congruum, ut*, etc.; sed a quibusdam etiam appellantur *in forma commissoria*, quia Papa earum executionem committit Ordinario. Card. Soglia de jur. priv. § 95; et in beneficiis curatis solent adhiberi. Sed notandum quod hujusmodi litteræ post mortem summi Pontificis expirant, si res sit adhuc integra, quia non continent gratiam factam, sed gratiam per executorem faciendam : unde pro earum effectu debet a novo Pontifice revalidatio postulari. Riganti ad reg. 12. Cancel. n. 18. — (4) Gratiæ per motum proprium concessæ non subjacent vitio subreptionis ; ac proinde beneficii collati hac forma possessio non potest impediri, licet provisus aliud beneficium possideat. Cap. 23 de præb. in 6; et nullo modo possunt ipsæ litteræ suspendi vel impediri. Bul. *Ad Romanum* Gregorii XIII. — (5) Litteræ beneficiales Ordinariorum non sunt adeo rigorosæ, ut litteræ papales ; sed quomodolibet Ordinarii conferant, semper legitime conferunt. Riganti ad reg. 47. Cancel. n. 19.

493. Præcipua forma collationis attentius perscrutanda est illa *concursus* ad beneficia parochialia, quæ in hoc consistit, quod, quomodolibet facta vacante aliqua ecclesia parochiali, et constituto in ea vicario ad tempus vacationis, cum congrua

assignatione fructuum, omnes per Episcopi edictum moneantur clerici de libero concursu die statuta habendo; quod, hac adveniente die, omnes, qui suum nomen cum documentis officiorum, gestorum, qualitatum, et meritorum penes Curiam professi fuerint, coram Episcopo, tribusque examinatoribus synodalibus, aut prosynodalibus eorum capacitatis in communi periculo fidem faciant; et quod demum, peracto examine, Episcopo examinatores denuncient, quos ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque qualitatibus idoneos ex concurrentibus repererint ad Ecclesiam vacantem gubernandam, inter quos Episcopus magis idoneum, vel digniorem possit eligere (1).

(1) Forma concursus a Tridentino præscripta, sess. 24, c. 18, de ref. observatur in Italia, in Germania, in Hispania, in Belgio, in America meridionali, aliisque regionibus. Post Tridentinum ad hanc formam specialius determinandam plures prodierunt summorum Pontificum constitutiones quarum summa sic paucis exhibetur : 1° Ordinarius proponat edictum in ecclesia vacante, et in loco tribunalis, quo moneantur omnes concurrere volentes, ut intra terminum competentem, qui non potest esse minor decem dierum, nec major viginti, compareant certo loco, certa die et hora, ad examen subeundum, et ante diem examinis quisque in curia suum profiteatur nomen, et afferat Cancellario documenta suorum munerum, obitorum, qualitatum, et meritorum, quorum epitomem Cancellarius efficiat, eamque examinatoribus tradat. Bul. *In conferendis* S. Pii V, et bul. *Cum illud* Benedicti XIV. 2° Præstituta die, omnibus concurrentibus simul congregatis in conclavi, unde exire nequeant, datis necessariis ad scribendum et prohibita communicatione cum exteris, etiam fœminis ac inter se, nec non consultatione librorum, sub pœna suspensionis et exclusionis a concursu, a Cancellario concurrentibus in actu concursus intimanda, Ordinarius proponat Evangelii textum explicandum, et singuli examinatores proprium casum moralem discutiendum, quam explicationem, et discutionem omnes, eodem tempore, et manu propria scribere, et subscribere debent, nempe conciunculam lingua vulgari, et discussiones sermone latino, sub custodia Cancellarii ; cui in fine tradenda sunt a singulis conscripta folia, quæ ab eodem sigillis muniuntur, ac postea congregatis examinatoribus ad examen traduntur, et ab iis post Ordinarium subscribuntur. Epist. encyclica *Reverendissime Domine*, Clementis XI. 3° In actu examinis coram Ordinario ab examinatoribus leguntur, et scrutantur singula folia, librantur responsiones, perpenduntur concurrentium qualitates, ac postea examinatores per sua suffragia denunciant Ordinario quos inhabiles, et indignos singillatim repererint, et quos idoneos, ac dignos probave-

rint, instituto supra unoque scrutinio, ejusque effectu a Cancellario in actis redacto. Cit. bul. *Cum illud.* 4° demum episcopus inter dignos regulariter eligit, quem digniorem ad parochiam regendam judicat, eumque in parochia instituit, modo non sit beneficium reservatum, vel ad alium collatio non pertineat. Diximus regulariter, quia in beneficiis curatis non reservatis Episcopus eligit digniorem intra primos sex menses a vacatione, in reservatis ratione mensium Apostolicorum intra primos quatuor menses; post hoc tempus vero, et in curatis beneficiis alia causa reservatis digniorem eligere nequit, sed aliquem, quem credit digniorem, Datario, vel summo Pontifici commendare potest. Jus Apostolicarum Constitutionum, quod sæpe violari cœperat, in pristinum revocatum fuit per epistolas Datariæ Apostolicæ ad Episcopos, quarum unam commemoramus ad episcopum Novariensem directam, die 29 januarii 1856, quæ concordat cum Bulla citata *Cum illud* Benedicti XIV, § 20 et 21.

494. Examinatores tres debent esse, omnesque synodales : unde, si tres non sint, vel tres quidem, sed duo synodales, et tertius extraneus, vel si præter tres synodales (1), quartus adhibeatur non synodalis, quamvis iste specialem habeat ab Episcopo deputationem, adhuc concursus est illegitimus (2), nullaque proinde sic facta parochiæ collatio, quæ provisa neque coloratum possidendi titulum tribuit. Quare parochialis jugiter vacat, et in pœnam formæ non observatæ manet reservata S. Sedi (3).

(1) Neque Vicarius Generalis potest officium examinatoris adimplere. Benedictus XIV, de Synod, l. 4, c. 7, n. 4. — (2) Id. Benedictus de Synod. l. 4, c. 8, n. 2. — (3) Bul. *In conferendis* S. Pii V.

495. Examinatores synodales sunt, qui ad hoc officium in synodo diœcesana sex saltem, vel, ut solet multo plures, modo non excedant numerum viginti (1), a majore congregatorum parte per vota secreta, vel publica eliguntur, quorum officium usque ad aliam synodum perdurat. At si intermedio tempore tot emori contigerit, ut sex amplius non sint, potest usque ad hunc numerum alios in locum defunctorum Episcopus cum consensu Capituli substituere, qui prosynodales dicuntur. Adveniente vero tempore novæ ineundæ synodi (2), licet hæc non celebretur, non potest amplius Episcopus prædicto modo examinatores substituere; sed omnium officium cessat, si sex

amplius non sint, et creari tantum queunt ex facultate a S. Sede obtenta (3). Examinatores debent ad sancta Dei Evangelia jurare, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros; nec quidquam occasione hujus examinis aut ante, aut post possunt accipere; aliter incurrunt in simoniæ vitium, a qua absolvi non possunt, nisi dimissis beneficiis, quæ antea possidebant, et fiunt ad alia imposterum possidenda inhabiles (4).

Si quis quærat, an in examine ad concursum Episcopus habeat votum, respondendum est cum distinctione, aut vota examinatorum sunt paria pro uno, et pro alio; et Episcopus habet votum eligendi quem maluerit ex approbatis, quod facere debet in ipso scrutinio coram examinatoribus (5), aliter inefficax fieret examinatorum judicium; aut sunt imparia, et nullum habet votum Episcopus (6). Hoc quidem experimentum ita examinatorum judicio fuit commissum, ut ipsi debeant nedum circa doctrinam, sed et circa ætatem, mores, prudentiam, zelum, aliasque concurrentium qualitates judicium ferre, ut pluries fuit a S. Congregatione decisum (7).

(1) Benedictus XIV de Synod. l. 4, c. 7, n. 3. — (2) Tempus hoc durat ad annum : nam Tridentinum præscripsit, *Examinatores singulis annis in diœcesana synodo esse proponendos.* Sess. 24, c. 18 de ref. — (3) Benedictus XIV, loc. cit. n. 7, Sacra autem Congregatio semper apponit conditionem, ut electio examinatorum prosynodalium fiat cum consensu Capituli; sed Capitulum non potest absque rationabili causa examinatores ab Episcopo propositos rejicere, etiamsi id facere contenderet ex informata conscientia : quare ubi de causis ab Episcopo requiratur, causas exponere tenetur. S. Cong. in *Alerien.* 24 nov. 1667 et in alia *Montis Alti* 23 jul. 1803. Richter ad cit. cap. Trid. n. 8 et 9. — (4) Trid. loc. cit. et Benedictus XIV n. 6. — (5) De Luca ad cit. cap. Trid. n. 11. — (6) Trid. eod. — (7) Benedictus XIV loc. cit. c. 8, n. 3.

496. Ordinarius, qui examini præest, potest criminosum, et diffamatum propter crimen a concursu repellere (1); sed non potest aliquem, qui se examini inscribat, sine justa causa repellere, aut spernere; secus hic posset contra agere ob formam conciliarem non observatam. Perfecto scrutinio, debet eligere unum ex approbatis, quem digniorem judicaverit, ut

supra jam innuimus. Hinc sequitur in foro externo electionem esse validam, si Ordinarius eligat unum ex approbatis ; sed in foro conscientiæ requiri, ut eligat digniorem (2).

(1) Hoc eruitur ex pluribus decisionibus S. Congregationis Conc. quas refert Richter loc. cit. a n. 14. Nec potest admittere parentes in casu renunciationis, licet contrarium obtineat in casu mortis. Richter ibid. n. 13. — (2) Ita docet S. Thomas, *ut electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, non oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel comparative ad bonum commune.* 2, 2, q. 63, a 2 ad 3. Propterea Innocentius XI, damnavit opinionem illorum, qui tenebant, a Tridentina Synodo illud tantum præscribi, ne indignis ecclesiæ parochiales conferantur, uti testatur Benedictus XIV in cit. bul. *Cum illud.*

497. Qui se putat a judicio, sive relatione examinatorum, aut Episcopi læsum potest ad superiorem appellare (1) ; sed appellatio datur tantum ad effectum devolutivum, non vero ad suspensivum, ne Ecclesia detrimentum patiatur (2). Propterea electus in parochum in parochiæ possessionem immittendus est, et a possessione amovendus non est, nisi datis contra ipsum duabus sententiis conformibus, quæ rem judicatam faciant (3). Clericus appellans acta omnia concursus producere debet, nec judex appellationis sententiam pronunciare potest, nisi illis visis, et gravamine audito ; nec recipiuntur in judicio aliæ attestationes, quam illæ, quæ fuerunt præsentatæ ante concursum (4). Judex autem appellationis commonere debet Episcopum collatorem de appellatione ad se facta, et vicissim Episcopus litteris familiaribus admonere judicem, quibus fuerit impulsus causis, ne alium eligeret (5). Si tamen Episcopo suspecta sit judicis appellati fides, tunc causas suæ electionis ad S. Congregationem Concilii mittere non prohibetur.

(1) Tempus ad appellationem interponendam concessum est tantum decem dierum a die factæ collationis. Epist. encyclica Clementis XI, n. 6, quam in n. 493 citavimus, et appellatio conceditur solummodo *a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili judicio episcopi.* Quare non amplius licet, ut olim licebat ad novum formaliter examen appellare, nam experientia compertum est, hanc praxim perniciosos habere effectus. Appellans enim animo percitus ob repul-

sam in primo examine passam, totis viribus litis decursu studiis incumbit, ut doctior fiat, dum appellatus, et in parochiæ administrationem immissus ob graves occupationes nequit aliis studiis vacare. Ideo major, vel minor idoneitas desumenda est ex primo examine; aliter injuria fieret legi, examinatoribus, et Episcopo, quasi debuissent non de adepta, sed de adpiscenda peritia judicium ferre. Cit bul. *Cum illud* n. 3 et 4. — (2) Trid. loc. cit. — (3) Jure antiquo res judicata non fiebat, nisi post tres sententias conformes; sed Benedictus XIV, rem judicatam post binas sententias in hac re induxit, quia æquitati convenit, causas appellationis, quanta fieri potest brevitate terminari: *Idcirco* ait Pontifex, *ubi a judice appellationis lata sit sententia, quæ præelectioni factæ ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novæ appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatæ controversiæ finis imponatur; si vero judex appellationis aliter quam Ordinarius pronunciaverit, liceat prælecto ab Episcopo qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, firmiter interim retenta parochialis Ecclesiæ possessione Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, præsertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio, is legitimum regendæ ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assistunt sententiæ, nec ullum novæ appellationis remedium succumbenti suffragetur.* Cit. bul. *Cum illud* § 17. — (4) Eadem Benedictina bulla mandat, ne *attestationes, fides tam judiciales, quam extrajudiciales, et documenta quæcumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata ullo modo recipiantur.* Ib. § 16. — (5) In his litteris inviolabilis secreti lex observanda est. Si vero judex appellatus collatorem Episcopum dicto modo non commoneat, Episcopus adhuc potest ipsum judicem instruere per litteras de vera causa electionis a se factæ sub eodem secreti lege. Benedictus XIV, cit. bul. *Cum illud* § 7. — (6) Ibid.

498. Dubitari hoc loco potest, an in conferendis parochialibus juris-patronatus sit observanda forma concursus? Pro dubii resolutione præmittendum est, jus-patronatus esse posse ecclesiasticum, vel laicale. Quo posito, in jure-patronatu ecclesiastico observanda est forma concursus, nisi sit a lege fundationis exclusa. Hinc peracto examine, patronus eligit digniorem, quem Episcopus inde in beneficio instituit; quod si alius quam Episcopus debeat instituere, electio dignioris ad ipsum Episcopum spectat, et electum patronus præsentare tenetur ei, ad quem institutio pertinet (1). In jure-patronatu autem laicali forma concursus non est observanda; sed libere a patrono fit

præsentatio, ac præsentatus examine privato discussus, ac idoneus ab examinatoribus repertus in beneficio est instituendus (2). Ratio vero discriminis est, quia Ecclesia non vult gravare patronum laicum, qui patrimonialibus suis bonis beneficium fundavit; sed vult sibi obnoxium patronum ecclesiasticum, qui beneficio fruitur ex bonis ecclesiasticis erecto. Attamen si patronus laicus elabi sibi patiatur tempus utile ad præsentandum, et jus acquiratur Episcopo libere conferendi, forma concursus in parochiæ collatione est observanda (3). Item si patronus laicus plures præsentet, inter hos, quantum fieri potest, observanda est forma concursus (4). Si vero jus-patronatus sit mixtum, rigorosa forma concursus non est observanda, quia jura laici in consortio cum ecclesiastico lædi non debent (5).

(1) Trid. sess. 24, c. 18, de ref. Ut exemplo res clarior fiat, supponamus Ecclesiam collegiatam N. habere juspatronatus suæ parochiæ; hac facta vacante, Ordinarius more solito concursum indicere debet, et, peracto examine, Canonici inter approbatos unum nominabunt, quem ipse Ordinarius in beneficio instituet. Sed si institutio non pertineat ad Ordinarium, et pertineat ad Capitulum ecclesiæ cathedralis, Ordinarius eligere debet digniorem, cumque canonici ecclesiæ collegiatæ præsentare tenentur Capitulo ecclesiæ cathedralis, ut ab eo in beneficio instituatur. — (2) Experimentum idoneitatis instituendum est coram examinatoribus synodalibus, et quidem in scriptis, tribus propositis quæstionibus, et conciuncula, quod eruitur ex ipsis Tridentini verbis quæ ita se habent: *Quod si jurispatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non, nisi idoneus repertus, admitti.* Ubi verbum, *ut supra*, satis indicat necessitatem examinatorum synodalium, et examen in scriptis, de quibus supra concilium disponit. — (3) Barbosa, et Monacellus, part. 1, t. 2, f. 10. — (4) Pro utraque quæstione videndus Fagnanus in cap. *Cum propter* de jur. n. 7 et seqq. Quod hic asserimus verum est, quando patronorum voces sunt æquales pro uno, et pro alio; alias præferendus est qui plures habet voces. — (5) Benedictus XIV, de Synod. l. 4, c. 8, n. 9.

499. Aliqui nihilominus sunt casus, in quibus forma concursus in collatione Ecclesiarum parochialium non est necessario adhibenda, inter quos sequentes numeramus: non adhibetur in Ecclesia parochiali adjuncta alicui monasterio, dignitati,

aut toti collegio Ecclesiæ cathedralis, aut collegiatæ (1); neque in parochiali adeo paupere, ut examinis operam ferre nequeat; neque in parochiali, in qua post trinum concursus edictum nemo repertus fuit, qui se examini subjiceret; neque in parochiali adeo factionibus, et dissidiis divisa, ut ex concursu graviora sint mala timenda (2); neque in parochiali, quæ cum alia, Ecclesia permutatur, quia concursus permutationem excluderet, quod procedit etiam quando permutatio fit cum beneficio simplici (3); neque tandem ex quorumdam sententia in parochiali de novo erecta. Sed ubi excluditur forma concursus, adhuc generaliter loquendo requiritur candidati examen, ut de ejus capacitate constet, sicuti est communis doctrina (4).

(1) Ratio est, quia in hujusmodi parochiis deputantur vicarii curæ parochialis, quibus curæ exercitium tantum competit, et non sunt veri parochi, etiamsi a beneficiatis principalibus constituerentur vicarii in perpetuum. Bul. *In conferendis* S. Pii V, § 4. — (2) Trid. loc. cit. — (3) Hic observat Reiffenstuel, non esse necessarium examen etiam privatum, nisi adesset magna inæqualitas numeri parochianorum, vel provisi nullum prius sustinuissent examen, vel ageretur de permutatione parochiæ cum beneficio simplici. De præbend. n. 146. Garcia de benef. p. 9. c. 2. n. 165. — (4) Præter supra recensitos casus, in quibus concursus non observatur, tres reperiuntur expositi in supracitata bulla *In conferendis* S. Pii V: Primus, si parochia intra sex menses a die notitiæ vacationis non habuerit concursum, et non fuerit ab Episcopo canonice collata; secundus, si facto concursu, et electo digniore, electio in parochia reservata intra quatuor menses S. Sedi pro obtinenda collatione significata non fuerit; tertius, si forma concursus non fuerit rite observata: nam in his casibus parochia S. Sedi reservatur, et omnimode ejusdem S. Sedis dispositioni manet alligata. Præterea non requiritur concursus quando parochia resignatur in manibus Papæ in favorem certæ personæ, et quando beneficium curatum est litigiosum, cujus administrationi Papa consuluit. Gonzalez ad reg. 8. Cancel. glos. 6, n. 116.

500 Ad similitudinem Ecclesiarum parochialium per concursum conferendæ quoque sunt præbendæ Canonici Pœnitentiarii, et Theologi Ecclesiarum cathedralium, in quibus tamen quatuor requiruntur examinatores ab Episcopo electi; at non est necesse, ut ex numero examinatorum synodalium desumantur (1).

(1) Bul. *Pastoralis officii* Benedicti XIII et Benedictus XIV de Synod. l. 4, c. 7. In reliquis beneficiis conferendis, exceptis majoribus de quibus supra diximus, nulla est forma substantialis a jure præscripta ; sufficit enim declaratio conferentis, qua velit actu beneficium vacans alicui clerico attribuere, quæ per curiæ instrumentum, sive per bullas probatur. Dicimus *actu*, etc., quia beneficii vacaturi non valet promissio, quamquam sit scripta. Cap. 2 et 13 de conces. præb. et cap. 2, eod. in 6 ; immo qui beneficium non vacans præsumit conferre, privatur facultate illud conferendi, cum vacaverit. Riganti ad reg. 21 cancel, n. 22 ; et hæc prohibitio extenditur ad patronos, quorum præsentatio facta, beneficio adhuc pleno, nulla est : non tamen propterea jure præsentandi privantur. Zallinger de conc. præbend. § 24.

501. Institutio, de qua agere proposuimus in secunda hujus tituli parte, est triplex, nimirum : *collativa*, *auctorizabilis*, et *corporalis*. Institutio collativa proprie dicta potest definiri, *canonica concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem, et ad præsentationem ejus, qui jurepatronatu in beneficio fruitur*. Ex qua definitione liquet, institutionem collativam habere locum in beneficiis jurispatronatus ; et idcirco differre a collatione, quæ in beneficiis liberis habet locum. Sed differt quoque ab institutione auctorizabili, quæ nihil aliud est, quam approbatio ad exercendam curam animarum ; et ab institutione corporali, quæ in facto immissionis in possessionem beneficii consistit. Quare si beneficium jurispatronatus habeat adjunctam curam animarum, dandæ sunt omnes prædictæ institutiones : prima, ut beneficiatus assequatur beneficii titulum ; secunda, et assequatur jurisdictionem parochialem ; tertia, ut beneficii possessionem assequatur. Si vero beneficium parochiale non sit, prima, et ultima sufficit.

502 Institutio corporalis, quæ appellatur quoque *Investitura*, fit verbis, et re. Verbis dicitur fieri, cum Episcopus beneficiato, mediante traditione alicujus signi, ex. gr. byrreti, aut pilei, beneficii possessionem tribuit. Re deinde dicitur fieri, cum beneficiatus vere, et corporaliter in beneficii possessionem immittitur ; quod juxta consuetudinem diversis modis peragitur, ut per ingressum in Ecclesiam, per osculum altaris, per sonitum campanulæ, per assignationem sedis in choro, etc. Hæc investitura nequit omitti, neque propria auctoritate capi ;

nam licet generaliter loquendo omissa nullam producat pœnam, specialiter vero eum facit instrusum, qui violentiam alicui in beneficii possessione sibi comparanda intulit (1).

(1) Cap. 18, de præbend. in 6.

TITULUS XVIII.

DE RESERVATIONE BENEFICIORUM.

SUMMARIUM : 503. Reservatio duplex est, expressa et tacita. — 504. Quandonam appositio manus Papæ reddat beneficium affectum? — 505. Expressa reservatio quomodo dividatur? — 506. Quæ sit reservatio clausa in corpore juris? — 507. Quæ sint reservationes factæ in regula prima cancellariæ? — 508. Quæ in secunda? — 509. Quæ in tertia, quarta, quinta, sexta, septima et octava? — 510. Quæ in regula nona? — 511. Quomodo episcopus fruatur alternativa mensium sibi a Papa concessa? — 512. Quæ sint beneficia non subjecta reservationi regulæ nonæ? — 513. Quæ sint reservationes in posterioribus summorum Pontificum bullis contentæ? — 514. Tria observanda in praxi reservationum.

503. Reservatio *est beneficii ecclesiastici vacaturi per Papam ad se facta avocatio.* Hinc, stante reservatione, Ordinarius nec licite, nec valide beneficium confert. Dividitur in *expressam*, et *tacitam :* illa ex Pontificis voluntate verbis expressa ; hæc vero ex voluntate Pontificis expressa factis eruitur, cum nimirum Pontifex in dispositione alicujus beneficii manus apponit (1). Tacita hæc reservatio vocatur *affectio*, et beneficium hoc modo reservatum dicitur affectum : et differt reservatio expressa ab affectione, quod illa est perpetua, hæc vero pro una tantum vice obtinet, et quousque Pontificis provisio sit completa, in quo unanimes sunt Doctores.

(1) Æquum enim est, ut postquam Pontifex aliquod beneficiale negotium inceperit tractare, saltem ex reverentia summo Hierarchæ debita, inferior non audeat attingere.

504 Affectio per appositionem manuum Pontificis reddit beneficium affectum, cum fit voluntate illud reservandi (1): ut si Pontifex beneficii renunciationem in suis manibus factam acceptet (2); si quemquam beneficio privet; si beneficium concedat in commendam, aut in administrationem; si eidem deputet coadjutorem cum futura successione, et coadjutor coadjuto prius moriatur; si duo beneficia ad alicujus vitam conjungat, et in aliis similibus casibus (3). Ex adverso cum Pontifex in beneficio manus apposuit, non ad effectum sibi illud reservandi, sed ad alium finem, ut puta, ad auferendum per dispensationem aliquod impedimentum, ad reservandam pensionem, vel ad instituendam perpetuam duorum beneficiorum unionem (4), nulla est affectio, quia non materialis manuum appositio reddit beneficium affectum, sed illa tantum, quæ fit animo sibi reservandi, et postea conferendi, cum actio nequeat producere effectum ultra intentionem operantis.

(1) Hoc factum appositionis manus Pontificis in aliquo beneficio est efficacius, quam appellatio ad ipsum : nam plus est negotium ad se revocare, quam ab alio provocationem accipere. Cap. 56, de appel. — (2) Reiffenstuel de præb. n. 419; quod extenditur etiam ad resignationem in favorem certæ personæ, Riganti ad reg. 1, Cancel. § 1, n. 102. — (3) Cujusmodi est casus, si Papa prohibeat electoribus, ne ad electionem procedant. Cap. 45, de elect. in 6. — (4) Riganti loc. cit. n. 103.

505. Reservatio expressa est, quæ ex aliqua summorum Pontificum constitutione, vel ex jure communi provenit. Sancta quidem Sedes ab antiquissimo tempore jus quædam sibi reservandi beneficia exercet, quo in vim sui universalis primatus merito fruitur (1). Cum enim ipsa distribuat officia spiritualia propter quæ dantur beneficia, et constituat Episcopos cum potestate conferendi beneficia, hoc nativo suo jure destituta dici non potest, nisi per summam perfidiam, ut quidam parum orthodoxi scriptores, et quidam humanis passionibus seducti Principes suadere, et facere præsumpserunt (2). Hujusmodi pontificiæ reservationes possunt variis modis partiri, ut videre est penes Doctores (3); sed nos pro rei claritate in tres tantum classes partimur, nempe : 1° in eam, quæ clausa

ut in corpore juris ; 2° in eas, quæ in regulis Cancellariæ Apostolicæ continentur; 3° in eas, quæ per posteras Pontificum constitutiones fuerunt introductæ.

(1) Devoti Int. can. l. 1, t. 5, § 30, in not. — (2) Scriptores afferunt, primos Pontifices reservationes non fecisse, quæ posterioribus temporibus fuerunt introductæ. Possunt quidem summi Pontifices reservationes non facere ; sed non possunt ob quamcumque praxim, et consuetudinem jure faciendi privari. Labentibus plane sæculis vigere cœperunt ; sed justis et rationalibus de causis, quas enumerat Riganti ad cit. reg. 1, a n. 9. Inter Principes Apostolicis reservationibus primum obstitere Angli, deinde Hispani, et Galli : unde necesse fuit hac super re inire concordata. Sed, factis etiam concordatis, salva semper mansit suprema summi Pontificis auctoritas, quæ salva etiam manet supra ipsum Concilium Tridentinum, ut in eodem sapientissimi Patres declararunt. Trid. sess. 25, c. 21, de ref. Hinc concordata intelligenda sunt de jure ordinario : nam summus Pontifex de potestate sua absoluta, et urgentibus gravibus causis, potest ipsis concordatis derogare. Reiffenstuel de præbend. a n. 425. — (3) Peculiari mentione digna est partitio in reservationes *generales* et *speciales*. Generales illæ appellantur, quibus plura beneficia in communi, ratione personarum, aut rerum, aut locorum reservantur ; speciales vero illæ sunt, quibus certum beneficium pro certa, vel incerta persona, ex singulari causa non perpetua reservatur. Ad speciales reservationes referuntur mandata de providendo, gratiæ expectativæ ad beneficia, et ipsæ reservationes mentales, quæ a Tridentino sublatæ sunt, ut nequeant amplius concedi, et concessis uti non liceat. Trid. sess. 24, c. 19, de ref.

506. Quoad primum Papæ reservantur beneficia vacantia *apud sedem Apostolicam*. Clemens IV, hanc reservationem ex antiqua consuetudine in ecclesiasticam legem reduxit, quæ in corpore juris, scilicet in sexto Decretalium (1) recensita fuit (2). Bonifacius vero VIII, eamdem reservationem ita explicavit, ut comprehenderet beneficia Legatorum, et Nuntiorum S. Sedis, et aliorum quorumcumque beneficiatorum venientium ad Curiam Romanam, vel ab ea recedentium, si in ipsa Curia, vel in locis vicinis intra duas dietas, vel quadraginta milliaria italica diem supremum obirent (3) ; sed Gregorius IX, in Concilio Lugdunensi hanc reservationem restrinxit ad mensem, ita ut, transacto mense a die vacationis, et nulla

facta per Papam collatione, Ordinarius posset ea beneficia tamquam a reservatione libera conferre (4).

Unica hæc est vere et proprie dicta reservatio clausa in corpore juris; sed communiter Doctores tradunt, huic reservationi *apud Sedem* similem esse reservationem beneficiorum vacantium *in Curia* ipsius Pontificis, ita ut dicant, idem esse beneficium vacare apud Sedem, vel in Curia. Ad hunc errorem vitandum latissima inter utrumque discrimina notamus. 1m Vacatio apud Sedem comprehendit beneficia illorum, qui apud Sedem, vel intra duas dietas ab eadem morte naturali occumbunt; dum vacatio in Curia comprehendit beneficia eorum, qui illa in Pontificis Curia dimittunt, quique ibi eorum beneficiis quasi moriuntur. 2m Reservatio apud Sedem durat tantum ad mensem; dum reservatio in Curia est perpetua (5). 3m Reservatio apud Sedem est clausa in corpore juris; dum reservatio in Curia extra corpus juris extat (6). 4m Reservatio apud Sedem non tollitur per indultum Pontificis etiam motu proprio editum conferendi beneficia reservata, nisi de tali concessione fiat specifica mentio; dum per tale indultum aufertur reservatio in Curia (7). Ergo hæc duo nequeunt, salva rerum veritate, confundi.

Tria tamen sunt præcipua argumenta, quibus Doctores citatam identitatem, et confusionem adstruere nituntur. Primum, quia Clemens IV, postquam nominavit vacationem apud Sedem, nominat quoque vacationem in Curia (8). Secundum, quia explicando mentem Gregorii IX, sic ait : *Idem est dicere in Curia, quod apud Sedem Apostolicam* (9). Tertium, quia Innocentius XXII dicit vacare apud Sedem beneficia, quæ vacant tantum in Curia, cum nimirum beneficiatus suo beneficio in Curia renuntiat, vel eo privatur (10). Sed respondentes observamus, Clementem et Glossam loqui secundum explicationem datam a Bonifacio VIII, quæ concipitur de casu, quando beneficiatus *mori contingat* (11), et Joannem XXII, loqui in eodem textu de propria vacatione apud Sedem, quæ fit per mortem naturalem, et de impropria, quæ fit per speciem mortis civilis, quando beneficiis renunciatur. Ipse enim ibi respicit genus et non speciem, et vacatio in Curia tamquam genus lato sensu comprehendit improprie etiam vacationem

apud Sedem, quia mors civilis morti naturali assimilatur, et quia actus, qui completur in Curia completur etiam apud Sedem. Quamvis tamen inter utrumque hæc existat affinitas, duo vere, et semper dictincta sunt, et quod dicitur de uno, de alio dici nequit. Hinc in genere et lato sensu dici potest beneficia vacantia apud Sedem per obitum naturalem vacare etiam in Curia; non vero proprio et stricto sensu dici potest, beneficia in curia per actum ibi expletum vacare apud Sedem, ita ut inde hujus effectus vacationis sequatur (12).

(1) Sextus Decretalium, ut alibi vidimus, codex est legum ecclesiasticum : nam hic codex, ut alter præcedens Decretalium Gregorii IX probatus a S. Sede fuit, et authenticus declaratus. Aliæ vero collectiones legum etiam in corpore juris comprehensæ neque probatæ, neque authenticæ sunt; et ideo reservationes ab Extravagantibus inductæ extra corpus juris esse dicuntur, excepta Extravagante *Ad Romani* de præbend. quæ fundamentum habet in cap. 56, de appell. Gonzale ad reg. 8, Cancel. Glos. 52, n. 7 et 9. — (2) Cap. 2, de præbend. in 6. — (3) Cap. 34, eod, in 6. Curialium quoque beneficia sub hac comprehenduntur regula, etiamsi Sedes Apostolica vacet, et curiales ab ea recedant peregrinationis, infirmitatis, recreationis, aut alia quacumque causa, modo in loco vicino non habeant domum propriam, et ibi decedant. Cap. 3, de præb. in 6. Idem dicendum si Curia de loco in locum transferatur, ut cum translata fuit Avenionem in Gallia, et curiales moriantur in sequendo Curiam, aut infirmi remaneant in loco, a quo Curia recedit. Cit. cap. 3. Aliorum vero beneficiatorum accedentium, vel recedentium a curia tunc intelliguntur reservata beneficia, cum id faciunt ad negotia, vel lites in eadem Curia tractandas. Nam si alia de causa accedant, non intelliguntur eorum beneficia reservata. Reiffenstuel de præb. n. 448. Similiter in hac lege non intelliguntur reservata beneficia parochialia, ne damnum sequatur animarum. Cap. 35, de præb. in 6. — (4) Cap. 3, de præbend. in 6. Cum tamen aliæ adhuc sint reservationes, ut infra videbimus, quæ possunt hunc casum comprehendere; ideo in praxi etiam post mensem Episcopi non audent beneficia sic vacantia conferre, sed semper in dispositione Papæ relinquunt. Riganti ad reg. 1, Cancel. § 1, n. 370. — (5) Id, ib. n. 374. — (6) Id. in rubr. ad eamd. regul. § 1, n. 39. — (7) Id. ib. n. 56. — (8) Cit. cap. 2, de præb. in 6. — (9) Glos. in cit. cap. 3, de præb. in 6, verb. *In curia*.— (10) Extrav. *Ex debito* 4, de elect. int. com., quæ fuit tantum temporalis. — (11) Cap. 34, de præb. in 6. — (12) Riganti ad reg. 1, Cancel. § 1, n. 37. Hic insuper notamus, Curiam Pontificis ibi esse, ubi ipse cum sua Cancellaria, et tribunalibus re-

peritur. Si vero Papa alio proficiscatur, relicta Romæ Cancellaria, Curia Romæ erit, nisi Papa partem Curiæ secum transferat, quo casu Curia erit semper una ; sed reservata manebunt beneficia propter actum in alterutra parte Curiæ peractum, et per mortem intra duas dietas a dictis locis secutam, ut declaravit Clemens VIII cum se Ferrariam transtulit, per bul. *Cum ob nonnulas*. Reiffenstuel de præb. n. 452. Actus vero, qui reservationem in Curia producunt sunt, ex. gr. renunciatio, et permutatio beneficii etiam per procuratorem, matrimonium in Curia contractum, et professio religiosa ibi emissa, mandatum de demittendo beneficio, vel sententia privationis propter crimen, aliique. Dicimus propter crimen : nam sententia privationis ob non adimpletam residentiam, vel ob non susceptos ordines non privat Episcopum potestate libere conferendi talia beneficia.

507. Post reservationem clausam in corpore juris exponendæ breviter sunt reservationes in Regulis Cancellariæ comprehensæ. In regula 1ª reservantur specialiter beneficia vacantia per depositionem, vel promotionem, seu translationem auctoritate Apostolica factas (1); beneficia electorum resignata in manibus Papæ, vel per electionis cassationem amissa (2) ; beneficia vacantia per mortem Cardinalium, et omnium Officialium Curiæ Romanæ (3); beneficia vacantia per promotionem ad Ecclesias episcopales, vel abbatiales ad formam bullæ Benedicti XII (4) ; beneficia eorum, qui duo incompatibilia retinere præsumunt (5) ; et beneficia contra formam concilii Tridentini collata ex bulla Joannis XXII (6).

(1) Extravag. *Ad regimen* de præb. int. com. Riganti ad reg. 1, Cancel. § 2. — (2) Id. ib. § 3. — (3) Id. ib. § 4. — (4) Extrav. cit. *Ad regimen* et Riganti loc. cit. § 7. Hæc vacatio a quibusdam dicitur fieri *per risulta*.— (5) Extravag. *Execrabilis* Joannis XXII de præb. int. com. — (6) Riganti loc. cit. § 9. Hoc casu beneficiatus utroque beneficio privatur ; sed ex veriori sententia reservatum manet tantum secundum, seu illud, quod alteri incompatibili a se possesso beneficiatus præsumpsit contra sacros Canones adjungere. Id. ib. § 10.

508. In regula 2ª reservantur Ecclesiæ cathedrales, et omnia beneficia, quæ tempore Sedis vacantis vacare contigerit. At quid dicendum de beneficiis, quæ, sede plena, vacarunt, et per Episcopi mortem non fuerunt collata? Quid de beneficiis,

quæ, vacante Pontificis et episcopi sede vacarunt? Circa primum duæ sunt Doctorum sententiæ. Alii cum Gonzales affirmant, beneficia sic vacantia non esse reservata, et ideo posse per Episcopum successorem conferri: quia beneficia hujusmodi in sua vacatione, vivente episcopo, erant libera; ergo etiam, eo mortuo, debent esse libera. Alii ex adverso cum Garcia sustinent, esse reservata, quia si successor nequit conferre beneficia vacantia post Episcopi obitum, non poterit a fortiori conferre vacantia ante obitum; hæc ultima sententia a Rigantio dicitur in praxi magis recepta, licet ipse contrariam defendat (1). Circa secundum dicendum videtur, nullam esse reservationem, cum regulæ Cancellariæ, mortuo Pontifice, vim amittant. Hinc expectandus eventus : si primum creetur Pontifex, ipse statim promulgat regulas, beneficiisque vacantibus vinculum reservationis imponit (2) ; si vero primum Episcopus beneficii possessionem assequatur, potest ex veriori sententia beneficia sic vacantia conferre (3).

(1) Ad reg. 2 Cancel. § 3, n. 358. — (2) Reg. 68 Cancel. — (3) Riganti ad reg. 2 Cancel. n. 363.

509. In regula 3ª reservantur beneficia resignata in fraudem reservationis, et ab hujusmodi resignantibus dimissa; ut si quis beneficiatus sciens se brevi a S. Sede promotum iri ad beneficium majus cum eo incompatibile, quod actu possidet, huic ante sui promotionem renunciet, ne per ipsam promotionem fiat inde reservatum *per risulta* in sensu citatæ regulæ primæ (1). In regula 4ª reservantur majores dignitates post pontificalem in ecclesiis cathedralibus (2); item principales dignitates in ecclesiis collegiatis (3); item beneficia vacantia per obitum familiarium Papæ, et Cardinalium (4). In regula 5ª reservantur beneficia collectorum, et sub collatorum, eorum scilicet, qui a summo Pontifice ad cameræ Apostolicæ proventus exigendos præponuntur. In regula 6ª beneficia curialium, qui in itinere decedunt, dum Curia transfertur. In regula 7ª beneficia cubiculariorum, et cursorum summi Pontificis (5). In regula 8ª beneficia S. Joannis Laterani, S. Petri, S. Mariæ Majoris, et quæ vacant in titulis Cardinalium, ipsis absentibus.

(1) Riganti ad reg. 3, Cancel. n. 5 et 23. Est tamen adnotandum, quod ad effectum regulæ resignatio fieri debet intra tempus vacationis beneficii a S. Sede conferendi, et incompatibilis, et provisionis Apostolicæ ; nam regula expresse habet : *Intra vacationis, et provisionis tempora.* Neque in hoc casu resignans excusari potest ex eo quod resignationem bona fide egerit, vel fuerit incertus de obtinendo a S. Sede beneficio secundo ; sed tantum excusari potest a pœna privationis secundi beneficii, non vero a nullitate suæ resignationis. Riganti ibid. n. 74. — (2) Major dignitas in cathedralibus Hispaniæ solet esse Decanatus, quod Pirhing tribuit etiam cathedralibus Galliæ ; in cathedralibus vero Germaniæ Præpositura, et in cathedralibus Italiæ Archidiaconatus, licet in hac cathedrali Genuensi sit Præpositura. — (3) Sed hæc tantum in casu, quo earum redditus annui et certi superant summam 10 florenorum auri, in qua non computantur distributiones quotidianæ, neque emolumenta provenientia ex legatis, et piis dispositionibus, neque alii redditus incerti ; florenus autem æquivalet libellis 8 et centesimis 75. Licet tamen hæc regula loquatur in plurali numero reservans *dignitates majores et principales*, prima tantum dignitas intelligitur reservata, nisi duæ sint in eadem Ecclesia dignitates æque principales. Riganti ad reg. 4, § 2, § 1, n. 47 et § 2, n. 9. — (4) Id. ib. § 5 et 6, per tot. — (5) Etiam cubicularii ad honorem comprehunduntur in regula. Id. ad reg. 7, n. 20.

510. In regula 9ª reservantur omnia beneficia cum cura, vel sine cura, secularia, vel regularia, quæ octo anni mensibus, nimirum : januario et februario, aprili et maio, julio et augusto, octobri et novembri vacare contigerit (1). Ac proinde alii tantum quatuor menses remanent collationi Ordinariorum, nimirum : martius, junius, september et december. At Episcopis in suis diœcesibus residentibus, et petentibus a Pontifice dari solet indultum de alternativa mensium ita, ut incipiendo a mense januarii sex ad Pontificem, et sex ad Episcopum alternatim pertineant (2). Episcopus tamen hoc indultum a quolibet summo Pontifice debet petere, ac proinde si novus creetur Pontifex non prodest Episcopo indultum a suo Antecessore obtentum (3).

(1) Non comprehenduntur tamen sub regula, beneficia, quæ episcopi fundationem non habent, neque illa, quæ non sunt perpetua, neque beneficia jurispatronatus laicalis ex dotatione, et fundatione, licet aliud sit dicendum de jurepatronatu ecclesiastico, et jurepatronatu per privilegium acquisito ; neque comprehenduntur vicariæ

temporales ; an vero comprehendantur vicariæ perpetuæ disputant Doctores. Riganti ad reg. 9, n. 3, 77, 144 et 333. — (2) Summus tamen Pontifex concedens Episcopis privilegium alternativæ mensium, ut episcopi possint beneficia conferre mensibus februarii, aprilis, junii, augusti, octobris et decembris, non derogat aliis beneficiorum reservationibus, et affectionibus, ut declarat in eadem regula nona, dum ait : *Dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint.* — (3) Hoc indultum a Papa concessum debet episcopus acceptare, si vult eo uti : nam per hoc fit quidam contractus inter Papam, et episcopum. Acceptatio tamen hæc regulariter fieri debet ab episcopo in sua diœcesi residente per litteras patentes suo sigillo munitas, ut præscribit ipsa regula, quas postea tenetur Romam mittere ad Datarium, qui eas recognitas mandat transcribi in registro ad hunc effectum destinato : quibus adimpletis, dat litteras testimoniales, et incipit alternativa mensium suum habere effectum. Diximus regulariter, quia Datarius potest, salvo indulto, has solemnitates missas facere. Riganti ad reg. 9, part. 2, § 2. Sed notandum justa veriorem sententiam, quod acceptatio facta in mense Apostolico inchoato non tollit qualitatem mensis Apostolici ; ac proinde beneficia pro illo mense manent Papæ reservata, quia mensis procedit cum sua qualitate ab initio contracta. Acceptatio vero facta in mense Ordinarii jam inchoato, ex. gr. in martio, aut septembri, a die acceptationis facit ipsum mensem Apostolicum : et sic inter Papam et episcopum claudicat contractus ; et hujus discriminis ratio est, quia episcopus voluntarie renunciat juri suo, si ad alternativam acceptandam tempus congruum non expectat. Id. ib. § 3. Acceptatio incipit habere effectum a media nocte ultimi diei mensis. Id. ib. Pro majori episcoporum utilitate Rigantius eos monet, ut alternativam acceptent in mense januarii, et julii, et in fine martii, aut septembris : nam si acceptent in mense februarii, tres primi menses anni ad Papam pertinerent, nempe januarius, et februarius de jure, et martius, quia, ut diximus, mensis, qui intravit sub apostolico, sub eodem desinit, erit in contrarium operante acceptatione alternativæ. Id. ib.

511. Ut Episcopus frui possit indulto alternativæ necessaria est ejus residentia vera, et personalis in sua diœcesi, nedum de tempore, quo beneficium vacat, sed etiam ab initio mensis, alias intrat Apostolicus (1). At si hoc casu post factam collationem, etiam eodem perdurante mense, a diœcesi abscedat, collatio ab eo facta valet, quia negotium tempore habili completum fuit. Per suam absentiam tamen non amittit Episcopus jus conferendi beneficia vacantia in mensibus junii et decembris, quia hi duo menses etiam ex jure communi ad Episco-

pum pertinent, et per consequens in his non cadit conditio residentiæ (2). Hæc autem conditio tanti est momenti, ut si Episcopus duas habeat diœceses æque principaliter unitas, et pro utraque obtineat indultum alternativæ, illi non prosit diœcesi, in qua non residet (3).

(1) Ideo non sufficit residentia ficta, quantumvis sit ex causa privilegiata et privilegiatissima. Propterea alternativa non fruitur episcopus, qui a sua diœcesi abest tribus mensibus sibi a jure concessis, qui accedit ad concilium Provinciale, qui reipublicæ negotia alibi gerit, qui nunciaturæ Apostolicæ incumbit, quique limina Apostolorum visitat ; neque ille, qui etiam ex causa honesta ad modicum tempus abest cito reversurus, quique injuste detinetur, ne diœcesim suam ingrediatur. Riganti, loc. cit. § 5. — (2) Ob eamdem rationem si episcopus erigat novum beneficium in mensibus sibi assignatis prima collatio ad ipsum spectat ; sed si id faciat in mensibus Apostolicis, collatio est S. Sedi reservata. Id. loc. cit. part. 1, § 2, n. 424. Episcopus tamen collationem beneficiorum sibi pertinentium legitime facit etiam in mensibus Apostolicis. — (3) Alternativa cessat, si Episcopus ea abutatur, aut beneficium quocumque modo reservatum conferat. Ib. id. part. 2, § 5, n. 32 et § 6, n. 25.

512. Ex verbis tamen ejusdem regulæ manifeste eruitur, quasdam esse beneficiorum vacationes, quæ minime reservantur, cujusmodi sunt : 1° vacationes, quæ, Sede Apostolica vacante, contingunt ; nam Papa ratione mensium sibi beneficia reservat *ad suæ voluntatis beneplacitum ;* sed certum est beneplacitum morte finire : propterea Episcopus potest conferre beneficia, quæ post mortem Pontificis vacarunt, nulla facta mensium distinctione (1) ; 2° vacationes ob resignationem, vel renunciationem in manibus Episcopi factam, quia reservatio ex præscripto regulæ procedit tantum quoad beneficia, quæ *alias quam per resignationem*, vacantia fiunt : unde potest Episcopus quolibet mense beneficiorum dimissiones acceptare, et de illis sic dimissis per se disponere ; 3° vacationes, quæ contingunt per permutationem ; nam permutatio, cum duplicem resignationem contineat, licet non sit expressa in regulæ littera, adhuc manifeste latet in sensu : quare Episcopus potest quolibet mense permutationes beneficiorum probare, et in beneficiis sic permutatis institutionem dare (2).

(1) Attamen collatio ab episcopo expedienda est, dum Sedes Apostolica vacat : nam novus electus Pontifex statim in regula 68. Cancellariæ sibi reservat ea beneficia, quæ vacarunt tempore Sedis vacantis, quæque ab Ordinariis non fuerant legitime collata. — (2) Riganti ac cit. reg. part. 1, § 3, n. 31 et 35. Sed in resignatione observanda est bulla *Quanta Ecclesiæ* S. Pii V quæ præscribit, resignationes admittendas tantum esse : 1° a senibus, 2° a corpore vitiatis, 3° a censuratis, 4° ab infirmis, 5° ab habentibus plura beneficia, 6° ab iis, qui ratione inimicitiarum in loco beneficii tuti non sunt, 7° ab iis, qui religiosam professionem emittere cupiunt, intra duos menses ante professionem.

513. Exposita prima, et scunda classe reservationum beneficiorum, restat, ut pauca adjungamus de tertia, scilicet de reservationibus, quæ per posteriorum summorum Pontificum constitutiones factæ fuerunt. Ita Alexander VI reservavit beneficia eorum, qui offendunt litigantes in Romana Curia, eorumque judices, advocatus, procuratores, testes, vel notarios (1). Paulus IV reservavit beneficia eorum, qui se ipsos pro aliis in Romana Curia examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis, aut beneficia a Papa impetrant pro aliis, ut ab iisdem aliquid consequantur, vel quando pro se ipsis impetrant cum intentione illa resignandi (2). Pius IV reservavit beneficia, quæ vacant per simoniam confidentialem (3). Pius V beneficia, quæ vacant per crimen hæresis (4). Gregorius XIII beneficia nulliter collata ab hæreticis, et apostatis (5); item beneficia resignata, in quibus resignationis publicatio facta non fuit. Sixtus V reservavit beneficia vacantia propter omissam delationem habitus clericalis (6). Sunt præterea et aliæ reservationes præsertim particulares quoad determinatus Ecclesias, de quibus videndus est Gonzalez (7).

(1) Bul. *In eminenti*. Ventriglia, tom. 2, annot. 2, n. 88. — (2) Bul. *Inter cæteras*. Ventriglia ibid. n. 94. — (3) Bul. *Romanum Pontificem*, quæ confirmatur a bul. *Intolerabilis* S. Pii V qui ulterius decrevit, reservationem procedere non solum in beneficiis, in quibus commissa simonia confidentialis, sed etiam in aliis, quæ obtinebant confidentiarii simoniaci. — (4) Bul. *Cum apostolatus*. — (5) Bul. *In ecclesiis*. — (6) Bul. *Humano vix judicio*. — (7) Bul. *Cum sacro-*

sanctum, et bul. *Apostolicæ Sedis* Benedicti XIII. — (8) Reg. 8, Cancel. Glos. 51.

514. Demum in praxi reservationum observanda sunt, sequentia : primo, Episcopus potest, et debet more solito indicere concursum in vacatione beneficiorum habentium curam animarum, et quando ad eum spectat, ut supra diximus, eligere digniorem, vel litteris familiaribus, quem digniorem putat, Datario commendare (1); secundo Episcopus Cardinalis potest quibuscumque anni mensibus beneficia ad suam collationem spectantia conferre, modo duplici reservationi obnoxia non sint (2) ; tertio in provisionibus a S. Sede factis super beneficiis exiguntur annatæ, vel mediæ annatæ, scilicet fructus, vel medietas fructuum unius anni. Annata exigitur in beneficiis majoribus, media annata in minoribus, quorum annui redditus summam 24 ducatorum, vel florenorum superant; sin secus nihil exigitur (3).

(1) Si in actis aliqua occulta causa reticita fuerit, quæ alicui ad beneficium obtinendum obstet, in iisdem litteris debet Datario significare. Bul. *Cum illud* Benedicti XIV. — (2) Ipse tamen in mensibus reservatis litteras provisionis, sive bullas non concedit, quæ a Cancellaria Apostolica sunt impetrandæ, debita soluta taxa, ratione annatæ, si nullis detractis oneribus, eorum redditus summam 24 ducatorum auri non superent. Bul. *Cum sicut* Benedicti XIV. Sed præterea Episcopus Cardinalis aliud solet obtinere a Pontifice indultum magis, aut minus extensum conferendi eodem modo alia beneficia reservata, aliquibus, et maxime vacantibus apud Sedem exceptis, ut in similibus indultis videre est. Illud insuper observandum, quod illi, qui has collationes a Cardinalibus obtinuerunt, debent intra quatuor menses citra montes, et ultra intra octo menses litteras Apostolicas provisionum sibi procurare, alias beneficia denuo vacant, et fiunt summo Pontifici reservata. Gonzalez loc. cit. n. 108. — (3 Hujusmodi annatæ ex communi religionis causa fuerunt institutæ, ut summus Pontifex Ecclesiæ necessitatibus tum in Urbe, tum in toto terrarum orbe posset consulere, quæ decimis papalibus videntur substitutæ. Bul. *Cum sicut* Clementis VII. Quoad Galliam videndus est Lequeux Man. comp. jur. can. tom. 3, n. 1197.

TITULUS XIX.

DE BENEFICIORUM UNIONE.

SUMMARIUM : 515. Unio est realis, vel personalis. — 516. Realis quomodo dividatur, et quomodo extinctiva fiat? — 517. Quæ subjectiva? — 518. Quæ dicatur æque principalis? — 519. Quomodo possit, aut debeat episcopus beneficiorum uniones facere? — 520. Quando possit unire beneficia reservata, vel affecta? — 521 Quæ beneficiorum uniones episcopo interdicantur? — 522. Beneficia unita potest episcopus in pristinum statum reducere. — 523. Quare personalis beneficiorum unio prohibeatur? — 524. Quotuplici ratione beneficia sint incompatibilia? — 525. Quæ sint pœnæ contra beneficia incompatibilia retinentes? — 526. An consuetudo licitam reddere queat plurium beneficiorum retentionem?

515. Unio beneficiorum dupliciter contingit, nempe cum duo in unum componuntur, aut cum duo uni conferuntur : prima dicitur *realis*, secunda *personalis*. Utraque odiosa est, et non facile probatur, nisi justam evidentis utilitatis, aut necessitatis habeat causam, et a legitima auctoritate fiat, quia adversatur regulæ juris : *singula Singulis beneficia conferantur:* nam si plura in unum, vel uni adjiciantur, Ecclesiæ servitium minui, et ecclesiasticus ordo perverti debet.

516. Realis unio est triplex, alia *extinctiva,* alia *subjectiva*, et alia *æque principalis*. Extinctiva unio appellatur, cum duo beneficia supprimuntur, et ex eorum veluti materia novum efformatur, ut si ex duobus canonicatibus efformetur dignitas, aut ex duabus parochiis una pro duorum populorum necessitate efformetur, quæ sit omnibus propria. In hac unionis specie, cujus rarus est usus, illud peculiare est, quod consuetudines, et privilegia primitiva post unionem adhuc subsistant, et si prius forte contraria fuerint, ea subsistant, quæ meliora, et favorabiliora novo beneficio sunt (1).

(1) Pirhing de præb. n. 201. Nihilominus hoc non videtur obser-

vatum a Pio VII in bul. *Qui Christi Domini*, et in Concordato anni 1802 inito cum Gallico Gubernio, in quo, veteribus suppressis, novi eriguntur in Gallia episcopatus : nam in eodem revocantur primitiva jura Ecclesiis competentia cum privilegiis, et prærogativis cujuscumque generis.

517. Subjectiva unio appellatur, cum unum beneficium alteri subjicitur ita ut primi natura mutetur, fiatque alterius accessorium, ut si una parochia ex defectu dotis alteri uniatur, aut dignitas dignitati. Hoc casu primum beneficium quasi extinguitur, ac veluti prædium alterius principalis consideratur, cujus naturam, qualitates, et privilegia consequitur dum amittit ea, quæ sibi erant propria. Hinc si beneficium regulare sæculari taliter uniatur, aut ecclesia exempta non exemptæ, nullum competit amplius post unionem religionis, aut exemptionis privilegium. Illud tamen est in similibus unionibus observandum, quod generaliter debet minus dignum beneficium uniri digniori, et quod specialiter in parochia ita alteri unita vicarius est semper constituendus, qui curam animarum gerat (1).

(1) Cap. 30, in fin. de præbend.

518. Æque principalis unio appellatur, cum duo beneficia simul connectuntur, ut unicum perpetuum debeant habere rectorem, salva in reliquis absque ulla confusionis, aut subjectionis specie eorum natura. Hæc unio solet habere locum in beneficiis majoribus, cum duo ex. gr. episcopatus sub uno constituuntur Episcopo, aut episcopatus, et monasterium uni adjiciuntur Episcopo, qui sit simul Episcopus, et Abbas. Quamobrem beneficia post hujusmodi unionem adhuc in se tamquam separata habentur, propriumque titulum, gradum, honorem, privilegia, consuetudines, et reditus servant, ut Doctores communiter tradunt (1).

(1) Hoc evenit nostris temporibus in episcopatu Naulensi, qui unitus fuit Savonensi.

519. De unionibus, quæ fiunt a summo Pontifice, non agimus ;

nam cum beneficiorum omnium plenaria dispositio ad ipsum pertineat, potest summus Pontifex quando, et quomodo vult ea unire, et dividere (1); Episcopus vero minora suæ diœcesis beneficia etiam curata unire potest in perpetuum, modo unio non sit illi specialiter a jure interdicta (2). Sed ad legitimam unionem faciendam requiritur causæ necessitatis, aut evidentis utilitatis cognitio, et citatio eorum, quorum interest, ut patronorum, qui, si laici sint, debent ulterius consentire (3). Rector tamen beneficii non est necessario citandus, quia unio non habet effectum, nisi post mortem actualis possessoris (4). Neque etiam, si agatur de ecclesia parochiali, necessario citanda est plebs. Æquum tamen est, ut tam beneficii possessor, quam plebs audiatur (5). Episcopus nedum potest beneficiorum uniones facere; verum ad faciendas quandoque a S. Tridentino Concilio veluti adhortatur, ut pro salute animarum ad uniendas parochias ita pauperes, ut necessaria nequeant providere Rectori (6), ad unienda beneficia simplicia sæcularia singulis præbendis canonicorum ecclesiæ Cathedralis, et Collegiatarum insignium, cum adeo tenues sunt, ut, cumputatis etiam distributionibus quotidianis, non sufficiant pro sustinendo decenti Canonicorum gradu; quo in casu potest etiam supprimere, et ad minorem numerum reducere canonicatus (7). Diximus *singulis præbendis*; nam mensæ capitulari, aut etiam massæ distributionum similes uniones facere nequit (8); et ad unienda clericorum seminario beneficia simplicia sæcularia, quando eidem per beneficiorum taxam, aut alio modo non est satis provisum (9).

(1) Summus tamen Pontifex eam sibi constituit legem, ut commissiones unionis, et divisionis semper fiant ad partes, *vocatis quorum interest*. Reg. 22 Cancel. — (2) Cap. 8, de exces. præl. Capitulum Cathedrale, sede vacante, et Vicarius Capitularis ex veriori sententia potest beneficia unire, ut fusius explicamus in alio opere, Theor. et prax. Vic. Capit. non vero Vicarius Generalis, et Prælatus inferior, licet sint ordinaria jurisdictione prædíti. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 86. — (3) Cap. 30 et 33, de præb. Trid. sess. 7, c. 6, de ref. Causa necessitatis esset, si fructus duorum beneficiorum ita imminuti forent, ut amplius duobus parochis sustentandis non sufficerent. Arg. Clem. 1, § ad hæc de stat. monac.; si numerus parochianorum ita sit imminutus, ut amplius in aliqua parochia decem man-

cipia non reperiantur. Can. 3, c. 10, q. 3; si ecclesia per hostes devastata sit. Cap. 2, de rel. dom.; si populus bello, aut peste imminutus sit. Can. 48 et 49, c. 16, q. 1; et si status Ecclesiæ deformatus ita sit ut in ea disciplina non amplius observetur. Arg. Cap. 7, ne cler. vel, mon. Causa vero evidentis utilitatis esset, si clerici idonei non reperirentur, qui vellent beneficio deservire. Pirhing de præb. n. 209. — (4) Clem. 2 de reb. eccl. non alien. — (5) Riganti ad reg. 32, n. 39. — (6) Sess. 21, c. 5, de ref. et Riganti ad reg. 13, n. 137. — (7) Sess. 24, c. 15, de ref. — (8) Cit. Clem. 2. — (9) Trid. sess. 23, c. 18, de ref.

520. Ex regula generali Episcopus nequit unire beneficia reservata, vel affecta beneficiis liberæ collationis: nam hoc modo posset reservationis, et affectionis vim eludere. Sed hæc regula limitatur ex præscripto Tridentini in tribus casibus jam citatis, in unione scilicet favore parochiæ vere pauperis (1), favore singularum præbendarum nimis tenuium in Ecclesiis cathedralibus et Collegiatis insignibus (2), et favore seminarii, quando aliter ex defectu reditnum deberet perire (3). In his casibus Episcopus potest beneficia quomodocumque reservata, vel affecta, etiam in perpetuum, et ante eorum vacationem unire, absque tamen divini cultus, et actualis possessoris præjudicio, ut ex citatis Tridentini locis manifeste eruitur (4).

(1) In his unionibus ex veriore sententia debet intervenire Capituli consensus, vel saltem supervenire, cujus defectum S. Congregatio Concilii supplet.— (2) Hoc modo uniri possunt dictis ecclesiis *aliquot*, et non multa, *beneficia simplicia*, et non duplicia, neque parochialia, Riganti ad cit. reg 13, n. 145. — (3) Quoad uniones seminario jam erecto faciendas plura observanda sunt. 1° Non potest procedi ad unionem beneficiorum seminario, nisi prius pro eodem detracta fuerit portio, vel taxa ex omnibus beneficiis juxta præscriptum Tridentini in cit. cap. 18, sess. 23. Riganti loc cit. n. 54. 2° Non possunt seminario uniri nisi beneficia simplicia, præstimonia et præstimoniales pensiones in parvo numero: nam Tridentinum exprimit *beneficia aliquot simplicia*. 3° Non possunt seminario uniri ea beneficia, quæ obtinent familiares Papæ, Cardinalium, et Officiales S. Sedis. Riganti loc. cit. n. 108. 4° Tales uniones pro validitate postulant consilium quatuor seminarii Deputatorum. Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 7, n. 2. 5° Pro Italia, insulisque adjacentibus quantitas taxæ consistit in summa scutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii, quæ si necessitas urgeat augeri potest tantum ad quinque pro centenario. Bul. *Creditæ nobis* Benedicti XIII, et Riganti

loc. cit. n. 126. 6° Si hæ conditiones non observentur, uniones in beneficiis S. Sedi reservatis, vel affectis ab Episcopo factæ seminario nullæ sunt, et irritæ. Id. ib. — (4) Hæc quoad Italiam, insulasque adjacentes applicari debent etiam præbendis canonici Pœnitentiarii et Theologi. Nam Benedictus XIII in bul. *Pastoralis* indulsit, ut duæ citatæ præbendæ erigi per Episcopum possent in beneficiis quomodocumque affectis et reservatis, et si reditum non habeant scutorum sexaginta, possent usque ad hanc summam conficiendam iisdem præbendis uniri alia beneficia etiam reservata, vel affecta. Riganti loc. cit. n. 163.

521. Nihilominus hæc beneficia uniendi potestas interdum Episcopo ab ipsa lege interdicitur; et sic nequit unire parochiam monasterio, aut dignitati, aut Capitulo, aut collegio, aut alteri simili loco, quia prima consideratio debet esse de bono spirituali animarum, quod magis in parochia, quam in dictis locis continetur (1). Nequit unire beneficia libera beneficiis jurispatronatus, ne libertas servituti subjiciatur (2). Nequit unire beneficia unius diœcesis cum beneficiis alterius diœcesis (3). Nequit beneficia unire mensæ suæ, aut mensæ capitulari ad suspicionem propulsandam lucri quærendi pro se, et pro suis (4). Nequit denique unire beneficia ad alicujus vitam, quia similis unio utilitatem personæ potius quam bonum Ecclesiæ videretur respicere (5).

(1) Trid. sess. 24, c. 13, de ref. — (2) Id. sess. 25, c. 9, de ref. — (3) Id. sess. 14, c. 9, de ref. — (4) Cit. Clem. 2, de reb. Eccl. non alien. — (5) Pirhing de præb. n. 105.

522. Beneficia semel unita possunt iterum disjungi, et in pristinum statum restitui, cessante causa, ob quam fuerunt unita, et adhibitis iisdem solemnitatibus. Disjunctio fieri potest ab episcopo in beneficiis, quæ a se, vel ab antecessoribus suis unita fuerunt, immo etiam ex Doctorum sententia in beneficiis unitis a Papa, quia Pontifex non præsumitur per unionem a se factam voluisse auferre Episcopo potestatem ex justa causa rem restituendi in pristinum, maxime cum hoc cedat in majorem Ecclesiæ utilitatem. Facta demum unionis revocatione, beneficia primam eorum naturam, et jura assumunt, nisi aliter

in actu revocationis decernatur, sed salvum manet actualis possessoris jus, cui præjudicium afferri non debet (1).

(1) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 86.

523. Personalis beneficiorum unio tunc accidit, cum clericus ex vero titulo plura simul retinet beneficia, quin realiter eadem sint unita. Sacri canones magnopere hunc damnant abusum, qui novam polygamiæ spiritualis, et sordidissimam avaritiæ specimen exhibet, quique ipsi rationi evidenter repugnat. Beneficium profecto datur propter officium; hinc ut quis est plurium officiorum incapax, ita et plurium beneficiorum. Insuper beneficium datur pro sustentatione, quam ubi quis obtinet ex uno, ex alio beneficio quærere amplius nequit. At imminutis beneficiorum fructibus necesse fuit quandoque ad clericum alendum simultaneam plurium beneficiorum retentionem permittere, modo ipsa beneficia inter se compatibilia essent.

524. Incompatibilia dicuntur beneficia ob triplicem rationem, nimirum ratione residentiæ, ad quam beneficiatus tenetur, ratione uniformitatis et consistentiæ sub eodem tecto, et ratione sufficientiæ unius ad suppeditanda pro clerici sustentatione necessaria. Ob primam rationem incompatibilia sunt duo beneficia residentialia (1), ut sunt duo episcopatus, duæ Abbatiæ, duo canonicatus diversarum ecclesiarum, duæ parochiæ, et duo quælibet beneficia etiam simplicia in diversis ecclesiis existentia, quæ vel fundationis lege, vel statuto, vel consuetudine personalem residentiam requirunt, quia nemo potest in duabus ecclesiis residere (2). Ob secundam rationem incompatibilia sunt duo beneficia uniformia, vel similia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia consistentia (3). Et plane uniformia beneficia appellantur, quæ habent eumdem finem, idemque officium eodem tempore peragendum, ut sunt in eadem ecclesia duo canonicatus, duo personatus, duæque capellaniæ. Attamen si istæ etiam sub eodem tecto existentes diversum habeant onus, si una ex. gr. importet onus bis celebrandi in uno altari infra hebdomadam, et altera bis similiter in alio, non sunt hac de causa incompatibiles (4). Ob tertiam ratio-

nem sunt incompatibilia illa beneficia, quorum unum sufficit ad honestam clerici sustentationem : equidem non dantur beneficia ad fovendam ambitionem, sive avaritiam, sed ad vitam sine temporalium cura traducendam (5). Hinc quando unum ad vitam non sufficit potest Episcopus, secundum eidem clerico conferre; sed tertium numquam, etiamsi duo jam collata necessaria pro honesta sustentatione non præbeant : nam similis collatio unionem ad vitam continet, quæ, ut supra diximus, episcopo interdicitur; et aliunde specialis potestas Episcopo a Tridentino concessa ultra secundum beneficium non extenditur (6).

(1) Hinc non sunt incompatibilia ex hoc capite duo beneficia, quorum unum habet residentiam, qua alterum caret. Riganti ad reg. 1, § 8, n. 9. — (2) Trid. Sess. 24, c. 17, de ref. — (3) Ratio est, quia Ecclesia privatur opera unius ministri, et quia beneficiorum pluralitas in eadem Ecclesia invidiam generat inter fratres — (4) Reiffenstuel, de præb. n. 235. Nihilominus duæ hujusmodi capellaniæ obtineri nequeunt sine Episcopi dispensatione, quia incongruum videtur, quempiam duobus frui beneficiis in eadem Ecclesia. Hæc autem Episcopi dispensatio debet esse expressa, nam tacita non sufficit; debet concedi ex justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, vel maximæ prerogativæ meritorum ; debet insuper primum beneficium esse insufficiens ad honestam clerici sustentationem : nam si esset sufficiens non posset amplius conferri secundum beneficium. Riganti, loc. cit. n. 106. — (5) Non est in jure determinatus reditus ad honestam clerici sustentationem necessarius; ideoque determinandus est ab æquo, et prudenti Episcopi arbitrio juxta morem regionis, qualitatem locorum, et temporum, ac conditionem personarum. Taxa a synodo, vel a consuetudine pro patrimonio clericorum constituta in hac re non habetur pro regula. Cum tamen quæritur, an beneficium sustentationem honestam tribuat, ab eo deducenda sunt onera missarum, manutentionis altaris, procurationis, taxæ seminarii, synodatici, et alia hujusmodi, nec ex veriori sententia possunt in calculum adduci reditus patrimoniales beneficiati. Id. ib. n. 91. — (6) Trid. sess. 24, c. 17, de ref. Riganti ib. § 8, n. 69 et seqq. Non desunt tamen qui autumant, posse Episcopum in hoc casu tertium, et quartum uni beneficium conferre, quia qui servit altari de altare vivere debet. Sed horum sententia est rejicienda, quia obstat dispositio Gregorii X in cap. 3, § fin. de offic. in ord. in 6, et Tridentini loc. cit. quæ confirmantur a decisionibus S. Congregationis Concilii Tridentini, uti communiter Doctores tradunt. Solus idcirco Papa super hac incompatibilitate trium, aut plurium beneficiorum potest dispensare in sensu cap. 17, c. 1, q. 7. Riganti loc. cit. n. 32 et 40;

item super incompatibilitate ratione residentiæ. Cap. 28, de præb. Sed in praxi numquam dispensare solet, ut quis retineat duos canonicatus in diversis ecclesiis, duas ecclesias parochiales, vel canonicatum cum parochia ; sed cum hoc modo dispensat, residentiam in parochia injungit, ut sancivit S. Pius in bulla relata a Riganti loc. cit. n. 44. Justa ratione summus Pontifex super beneficiorum incompatibilitate dispensat iis in regionibus, in quibus hæreses dominantur, et boni ministri deficiunt, quia ibi probati ministri requiruntur, ubi ministri diaboli turbas ad omnem errorem excitant. (Id. ib. n. 53.) Similiter, et a fortiori solus Papa dispensat super incompatibilitate beneficiorum ratione consistentiæ sub eodem tecto, et conformitatis. Id. ib. n. 126.

525. Ex pluribus constitutionibus pœnalibus contra beneficia incompatibilia retinentes diversis temporibus ab Ecclesia promulgatis (1) hæc generalis erui potest conclusio, nimirum, qui recipit secundum beneficium eum primo quomodocumque incompatibile, post adeptam secundi actualem, plenam, et pacificam possessionem, utroque privatur ipso jure; ac primum regulariter per Episcopum conferendum est, dum secundum manet S. Sedi reservatum, quia in secundi tantum assecutione beneficiatus in culpa fuit, crimenque patravit (2). Cum tamen Episcopus primum beneficium cuipiam contulerit, hic in beneficii possessionem immitti nequit, nisi citato et audito antiquo possessore, qui posset aliquid præjudiciale afferre, uti foret Pontificis dispensatio, aut nullitas tituli, cui pro secundo beneficio innititur, quia nemo inauditus, et sine causæ cognitione sua possessione, vel quasi spoliari potest (3). Pacifica vero possessio secundi beneficii ex parte temerarii detentoris tunc apprehensa dicitur, cum ipse ex legitimo titulo in eamdem per habentem potestatem immissus fuit, in eaque per duorum mensium spatium sine molestia, et controversia juris, vel facti, in judicio, vel extra, tutus mansit. Tempus duorum mensium ideo conceditur, ut beneficiatus queat experiri, an sit sibi imposterum secundi beneficii stabilis et firma futura possessio (4).

(1) Riganti loc. cit. nº 130. — (2) Trid. sess. 7, c. 4, de ref. et sess. 24, c. 17. Verba conclusionis sunt accurate observanda : diximus *post adeptam* secundi beneficii possessionem ; nam ante adeptam possessionem, etiamsi quis fuerit de beneficio provisus, pœna privationis non incurritur, quia, ut ait Fagnanus, incompatibilitas non

consideratur in acquirendo, sed in retinendo ; diximus *actualem* ad possessionem corporalem indicandam ; diximus *plenam*, quia hæc possessio debet esse conjuncta cum perceptione fructuum, vel saltem majoris eorum partis, cap. 26, de præb. in 6, et ib. Glos. verbo *Vacare* ; diximus denique *pacificam*, quatenus a molestiis de jure, et de facto libera esse debet, aliter beneficium dici non posset omnino adeptum. Reiffenstuel de præb. n° 230. — (3) Cap. 28, de præb. in 6. — (4) Hoc de jure communi observandum foret etiam in promotionibus Episcoporum ; sed ex stylo Curiæ non servatur, quia Papa in promotione Episcopi in Consistorio facta solet decernere beneficium promoti ab ipsa die promotionis vacare.

526. Ita se res habet de rigore juris; interim quandoque aliter obtinet ex dispensatione, aut privilegio a summo Pontifice concesso; at quod fit per privilegium, fieri similiter nequit per consuetudinem etiam immemorialem. Hinc non possumus in genere eorum Doctorum opinionem probare, qui ex consuetudine licitam admittunt plurium beneficiorum incompatibilium retentionem, etiamsi simplicia sint; neque possumus admittere, quod ait Devoti, nunc scilicet ex consuetudine ubique recepta neminem in foro controversiam pati, quod duo possideat beneficia incompatibilia; etiamsi unum satis præbeat ad vitam traducendam, modo utrumque residentiam non requirat (1). Nam similis consuetudo, paucis exceptis casibus, vera est corruptela, et intolerabilis abusus, quo nemo potest suam tutari conscientiam, licet casu, aut ob depravatos mores, nullam in foro patiatur controversiam : siquidem sacris canonibus, et rationi repugnat, fructibus non necessariis secundi beneficii clericum frui, quibus alter indiget et indigne privatur (2).

(1) Instit. eccles. de præb. § 17. — (2) Reiffenstuel de præbend n° 274, et Riganti loc. cit. n. 28, 72 et 126.

TITULUS XX.

DE BENEFICIORUM DIVISIONE, ET DISMEMBRATIONE.

Summarium : 527. Quando fiat divisio, et quando dismembratio ? — 528. Divisio generaliter damnatur, sed ex rationabili causa fieri potest. — 529. Idem de dismembratione dicendum. — 530. Quid sit pensio ? — 531. Quomodo imponatur, et quibus beneficiis imponi nequeat ? — 532. An sit beneficium ecclesiasticum ? — 533. Quæ sint justæ pensionum causæ ? — 534. Quis possit pensiones constituere ?— 535. Ad pensionis impositionem requiritur consensus beneficiati. — 536. Pensio constituta nec cedi, nec alienari potest. — 537. Quot modis pensio extinguatur ? — 538. Quod sit vicaria, et quomodo dividatur ? — 539. Quis possit vicariam constituere ? — 540. Quid sit coadjutoria, et quomodo a vicaria differat ? — 541. Quis possit coadjutoriam dare ? — 542. Quæ sint jura, et onera coadjutoris ? — 543. Commenda quid significet, et quo jure regatur ?

527. Cum regula juris canonici sit, beneficia esse sine diminutione conferenda, ut Gregorius IX significavit in rubrica tituli duodecimi libri tertii Decretalium, sequitur, ea nec dividi, nec dismembrari posse, sed integra in statu, in quo reperiuntur, esse conferenda. Divisio fit, ut patet per se, cum unum beneficium in duo, vel plura scinditur, ut si ex reditibus unius canonicatus duo constituantur, vel ex territorio unius parochiæ duæ efformentur. Dismembratio vero fit, cum aliqua pars redituum ex beneficio, vel territorii pars ex parochia subtrahatur, et alteri clerico, vel parochiæ assignetur. Ex quibus manifeste liquet, divisionem et dismembrationem habere locum potius in præbenda, quam in ipso beneficio, cum hoc salvum maneat cum suo Rectore, juribus, et privilegiis, dum tantum partem fructuum, vel territorii amittit (1).

(1) Præbendæ nomine illa intelligitur fructuum sive redituum complexio, quam ratione divini officii in aliqua ecclesia peragendi beneficiatus percipit.

528. Licet vero ex regula generali beneficia dividi nequeant, quia omne beneficium tum majus, tum minus ex sua natura unum corpus efficit, et unum tantum requirit sacerdotem, ne in uno corpore plura sint capita (1) ; nihilominus ex rationabili causa tum Papa potest episcopatus, et beneficia majora dividere, tum episcopus beneficia minora, et parochias (2). Ratio est, quia quandoque tales occurrunt circumstantiæ, ut bono Ecclesiæ et animarum valde expediat, ex uno pingui beneficio, vel ex una ampla parochia, duo beneficia, vel duas parochias efformare, quæ proprium habeant corpus, et sacerdotem (3). His in casibus regula generalis debet limitationem pati. Rationabilis autem causa ea dicitur, quæ necessitatem, aut evidentem utilitatem affert (4).

(1) Cap. 8 de præb. — (2) Cap. 26, eod. et Gloss. in cit. cap. 8, verbo *Divisionem*, et Trid. sess. 21, c. 4, de ref. — (3) Revera Alexander III, qui prohibuit beneficiorum divisionem in cit. cap. 8, de præb. divisionem parochiæ probavit in cap. 3 de eccl. ædif. — (4) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 87.

529. Idem judicium ferendum est de dismembratione, quæ licet in se prohibita sit, ex justis tamen causis, et legitima auctoritate licita fieri potest (1). Hic non loquimur de ea dismembratione, quæ ipso jure fit, ut est onera beneficio annexa solvere, annatas, synodaticum, subsidium charitativum, taxam pro seminario, aliaque similia subministrare; sed tantum de dismembratione, quæ ex facto hominis contingit, ut sunt pensiones, vicariæ, coadjutoriæ, et commendæ.

(1) Ad legitimam efficiendam dismembrationem illæ requiruntur solemnitates, quæ necessariæ sunt in unione, et in rerum ecclesiasticarum alienatione.

530. Pensio ecclesiastica *est certa pars fructuum ex alieno beneficio decerpta, et alteri personæ ex legitima causa, et auctoritate assignata.* Ab antiquis temporibus pensionum usus invectus est, ut hoc medio clericis pauperibus alimenta darentur, qui Ecclesiæ deservire non poterant : unde in titulum eleemosynæ videntur primitus institutæ ; sed labentibus in

deteriora temporibus usus invaluit, ut pensiones pro clericis divitibus, et etiam pro laicis sæpe cum nimio beneficiatorum, ecclesiarumque præjudicio constituerentur, cui malo summi Pontifices et Concilia optimis Sanctionibus occurrerunt (1).

(1) Selvaggio Inst. Can. l. 2, t. 22.

531. Hæc pensio vel imponitur personæ clerici beneficiati, et ad eam præstandam ejus successor non tenetur (1); vel ipsi beneficio imponitur, et ad eam præstandam tenetur nedum successor, sed etiam pro tempore vacationis beneficii œconomus (2). Insuper pensio vel statuitur ad tempus, ex. gr. ad vitam pensionarii, quo casu est realis, et personalis mixta; realis, quatenus debet præstari a successore in beneficio ipsi pensionario viventi, et personalis, quatenus extinguitur cum pensionarii persona: vel statuitur in perpetuum, et tunc induit naturam servitutis, qua onus in uno beneficio constituitur favore alterius, ut in censu (3). In certa parte, vel quantitate pensio constituenda est, ex. gr. in centum, in quinquaginta, non vero in quota, ex. gr. in dimidia, in tertia parte fructuum quia si hoc fieret, ipsum beneficium scinderetur, et idea pensionis evanesceret (4). Nil tamen prohibet, quominus hæc certa quantitas in determinata tritici, vini, oleive mensura, vel in pecuniæ summa statuatur, modo adeo modica sit, ut per beneficiatum absquæ sustentationis, debitæ hospitalitatis, pauperum, Ecclesiæque suæ detrimento facile queat sustineri. Propterea per Tridentinum statutum fuit, ne possent pensiones imponi Ecclesiis cathedralibus, quæ ex fructibus certis salvos non haberent mille ducatos, et parochialibus, quæ non haberent salvos saltem centum (5). Ex Curiæ Romanæ praxi pensiones nullo in casu queunt tertiam aut ad summum dimidiam fructuum partem excedere, non computatis distributionibus quotidianis, quæ nomine fructuum in hoc casu non veniunt; aliter pensiones forent immoderatæ (6).

(1) Hujus pensionis exemplum habemus in cap. 21 de præb. — (2) Pirhing. ut eccl. ben. sine dim. conf. n. 20. Illud notamus quod pensio constituta a Papa censetur realis et imposita beneficio nisi

aliud exprimat : dum pensio constituta ab Episcopo personalis, vel imposita personæ præsumitur. — (3) Reiffenstuel eod. n. 8. Census enim, ut hic sumitur, est annua pensio, quæ ex reditibus, seu proventibus ecclesiæ, vel beneficii legitima auctoritate, et justa causa alteri solvitur. Si census in fundatione beneficii, aut in consecratione ecclesiæ impositus sit dicitur *antiquus* ; si vero postea sit impositus, dicitur *novus*, qui difficilius constituitur ; nam in jure est expresse prohibitus, nedum in se, sed etiam in augumento census antiqui. Cap. 7, de censib. — (4) Resignatio beneficii cum reservatione fructuum est in jure prohibita ; et a S. Sede in Italia, et in Gallia numquam admittitur, nisi favore Cardinalium. Riganti ad reg. 45 Cancel. § 2, n. 20. — (5) Sess. 24, c. 13, de ref. Immo Innocentius III, in bul. *Volendo*, et Benedictus XIII, in bul. *Quanta*, prohibet omnino, ne parochiis pensiones etiam causa resignationis imponi queant; quod eo fine editum est, ut parochi possent commodius suarum ovium necessitatibus consulere. — (6) Fagnanus in cap. *Nisi essent* de præb. n. 27.

532. Ex dictis pensio ex alieno beneficio decerpitur; ideoque ipsa verum beneficium non est, nisi in titulum beneficii ecclesiastici alicui conferatur : nihilominus in materia favorabili pensio clericalis nomine beneficii persæpe venit (1). Ex dictis similiter pensio alicui personæ assignatur, id est extraneo alicui Clerico, aut etiam quandoque laico, ex quo oritur discrimen inter pensionem *clericalem*, quæ Clerico saltem prima tonsura insignito tribuitur, et *laicalem*, quæ propter aliquod temporale et pium ministerium alicui laico conceditur (2). Prima Clerico pensionario onus imponit quotidie recitandi officium B. Mariæ V., si ad recitationem Breviarii nondum teneatur; et ubi recitationem dicti officii omittat, pensionis privatione punitur eodem modo, quo beneficiatus fructuum privatione puniretur, si Breviarii recitationem omittat (3).

(1) Reiffenstuel de præb. n. 90. — (2) Pensiones laicis tantum a Papa concedi possunt. Bul. *Sacramentum* S. Pii V. — (3) Bul. *Ex proximo* S. Pii V. Præterea pensio imponit Clerico novam obligationem deferendi habitum ecclesiasticum. Bul. *Cum Sacrosanctum* Sixti V.

533. Multæ sunt causæ, quæ justam præbent pensionis constitutionem ex communi Doctorum sententia. Prima est Cle-

rici pensionandi paupertas, ad quam sublevandam principaliter pensiones approbatæ fuere; si vero Clerico pauperi pensio constituatur, ut studiis operam dare queat, specialiter *præstimonium* vocatur, quod ad tempus concessum, ex. gr. usque ad finem studiorum, aut ad ordinis presbyteratus consecutionem, veri beneficii rationem non habet (1). Secunda est infirmitas, vel senectus, ob quam beneficiatus suo renunciat beneficio. Tertia est bonum pacis, ob quam beneficium inter duos litigiosum uni adjudicatur quoad titulum, reservata alteri pensione. Quarta est permutatio, aut alia ratio necessitatis, aut evidentis utilitatis Ecclesiæ (2). In Gallia tamen admittuntur tantum hæ causæ, nimirum: causa transactionis pro bono pacis, causa permutationis ad coæquandos reditus beneficiorum, et causa resignationis, ne resignans nimium detrimentum patiatur (3). Cæterum harum causarum examen debet esse rigorosum, et magni interest (4).

(1) Layman l. 4, t. 2, n. 6. — (2) Riganti ad reg. 24, § 5, n. 156. — (3) Id. ad reg. 45, § 2, n. 152. — (4) Hinc Card. Toletus ita aiebat: Qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit. De inst, sac. l. 5, c. 83.

534. Pensionum in beneficiis constituendarum auctoritas in summo Pontifice residet, a quo omnia moderantur beneficia, prout charitas, et æquitas postulat. Sed de Episcopo magna sæpe sententiarum varietate dubitatur, quatenus in pensionum negotio ejus auctoritatis limites extendantur. Qua in re sequentes nobis vere videntur conclusiones. Prima, nequit Episcopus pensionem perpetuam beneficio ab antiquis fundato imponere, aut in fundatione impositam augere: nam similis pensio censum repræsentat; at novi census impositio, veterisque augmentum Episcopo manifeste interdicitur (1); insuper similis pensio realis, quia beneficio imponitur, ipsum beneficium perpetuo scinderet, quod exceptis casibus in titulo præcedenti recensitis, Episcopo iterum interdicitur (2); his adde et illud, quod beneficia sunt sine diminutione conferenda (3). Secunda, nequit episcopus quocumque modo pensionem imponere in

beneficiis parochialibus ; nam satis aperta est citata dispositio Benedicti XIII (4). Tertia, potest episcopus de jure ex juxta causa, beneficiato consentienti imponere pensionem moderatam ad ejus vitam duraturam (5), quæ personalis foret, non realis : dicimus de jure, nam in praxi solus Papa ex quacumque causa pensiones imponit, sive quia Episcopi potestate sibi de jure competenti non utuntur, sive quia stylus Curiæ omnes pensiones S. Sedi reservatas habet (6).

(1) Cap. 7, de censib. — (2) Cap. 8 de præb. — (3) Tit. Ut ben. sin. dim. conf. — (4) Bul. *Quanta*. — (5) Hujus conclusionis fundamentum est in cap. *Nisi essent* 21, de præb. in quo Alexander III non reprobat pensionem per judices commissarios impositam cuidam beneficiato, et ad ejus vitam duraturam ; at quod potest judex commissarius, potest a fortiori judex ordinarius, nempe Episcopus, et ita inter priscos tenet rigidus Fagnanus in cit. cap. cum caterva Doctorum, quos ipse citat, et inter recentiores sentit Berardi, quia olim pensiones imponere poterant Ordinarii, quibus in hoc non apparet adempta auctoritas. — (6) Fagnanus in cit. cap. Riganti loc. cit. n. 155, et ad reg. 40, n. 60.

535. Ad pensionem legitime constituendam requiritur consensus beneficiati, sine quo summus Pontifex declarat, se nolle pensionem constituere (1). Hoc obtinet, si beneficium sit plenum ; nam si beneficium esset vacans, defensor ipsi beneficio dandus videretur, quia pensionis reservatio quamdam alienationis speciem continet, quæ fieri non debet, nisi de consensu Capituli, et dato beneficio vacanti apto defensore (2).

(1) Reg. 45 Cancel. — (2) Pirhing, Ut ben. sin. dim. conf. n. 15.

536. Jus ad pensionem ecclesiasticam acquisitum cedi, aut alienari absque S. Sedis auctoritate non potest. Hoc quidem est jus in re, quæ spirituali conjungitur, cujus alienatio propter temporale pretium simoniam redolet. Nihilominus olim Doctores permittebant alienationem commoditatis percipiendi pensionem etiam absque consensu illius, qui debebat pensionem salvere, et absque Apostolico beneplacito, quia existimabant dictam commoditatem nil habere rei spiritualis, aut spirituali adnexæ (1). At nunc etiam hoc vetitum declaratum fuit

a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in suo decreto a Gregorio XVI probato, in quo decernitur, pactiones, et contractus super alienationibus pensionum esse illicitos, etiamsi *unica commoditas pensionis percipiendæ in alium transferatur;* et *nisi habito prius ea de re speciali Apostolico beneplacito*, licitos fieri non posse (2). Prius tamen Benedictus XIV, jam definierat, non licere pacta inter resignantem, et resignatarium super redemptione pensionis constitutæ per unam, vel plures anticipatas solutiones (3) ; quemadmodum similiter definierat, non licere vendere, aut cedere fructus beneficiorum ad vitam, vel ad longum tempus, recepta pecunia ad eam summam, quæ probabili vitæ cursui respondeat (4).

(1) Riganti ad reg. 25, § 2, n. 32. — (2) Hoc decretum editum fuit 17 martii 1840 et refertur a Card. Soglia loc. cit. 109. — (3) Bul. *In sublimi*, in qua resignans, et resignatarius ad possidendum beneficium, et pensionem redduntur inhabiles. — (4) Bul. *Universalis Ecclesiæ*. Has fructuum beneficialium cessiones et alienationes Pontifex damnat, quia dedecus afferunt Ecclesiæ, quia tendunt ad malorum clericorum explendas cupiditates, quia clericos postea ad ægestatem reducunt, et quia decursu temporis pauperes necessariis fraudantur eleemosynis, dum reditus, qui erant singulis annis, et pro tota vita, brevi consumuntur. Ideo Pontifex has cessiones irritat, et contrahentes coercet pœna excommunicationis prolata in male bona ecclesiastica alienantes.

537. Demum ecclesiastica pensio pluribus modis extinguitur, nempe : per mortem illius, cui fuit concessa, per matrimonium ab eo contractum, per professionem religiosam ab eo emissam, per promotionem ad episcopatum (1), per assecutionem beneficii pensione gravati (2), per renunciationem pensioni a pensionario factam (3), per dimissionem habitus clericalis, et per crimen, quod beneficii privatione punitur.

(1) Quidam hoc extendunt ad Abbatias, nisi adsit summi Pontificis dispensatio. — (2) Hoc casu titulus pensionis cum titulo beneficii confunditur, ut cum usufructus cum proprietate consolidatur. — (3) Neque requiritur beneplacitum Pontificis, aut superioris, quod quidem requiritur in renunciatione beneficiorum : nam longe diversa est ratio in renunciatione pensionis et beneficii ; per hanc quidem beneficium fit vacans, et in ejus vacantia Ecclesia pati potest detrimentum ; et ideo renunciatio non valet, nisi fuerit acceptata. E con-

verso per renunciationem pensioni beneficium remanet plenum, et fit omnino liberum, et damnum potest esse tantum in renunciante. Exceptio tamen fit in pensione, quam clericus habet in titulum suæ ordinationis : huic enim renunciare non potest, nisi alium obtineat titulum ordinationis ; aliter fieret irregularis.

538. Vicaria ecclesiastica in beneficialibus *est jus exercendi functiones alterius beneficio inhærentes cum congrua fructuum assignatione.* Differt proinde vicaria a pensione : nam in illa Vicarius habet temporale fructuum pro officio spirituali; in hac vero pensionarius absque spirituali plerumque ministerio sentit temporalem fructuum utilitatem: et in illa respicitur principaliter ad utilitatem Ecclesiæ, in hac vero ad utilitatem pensionarii. Dividitur vicaria in *temporalem*, cum scilicet Vicarius est amovibilis, aut ad tempus deputatur, quæ rationem beneficii non habet ; et in *perpetuam,* cum Vicarius ad vitam constituitur, quæ quidem veram beneficii rationem habet, sicut Innocentius III definivit (1).

(1) Cap. 27 de rescript. et Clem. *Quæ* de off. vicar.

539. Vicariam temporalem potest Episcopus concedere in parochia vacante (1), in absentia parochi ex justa causa (2), in auxilium parochi (3), et in ecclesia parochiali alicui Capitulo, aut collegio unita, in qua tamen, si maluerit, et nulla sit contraria consuetudo, etiam vicariam perpetuam potest erigere (4); sicut potest vicariam perpetuam erigere in ecclesia filiali alicujus valde amplæ parochiæ (5). Sed in perpetua vicaria illud est adnotandum, quod Vicarius perpetuus juxta formam canonicam, vel libere, vel ad præsentationem eorum, ad quos pertinet, in vicaria, tamquam in vero beneficio, est instituendus, et quod in ecclesia parochiali institutus curæ actualis exercitium habet, dum penes Rectorem principalem remanet sola cura habitualis, quæ jurisdictionem in foro pœnitentiali, et spirituali non servat, licet servet jus externæ defensionis jurium parochialium, et fori contentiosi (6).

(1) Hoc casu vicarius appellari solet *Œconomus,* cui assignanda est congrua arbitrio Episcopi taxanda ex fructibus parochiæ. Trid

sess. 24, c. 18, de ref.; sed episcopus potest eum etiam sine causa a vicaria revocare. — (2) Nominatio Vicarii in hoc casu regulariter ad parochum spectat; sed postea Vicarius a parocho nominatus examinandus, et approbandus est ab Episcopo. Ita sane S. Congregatio Concilii explicavit decretum Tridentini in sess. 23, c. 1, de ref. Giraldus ad cit. cap.; si vero parochus in hoc negligens sit, Episcopus libere Vicarium deputat. Hic Vicarius, ut alius supra nominatus, jus habet ad congruam portionem ex fructibus beneficii ab Episcopo taxandam, *ratione habita*, ut ait Benedictus XIII, *redituum et emolumentorum ecclesiæ parochialis.... nec non inspectis conditionibus loci, numeri, animarum, qualitate laboris, et quantitate impensarum, quam commissi officii necessitas postulaverit.* Bul. *In supremo militantis* § XI. — (3) Quando parochia tanto constat animarum numero, ut unus nequeat omnes pascere, ex Tridentini præscripto Episcopus etiam tamquam Apostolicæ sedis delegatus debet parochum cogere, ut sibi tot alios adjungat Vicarios, quot sufficiant ad populum pascendum, sess. 21, c. 4, de ref. Quoad nominationem vero, approbationem, et congruam ea observanda sunt, quæ in nota præcedenti attulimus. — (4) Trid. sess. 7, c. 7, de ref. Congrua pro his Vicariis constituenda est ab Episcopo, quæ regulariter in tertia omnium redituum et emolumentorum parte constituitur. Bul. *Cum super* Benedicti XIV. Nominatio autem horum Vicariorum Capitulis ecclesiarum competere solet. — (5) Cap. 3 de eccl. ædif. — (6) Reiffenstuel de offic. vic. n. 40 et seqq.

540. Coadjutoria vero *est jus adjuvandi beneficiatum in regimine beneficii cum congrua fructuum assignatione.* Ex comparatione hujus, atque præcedentis definitionis clare patet, hæc duo esse valde similia, si non sunt synonyma: nam utraque, tam vicaria, quam coadjutoria, onus affert gerendi vices alterius in beneficio cum jure ad partem fructuum, et utraque in temporalem, et perpetuam dividitur; et specialiter coadjutoria perpetua dicitur illa, quæ cuipiam cum futura post mortem coadjuti in beneficio successione confertur. Discrimen vero in eo potissimum latet, quod, vivente Rectore principali, potiora sunt Vicarii, quam Coadjutoris jura, cum ille detur, ut Rectorem principalem etiam agere potentem suppleat, hic vero ut Rectorem senio, morbo, aut alia causa agere impotentem adjuvet: unde Vicarius perpetuus, invito Rectore, licite agit; non vero Coadjutor, Rectore rationabiliter invito, qui potest aliqua Coadjutori inhibere, ut ea peragat per se (1).

(1) Reiffenstuel de cler. ægrot. n. 51.

541. Coadjutoria perpetua cum futura in beneficio successione dari tantum potest a summo Pontifice ex causa urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis cognita et probata (1) : nam hæc coadjutoria continet gratiam expectativam ad beneficium postea vacans, quæ a jure reprobatur (2) ; et insuper imaginem refert hæreditariæ successionis in beneficio, quæ nedum a jure scripto (3), sed et ab ipsa ratione damnatur, cum votum habere queat captandæ mortis ipsius beneficiati. Item coadjutoria etiam temporalis in episcopatibus a solo Pontifice summo potest concedi, quia hæc una reputatur ex majoribus Episcoporum causis S. Sedi reservatis. Hinc nec Archiepiscopus, nec Primas, nec Patriarcha, nec etiam Pontificis Legatus sine speciali commissione Episcopo potest Coadjutorem assignare, Coadjutorem vero temporalem in beneficiis minoribus potest quandoque dare etiam Episcopus. Cum enim ad ipsum spectet in talibus beneficiis institutio, ad ipsum quoque spectare debet ex legitima causa Coadjutoris datio. Hinc Episcopus potest temporalem Coadjutorem dare parocho illiterato et imperito, modo sit honestæ vitæ (4), parocho leproso (5), clerico infirmo (6), amenti, seni (7), et linguæ usu destituto (8). Hæc profecto fiunt nedum in utilitatem beneficiati, ne cogatur beneficium dimittere, sed maxime in utilitatem Ecclesiæ, ne ob impotentiam pastoris damnum in spiritualibus, aut temporalibus patiatur.

(1) Trid, sess. 25, c. 7, de ref. — (2) Trid. sess. 24, c. 19, de ref. — (3) Id. sess. 25, c. 7, de ref. Nihilominus sæpissime summi Pontifices hac facultate coadjutorias concedendi usi sunt, quia ita bonum Ecclesiæ expetebat, et quia in decretis Concilii Tridentini salva semper est summi Pontificis auctoritas. Trid. sess. 25, c. 21, de ref. Benedictus XIV de Synod. l. 13, c. 10, n. 27. — (4) Trid. sess. 21, c. 6, de ref. Ad parochi imperitiam experiendam potest episcopus eum ad novum examen vocare, eumque iterum scrutari, tam in diœcesis visitatione, quam extra visitationem, quando vehementia habet imperitiæ indicia, etiamsi parochus esset regularis, vel ab ipso Episcopo institutus, ut declaravit S. Congregatio Concilii, teste Benedicto XIV, Inst. 9, n. 16. — (5) Cap. 3 et 4, de cler. ægrot. vel debil. — (6) Ut tamen coadjutor ex hac causa dari queat, infirmitas debet esse incurabilis, et perpetua, quæ ministerii exercitium impediat ; si enim esset tantum temporalis, et curabilis, beneficiatus posset sibi eligere Vicarium, ut supra diximus, et coadjutorem declinare. Reiffenstuel

de cler. ægrot. n. 18 et 31. — (7) Causa senectutis coadjutor dari potest, quando senectus ministerii exercitium impedit; alias senis coadjutorem acceptare non tenetur. — (8) Cap. 6, de cler. ægrot. Idem dicendum de eo, qui oculis captus est, vel gravi paralysi laborat.

542. Is a Papa, et ab Episcopo Coadjutor constituendus est, qui necessariis pro beneficio prædictus sit qualitatibus. Constitutus vero generaliter, et in perpetuum debet tam coadjuti, quam Ecclesiæ, et fidelium curam gerere (1); et potest ea omnia, quæ ad coadjutum spectant, facere, nisi hic, cum valet, aliquid a se gerendum sibi reservet (2). Ideoque residentiæ obligatio in Coadjuto perseverat etiam post assumptum Coadjutorem, qui similiter ad residentiam tenetur. Constitutus autem ad tempus, licet stricte loquendo non sit residentiæ obligatus, quia beneficium non habet; tamen beneficio adsistere tenetur, aliter inutilis fieret coadjutoria. De cætero uterque Coadjutor sustentationem habere ex beneficio debet, cui ministerium exhibet (3); sed maxime Coadjutor perpetuus, qui beneficio devinctus est, quique, etiam mortuo coadjuto, in suo officio manet (4).

(1) Cap. 5, de cler. ægrot. Observamus coadjutorem dari posse specialiter vel ad spiritualia tantum, vel tantum ad temporalia. Porro evenire potest, ut beneficiatus fiat inhabilis ad quædam spiritualia tantum, ut si careat manu; vel tantum ad temporalia, ut si beneficii bona dilapidet. — (2) Reiffenstuel loc. cit. n. 51. — (3) Cap. 3 de cler. ægrot. cap. unic. eod. in 6. Si coadjutor modestam sustentationem ex beneficio habere nequeat, ei consulere debet Episcopus, vel conferendo beneficium simplex juxta Tridentinum sess. 24, c. 17. de ref. et sess. 21, c. 6, de ref. vel cogendo populum ad ei necessaria ministranda juxta idem Tridentinum in cit. sess. 21, c. 4, de ref. nam coadjuto defectu laboranti salva semper esse debet sustentatio ex beneficio, quia nimis inhumanum est afflicto addere afflictionem, — (4) Coadjutoris vero temporalis officium cessat per mortem Rectoris principalis, sed et per ejus renunciationem, aut depositionem, aut privationem, et per cessationem impedimenti, ac lapsum temporis, ad quod coadjutor datus fuit.

543. Commenda denique jure antiquo erat custodia, aut administratio vacantis beneficii pro tempore vacationis alicui

concessa. Quare commendatarius tamquam administrator, sive œconomus, non faciebat fructus suos, quorum rationes erant futuro Rectori reddendæ. Sed imposterum ad succurrendum præsertim Episcopis a propriis sedibus per impiorum manus expulsis cum assignatione fructuum beneficiorum commendæ ad tempus, vel in perpetuum concedi ceperunt. Qua constituta praxi, cito visi sunt tam clerici, quam laici commendas inhiare, quas illi putabant, se posse retinere cum alio beneficio, non obstante vetita pluralitate beneficiorum, et isti, non obstante eorum incapacitate ad beneficia. His malis obviavit Clemens V, qui, postquam plures hujuscemodi commendas concesserat, infirmitate satis periculosa ab Omnipotente visitatus, ut ipse fatetur, omnes revocavit, ut de cætero in favorem cujuscumque personæ nullam haberent amplius roboris firmitatem (1). Deinde Tridentinum perquisitas clericorum ambages sustulit, dum sub gravissima sanctione declaravit, neminem posse retinere duo beneficia, licet unum sit in titulum, et aliud in perpetuam commendam (2). Ac denique partim lege, partim consuetudine factum est, ut commendæ perpetuæ per solum summum Pontificem possent concedi (3).

(1) Extrav. *Ex supernæ* de præbend. int. com. — (2) Sess. 7, c. 4, de ref. — (3) Riganti ad reg. 43, n. 28. Episcopus tamen, qui dare potest commendas temporales, has concedere nequit in parochiis vacantibus, in quibus vicarios, sive œconomos ex præscripto Tridentini debet constituere. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 107.

TITULUS XXI.

EE BENEFICIIS JURISPATRONATUS.

SUMMARIUM : 544. Juspatronatus definitur. — 545. Dividitur in ecclesiasticum, laicale et mixtum. — 546. Quæ sint differentiæ inter ecclesiasticum, et laicale? — 547. Quid observandum in mixto? — 548. Quæ sint aliæ ejus divisiones? — 549. Qui sint modi primitivi illud acquirendi? — 550. Qui secundarii? — 551. Quid observandum in acquisitione per præscriptionem? — 552. Quid si pro parte ex gratia et pro parte ex justitia procedat? — 553. Qui sint modi derivativi illud acquirendi? — 554. Regulæ observandæ in hæreditario. — 555. In familiari, et gentilitio. — 556. Quæ sint jura patroni? — 557. Quem debeat præsentare? — 558. Legitime præsentat qui est in pacifica possessione præsentandi. — 559. Quid observandum si plures sint patroni? — 560. Quid si præsentatus renunciet? — 561. Quæ sint onera patroni? — 562. Quot modis juspatronatus extinguatur? — 563. Quando Papa in toto ei deroget? — 654. Quando in parte?

544. Ecclesia de templorum, altarium, et beneficiorum fundatoribus benemereri, uti decebat, semper consuevit, quos primum in sacris dypticis descriptos voluit, deinde jure in beneficiis designandi presbyteros donavit, ac tandem, novis adjunctis juribus, eorumdem patronos constituit, sive juspatronatus concessit. Juspatronatus definiri potest, *facultas præsentandi clericum idoneum ad beneficium ecclesiasticum vacans cum aliis juribus et oneribus conjuncta.* Dicitur *facultas præsentandi*, non conferendi, quia Episcopus, non patronus beneficium confert : hinc præsentatio vere non tribuit jus ad beneficium, sed ad institutionem, si clericus præsentatus idoneus cognoscatur. Dicitur *ad beneficium vacans* ; nam præsentatio ad beneficium plenum est nulla, quæ vires non assequitur, licet deinde beneficium vacet : unde hoc casu præsentantem præsentationis factæ potest pœnitere, vel si in eadem intentione persistat, iterum, facto vacante beneficio, præsentare (1). Dicitur denique *cum aliis juribus*, etc., quia præter jus

præsentandi, alia competunt patrono jura et onera, de quibus infra. Quare beneficium jurispatronatus non est in libera collatione Episcopi, sed subjectum, et quasi servum alicujus patroni (2).

Cum hæc materia satis ampla sit, non sufficit eidem ordinem imprimere, sed exprimere necesse est. Hinc agere proponimus : primo de divisionibus jurispatronatus ; secundo de modis, quibus adquiritur ; tertio de juribus et oneribus, quæ tribuit, vel imponit patronis ; et quarto de modo quibus extinguitur.

(1) Cap. 8 de jurepatr. — (2) Juspatronatus ex jure communi non habet locum in Prælaturis ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, quoad earum primam dignitatem : nam cum hæc beneficia sint electiva ex dispositione juris communis, conferenda sunt per electionem eorum, qui sunt de Capitulo, nec possunt subjici patronatui illius, qui ecclesiam fundavit, ædificavit et dotavit, licet eidem alia multa competant honorifica jura. Unde jus, quod habent multi Reges præsentandi clericos ad prælaturas, et episcopatus, non procedit ab Ecclesiæ legibus communibus, licet Reges dictas ecclesias fundaverint, et dotaverint : sed oritur ex privilegio a summo Pontifice concesso, aut a Concordatis inter utramque potestatem initis. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 101.

545. Primo, juspatronatus dividitur in *ecclesiasticum, laicale* et *mixtum*. Ecclesiasticum est, quod ex bonis ecclesiasticis fuit institutum, et quod a persona ecclesiastica tamquam ecclesiastica exercetur. Laicale est quod ex bonis sæcularibus fuit erectum, quodque a laico, vel a clerico tamquam persona privata exercetur. Mixtum demum est, quod de jurepatronatu laicali, et ecclesiastico participat, quodque proinde partim possidetur a clericis, et partim a laicis, vel partim ex bonis ecclesiasticis, partim ex bonis laicalibus est constitutum.

546. Inter juspatronatus ecclesiasticum, et laicale hæ sunt præcipuæ differentiæ. 1ª Patronus ecclesiasticus habet sex menses ad præsentandum, laicus vero tantum quatuor (1) ; utrique tamen tempus non incipit decurrere, nisi a die notitiæ vacationis, et potentiæ ad præsentandum, quod ab hoc initio continuo elabitur, atque completur, nisi ab Ordinario fuerit prorogatum (2). 2ª Patronus ecclesiasticus, præsenta-

tione facta, non potest variare : unde si præsentatus idoneus reperitur, hic in beneficio instituendus est ; aliter si indignus, aut inhabilis scienter sit præsentatus, patronus pro ea vice jure præsentandi privatur, et ab Episcopo libere fit provisio : E converso patronus laicus potest variare, sive cumulare, hoc est, alium, sive alios ex nonnullorum sententia intra debitum tempus præsentare ; quo casu primus, vel priores non remanent exclusi ; sed ex omnibus cumulative præsentatis digniorem in beneficio Episcopus instituere debet (3). 3° Beneficia jurispatronatus ecclesiastici reservationibus, et affectionibus sunt subjecta ; non item beneficia jurispatronatus laicalis ex justitia acquisiti, cui non solet derogari.

(1) Cap. unic. de jurep. in 6. — (2) Episcopus quidem, ut sentiunt communiter Doctores, ad alios sex menses, non ultra, tempus ad præsentandum potest utrique patrono prorogare. Sed illud animadvertendum est, quod in jure patronatu regio nullum est tempus præfixum ad præsentandum : habentur enim Reges semper juste impediti. — (3) Cap. 24, de jurep. Ratio autem discriminis est, quia patronus ecclesiasticus tenetur noscere, et seligere dignum, quod interdum impune ignoratur a laico, et quia ubi quis opprimitur in uno, debet in alio relevari : ac proinde laicus, qui gravatur tempore, dum quatuor tantum menses habet ad præsentandum, relevatur in potestate cumulandi, sive plures præsentandi.

547. In jurepatronatu mixto, licet quidam adsint, qui mixturæ rationem habendam esse opinantur, ita ut sit judicandum ecclesiasticum, si qualitates jurispatronatus, ecclesiastici prævaleant, aut vicissim ; tamen est jurisconsultorum regula communis, quæ traditur, in jurepatronatu mixto illud esse continuo observandum, quod patrono magis est favorabile : magis autem favorabile est, ut patronus habeat sex menses ad præsentandum, ut possit variare, ut beneficium maneat a reservatione, sive affectione liberum : hæc idcirco omnia jurispatronatu mixto conveniunt (1).

(1) De Luca de jurep. in Sum. n. 47.

548. Aliæ præterea sunt jurispatronatus divisiones. Dividitur sane in *activum*, quod alicui dat jus, ut præsentet, et *passivum*,

quod alicui dat jus, ut præsentetur ; sed ab activo illatio non fit ad passivum, neque ob mutatum primum mutatur secundum. Dividitur in *reale*, quod competit alicui rei, vel prædio, a cujus possessore exercetur, et *personale*, quod competit alicui personæ independenter a re, ut primogenito, vel successori in aliqua familia. Dividitur in *hæreditarium*, quod cum hæreditate ad quoscumque hæredes devolvitur, et *familiare*, quod agnatis, vel determinatæ familiæ reservatur, et *gentilitium*, quod ad agnatos, et cognatos extenditur (1).

(1) De Luca loc. cit. n. 29,

549. Secundo juspatronatus acquiritur variis modis, quorum alii *primitivi* dici possunt, alii *secundarii*, et *derivativi*. Primitivi, quibus juspatronatus acquiritur ipso jure, sive ex justitia, sunt tres, nempe : dotatio, ædificatio et fundatio, juxta illud Glossæ : *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus* (1). Ille dicitur fundare, qui dat fundum, sive solum, in quo est Ecclesia construenda ; ille ædificare, qui propriis sumptibus Ecclesiam primus exstruit, vel jam collapsam reædificat (2) ; ille demum dicitur dotare, qui pro Ecclesiæ manutentione, pro ministris, et utensilibus reditus sufficientes assignat. Si vero reditus assignati sufficientes non sint, benefactor, non patronus dicitur (3). Qui tres prædictas causas ponit, modo adsit saltem præsumptus Episcopi consensus, ipso jure absque ulla jurispatronatus reservatione patronus fit. Et si plures in id concurrant, et unus ex. gr. fundet, alter ædificet, et tertius dotet, omnes in solidum patroni fiunt (4).

(1) Glossa in can. 26, c. 16, q. 7. — (2) Sed prius citandus est collapsæ ecclesiæ patronus, si quis sit, ut edisserat, an velit ipse ad juspatronatus sibi conservandum ecclesiam reædificare, an non : nam, eo tantum ædificare renuente, alteri potest ex reædificatione juspatronatus acquiri. Et ad hoc primo patrono concedi solet sex mensium spatium, ut eo tempore vel reædificet, vel juripatronatus renunciet. Post lapsum vero hujus temporis ex ipso jure juspatronatus amittit. Bul. *Pius et misericors* Benedicti XIII. — (3) Quod autem de primo dotante affirmatur, idem, deficiente prima dote, de secundo affirmandum, dum primus citatus novam renuit assignare dotem, sine qua beneficium esse nequit. Ubi vero prima dos suffi-

ciens permanet, alteri ex hoc capite juspatronatus haud acquiritur, licet dotem duplo, vel triplo majorem dederit, qui quidem non patronus, sed benefactor semper audit. Reiffenstuel de jurep. n. 6. — (1) Disputant hac de re Doctores, an tres dictæ causæ debeant concurrere simul, et copulative, an una tantum disjunctive sufficiat? Quidam primam tuentur partem, quia sine concursu trium causarum Ecclesia ad esse deduci non potest. At vera putatur secunda, quia jus in distinctis legibus patronum facit, qui tantum fundat, et qui tantum ædificat, et qui tantum dotat. Reiffenstuel loc. cit. n. 4 et De Luca de jurep. disc. 55.

550. Modi secundarii, quibus juspatronatus acquiritur ex gratia, sunt duo, nempe: privilegium summi Pontificis, et præscriptio. Potest plane summus Pontifex alicui juspatronatus concedere; sed cum nimium multiplicata in Ecclesia hæc privilegia essent, Concilium Tridentinum eadem sustulit et abrogavit, licet patroni ex privilegio veram haberent, aut quasi possessionem præsentandi (1) Exceptio tamen facta fuit in privilegiis summis Principibus, et in favorem studiorum generalium concessis, quæ Tridentini Patres in suo robore manere decreverunt. Quare, si de jurepatronatu per privilegium acquisito sit quæstio, videndum, an fuerit ante, vel post Tridentinum concessum: nam si ante concessum reperiatur, salvis citatis exceptionibus, tanquam omnino abrogatum habendum erit; si vero post Tridentinum inveniatur concessum, adhuc observandum erit, quia privilegia post concilium a summis Pontificibus concessa jus novum faciunt (2).

(1) Sess. 25, c. 9, de ref. — (2) Reiffenstuel loc. cit. n. 12. Hoc tamen privilegium jurispatronatus non potest episcopus concedere, quia hoc est ei a Gregorio IX interdictum. Cap. 2, de reb. Eccl. non alien. Unde S. Congregatio Concilii declaravit, juspatronatus ex privilegio Episcopi concessum non prodesse, etiamsi prætensi patroni per annos centum quadraginta in pacifica possessione hujus juris exstiterint. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 102.

551. Præscriptione similiter acquiritur juspatronatus ex gratia magis quam ex justitia (1). Sed hoc modo vel acquiritur a privatis personis, vel a personis publicis, et potentibus, ut sunt minores Principes, Barones, aliique, jurisdictionem in loco beneficii exercentes, et ut sunt quoque communitates sæ-

culares, sive Universitates quoad beneficia in earum ecclesiis erecta. Si primum, id est in privatis personis, ad consequendum juspatronatus sufficit præscriptio immemorialis a multiplicatis præsentationibus, id est saltem duabus vallata. Si secundum, id est in personis publicis, præter præscriptionem immemorialem requiruntur continuatæ præsentationes per spatium quinquaginta annorum, quæ per authenticas scripturas probentur, suumque sint sortitæ effectum. Gravior quidem in hoc secundo casu statuitur præscriptionis forma, et probatio, quia, ut dicunt Tridentini Patres, in potentibus potius ex usurpatione, quam ex justo titulo juspatronatus quæsitum præsumitur (2).

(1) De Luca loc. cit. n. 13. — (2) Sess. 25, c. 9, de ref. At supra nominavimus minores principes tantum, quia majores, ut imperatores, et reges ex dispositione ejusdem Tridentini sub hac regula non comprehenduntur.

552. Aliquando juspatronatus non est totum ex justitia, neque totum ex gratia, ut si quis Ecclesiam restauret, aut aliquam novam constituat dotem, et interim a summo Pontifice juris-patronatus rescriptum obtineat. Hoc casu suboritur dubium, an juspatronatus sit habendum potius ex gratia, vel potius ex justitia? Sed ita resolvitur : aut privilegium præponderat supra dotem, quæ non est sufficiens, vel non æquat antiquam, et juspatronatus judicandum est ex gratia ; aut vicissim dos supra privilegium præponderat, vel quia æquat, aut superat antiquam, vel quia omnino sufficiens est, et juspatronatus erit ex justitia judicandum (1)

(1) De Luca loc. cit. n. 20. Hæc resolutio multum interest, cum juspatronatus justitiæ præ altero gratiæ speciales habeat in jure favores. Et revera licet ex.gr. summus Pontifex non deroget apud nos juripatronatus laicali ex justitia, derogat tamen eidem, quando competit ex gratia, cujusmodi est etiam consuetudo apud Gallos, et apud Belgas, quia primum ex causa onerosa, secundum vero ex Pontificis liberalitate exoritur.

553. Modi derivativi acquirendi juspatronatus dicuntur illi, quibus de uno patrono in alium tranfertur; quod evenire pot-

est in jurepatronatu reali, hæreditario, familiari, et gentilitio. In reali translatio fit de primo rei sive prædii domino in eum; ad quem ipsa res, sive prædium absque jurispatronatus reservatione pertransit : sive id fiat per actum ultimæ voluntatis, hoc est per testamentum, aut codicillum; sive fiat per actum inter vivos, ut per donationem, permutationem, venditionem; sive demum fiat per sententiam præcipue in judiciis divisoriis, aut per præscriptionem triginta annorum in laicali, et quadraginta in ecclesiastico jurepatronatus, ut ex rerum judicatarum exemplis firmatur (1). Immo ex causa emphyteusis pertransit emphyteutam; ex causa locationis ad longissimum tempus in conductorem *ad firmam*, ut dicunt, non vero in alium conductorem (2); ex causa ususfructus in usumfructuarium; ex causa dotis in maritum, licet aliter servetur in bonis paraphernalibus, ut sentiunt communiter Doctores ob regulam, qua traditur, jus præsentandi esse in fructu, ideoque ad eum pertinere, ad quem pertinent fructus (3). Sed ex veriori sententia non pertransit in creditorem hypothecarium, vel pignoratitium, etiamsi agatur de pignore cum pacto antichretico : nam in simplici pignore omnes fructus prædii ad debitorem pertinent; in pignore vero cum pacto antichretico adhuc ex jure canonico fructus ad eumdem spectant, quia sunt in sortem imputandi; et aliunde videtur iniquum, creditorem exercere jus rei spirituali conjunctum ob fructus ex permissione legis civilis perceptos, qui locum usurarum tenent. Similiter ex communi sententia non pertransit in hæredem fideicommissarium, sed remanet penes hæredem fiduciarium, quia hic, etiam restituta hæreditate, verus est hæres, cum ille tantum sit loco hæredis, licet omnes fructus percipiat (4).

(1) Cap. 13, de jurep. — (2) Cap. 7, eod. — (3) De Luca de jurep. in som. n. 90. Si hisce modis juspatronatus laicale transeat in monasterium, ejus superior tenetur præsentare clericum sæcularem, licet agatur de parochia adjuncta monasterio. Bul. *Inter multiplices* Clementis XIII. — (4) De Luca loc. cit. n. 27. Circa prædictas tamen jurispatronatus translationes opus est observare: donationem in laicum non compatronum, sive in aliam privatam personam fieri non posse, nisi de Ordinarii consensu. Cap. 1 de jurep. in 6; permutationem, sive venditionem solius jurispatronatus absque re, vel prædio, cui inheret, esse simoniacam. Arg. cap. 16 de jurep.; ac demum lici-

tam esse permutationem, et venditionem, dummodo hi contractus cadant principaliter in prædiis, cum quibus accessorie juspatronatus transfertur, et dummodo jurispatronatus nulla fiat æstimatio; secus si propter ipsum rei pretium augeatur, contractus esset simoniacus, et contrahentes præter alias pœnas jurepatronatu ipso facto privarentur. Trid. sess. 25, c. 9, de ref.

554. In hæreditario jurepatronatu plures sunt observandæ regulæ. Prima, juspatronatus transit ad quoscumque hæredes, mares, et fœminas ab intestato, et ex testamento (1). Secunda, juspatronatus inter plures hæredes in solidum est exercendum, quia in se indivisibile est : neque enim fieri potest, ut relicto a patre alicujus ecclesiæ jurepatronatu, filii inter se ita dividant, ut singulis jus tribuatur ad aliquod ejusdem ecclesiæ altare (2). Tertia, qui ex propria persona primi sunt hæredes fundatoris, vel soli patroni a fundatore designati, in jurepatronatu succedunt in capita, et totidem efformant lineas, quot sunt hæredes; qui deinde in his lineis comprehenduntur, et jure repræsentationis ad juspatronatus veniunt, succedunt in stirpes, et non in capita (3). Quarta demum, qui sunt hæredes plurium patronorum ex diversa causa succedunt similiter in stirpes; ideoque si vivat, qui dedit fundum, et cum hæredibus concurrat illius, qui ædificavit et dotavit, ille unam ex tribus habet vocem, et hi respective ad alias duas voces efformandas concurrunt (4).

(1) Hinc si soror hæres sit cum fratre, ambo patroni sunt : si soror accepta dote, hæreditati renunciet, vel frater ab hæreditate se abstineat, neuter in respectivo casu patronus est; sed omnes et soli hæredes patroni sunt, qui æqualem habent vocem, licet in partibus inæqualibus hæreditatis instituti sint. Gloss. in cap. 1 de jurep. — (2) Nihilominus hujus juris exercitium dividi potest, illaque specialiter est canonizata praxis, qua inter plures ita partitur, ut unus prima vice, alter secunda præsentet, vel unus uno mense, alter alio mense, vel demum ut præsentatio fiat per turnum. Clem. *Plures* eod. ib. Gloss. — (3) Hinc si primi hæredes fundatoris sint duo fratres, et alter moriatur, tribus relictis hæredibus, frater superstes integrum, ut prius, habet suffragium, et tres hæredes singillatim tertiam unius suffragii partem Clem. cit. *Plures*. — (4) Qui, ut diximus, succedunt in capita lineas jurispatronatus determinant : unaquæque autem linea, veluti una persona semper habetur, etiamsi in una major sit, et in alia minor personarum numerus. Quando in aliqua linea una

est persona, hæc integram habet vocem ; si vero plures sint personæ eadem vox pro numero personarum, ut hæreditas per uncias, inter eas dividitur, et vox effectiva cujuscumque lineæ a relativa vocum partialium majoritate educitur. Et ita coguitis vocibus, sive suffragiis omnium linearum, ille erit nominatus, pro quo stabit relativa suffragiorum majoritas : licet aliter obtineat in jurepatronatu collegiali, quod ab Universitate, sive collegio collegialiter procedendo exercetur, in quo, seclusa contraria consuetudine, et lege fundationis, majoritas absoluta requiritur. De Luca loc. cit. disc. 61.

555. In jurepatronatu familiari, et gentilitio quædam est imago hæreditatis fideicommissariæ; et ideo ut plurimum nedum servantur in eo, quæ supra de jurepatronatu hæreditario diximus, sed etiam quæ a legibus sunt pro fideicommissis statuta, maxime quando primogenituræ, aut majoratus formam exhibet. Nihilominus si juspatronatus relictum sit simpliciter familiæ, Doctores conveniunt, familiares succedere in capita; sed non conveniunt in eo, an tantum proximiores in eodem gradu succedant, vel succedant omnes primi, et ulterioris gradus. Qui proximiores tantum in eodem gradu admittunt illi innituntur rationi : quia talis est ordo successionis in fideicommissis ; qui vero admittunt omnes primi, et ulterioris gradus id pro ratione habent, quod omnes unum efformant vocatorum corpus. Sed, ut monet De Luca, hujus quæstionis decisio ab antecedenti observantia principaliter est petenda (1). Si vero juspatronatus fuerit primogenito obligatum, hoc observandum, quod a linea ingressa, nisi ea extincta, non recedit, et quod recedendo in primogenitum lineæ proximioris pertransit, nisi natu major ex tota familia sit vocatus, nulla linearum habita ratione; quo casu, adveniente vacationis tempore, juspatronatus ad magis ætate longævum transit, quacumque in linea reperiatur, quod proinde a Doctoribus *saltuarium* appellatur. Denique familiare, et gentilitium juspatronatus in ultima familiæ persona fieri hæreditarium ex primitiva Ancharani sententia omnes moderni docent auctores, modo contraria non sit fundatoris voluntas (2).

(1) De jurep. disc. 33. — (2) De Luca eod. loc. disc. 60, n. 28.

556. Tertio, inter jura patrono tributa recensetur jus hono-

ris, jus alimentorum, et jus præsentationis. Jus honoris comprehendit honorem processionis, sedis, precum, thuris, aquæ benedictæ, sepulturæ, etc. Honor processionis hoc innuit, quod patrono venienti ad ecclesiam occurrat illius clerus, et quod in solemni processione ei honoratior assignetur locus (1). Honor sedis hoc innuit, quod extra presbyterium eidem dignior statuatur sedes. Honor precum, quod in collectis possint exprimi nomina patronorum defunctorum, non vivorum. Honor thuris, et aquæ benedictæ, quod primum post clerum patrono offeratur thurificatio, et aspersio. Et honor sepulturæ, quod patronus in reservata sepultura ecclesiæ patronatæ sit tumulandus, si aliam non elegerit. Hi, aliique etiam honores tribuuntur patrono ex justitia, in quorum exercitio consulenda semper est antecedens observantia, et generalis regionis consuetudo, a qua formam quodammodo et esse recipiunt.

Jus alimentorum in hoc consistit, quod patrono ad inopiam redacto ecclesia alimenta suppeditet (2). Ad hoc quidem tenetur ecclesia ex reditibus superextantibus : nam si quisque tenetur, et maxime libertus erga dominum, donatarius erga donantem beneficium beneficio rependere, quanto adhuc magis tenebitur ecclesia misericors pauperum mater (3)?

Jus denique præsentationis, quod præcipuum est, significat facultatem patrono concessam nominandi, et offerendi Ordinario collatori rectorem, vel clericum, qui sit inde, si idoneus reperiatur, ab eodem Ordinario in vacante ecclesia, sive beneficio instituendus. Hæc quidem præsentatio et institutio est necessaria : nam si Episcopus quempiam absque præsentatione in beneficio jurispatronatus institueret, posset patronus intra tempus ad præsentandum concessum (4) querelam proponere institutumque a beneficio repellere (5); et si patronus præsentatum suum in beneficio instituerit, nihil ageret, et jugiter beneficium vacaret. Quare facta præsentatione, Episcopus debet præsentatum probare, vel simpliciter, vel per examinis experimentum, et interim juxta Curiæ stylum edictum proponere, quo omnes prætendentes moneantur, ut intra sta-

tutum tempus contra præsentationem afferant, quæcumque sua interesse putaverint (6).

(1) Cap. 25, de jurep. — (2) Ita sane reperimus sancitum in can. 30, c. 16, q. 7 ubi legitur : *Quicumque fideles devotione propria de facultatibus suis ecclesiæ aliquid contulerint, si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiunt.* Hoc confirmatur in cit. cap. 25 de jurep. — (3) Attamen, ut rem animadvertenti patet, hoc jus, quod concessum est patrono ex justitia, ejusque filiis, et descendentibus, non prodest patrono ex gratia, qui nihil contulit, neque ei in quem juspatronatus translatum fuit. Card. Petra in const. 7 Gregorii IX, n. 9. Sed in praxi hujusmodi retributiones, ni sint in fundatione reservatæ, nimium raræ sunt, quia patroni inopes pauperiores ecclesias, et ecclesiæ divites ditiores solent habere patronos. De Luca loc. cit. in Sum. n. 137. — (4) Tempus ad præsentandum concessum est sex mensium in jurepatronatu ecclesiastico, et quatuor mensium in jurepatronatu laicali, quod tempus incipit decurrere a die, qua patronus beneficium vacare cognovit, vel a die, qua potuit præsentare. Ventriglia de jurep. § 3, n. 27. — (5) Pirhing de jurep. n. 117. — (6) Præsentati tamen ab aliqua universitate studiorum regulariter non possunt examinari, quia præsumuntur idonei. Trid. sess. 7, c. 13, de ref.

557. Patronus potest præsentare quemlibet clericum idoneum etiam fratrem, et filium suum, non vero semetipsum, ne per procuratorem quidem : quia inter dantem et accipientem aliqua semper debet esse distinctio (1). Nihilominus ipse potest alium compatronum nominare, et nominationem ab aliis compatronis de se factam acceptare, vel collationem recipere ab Episcopo datam post lapsum temporis ad præsentandum concesso, vel etiam intra hoc tempus, si beneficium liberum dimittat in manibus Ordinarii, quem non prohibetur rogare, ut idem sibi beneficium conferre dignetur (2).

(1) Cap. 26, de jurep. — (2) Si tamen patronus sit minor, disputant Doctores, an minoris, vel tutoris sit admittenda præsentatio ; verum probabilior est eorum sententia, qui docent pupilli sui compotis præsentationem esse præferendam, modo fraudis, aut circumventionis suspicio absit, quia ipse vere dominus est. De Luca de jurep. disc. 31 et in sum. n. 91.

558. Nedum patronus valide præsentat, qui habet titulum,

sive proprietatem jurispatronatus; sed et ille, qui est in pacifica, et immediata possessione, aut quasi possessione præsentandi, modo adsit bona fides, et sic præsentatus in beneficii possessionem est immittendus, a qua numquam cadit, licet postea compertum fiat, præsentantem verum non fuisse patronum, quia actus præsentationis est veluti fructus jurispatronatus : fructus autem rei a bonæ fidei possessore licite percipiuntur (1).

(1) Cap. 19 de jurep. Si tamen hoc in casu duo præsententur, unus a dicto possessore, et alius a patrono adhuc attenditur ultimus status, ut dicunt, et præsentatus a possessore in beneficii possessionem immittendus est, cum jus patroni non est clarum, neque in continenti probatum, sed turbidum, et altioris indaginis, ut loquitur de Luca loc. cit. n. 83. Aliter si esset omnino clarum et evidens, re integra, in beneficii possessionem immittendus esset præsentatus a patrono, quia proprietas cognita absorbet causam possessionis, eique prævalet. Cap. 6, de caus. possess. Hæc jura possessionis prosunt, cum quæstio vertitur inter præsentatos, vel inter patronos : nam si quæstio vertatur inter patronos et Ecclesiam ea observanda essent, quæ supra exposita sunt de acquisitione jurispatronatus ex gratia.

559. Cum plures sunt patroni, omnibus jus competit præsentandi, qui si ad præsentandum extraneum admittant, hic in ea, et sequentibus præsentationibus ratione possessionis eodem jure juvabitur, nisi per Ordinarium repellatur. At si quidam inter patronos sint impediti, totum juspatronatus consolidatur in aliis non impeditis per jus *non decrescendi*, ut dicunt Doctores, quia quodcumque corpus morale ex multis personis constitutum repræsentatur per paucas, immo et per unam, si aliæ necessitate impediantur, vel voluntate se faciant extraneas. Similiter, si qui inter patronos nulliter, vel male præsentent, reliquorum in medietate, vel in parte minori præsentatio valet (1).

(1) De Luca de benef. disc. 23. n. 9 et disc. 28, n. 18.

560. De cætero patroni queunt usque ad ultimam diem termini præsentare ; et si tempore utili præsentent aliquem, qui

postea renunciet, a die renunciationis remittuntur in pristinum, iterumque quatuor aut sex menses habent juxta jurispatronatus naturam, modo absit fraus et dolus (1). Quod non procedit, si tantum nominaverint, et nominatus, antequam Episcopo præsentetur, aut renunciet, aut moriatur, quia præsentationem non perfecerunt, quæ nominatione, et oblatione Episcopo facta constare debet. (2).

(1) Arg. cap. 26 de elect. in 6. — (2) Cæsar Lambertini de jurep. l. 2, p. 2, art. 22, n. 6. Post lapsum demum temporis facta præsentatio suo robore destituitur; sed Episcopus non prohibetur ex urbanitate, ut loquitur citatus Doctor, eum admittere. Id. loc. cit. n. 4.

561. Inter onera patrono imposita recensentur sequentia, nimirum patronus tenetur primitus dotem constituere, et deinceps conservare, quæ si tantum minuatur, non propterea juspatronatus amittit ; tenetur Ecclesiam reficere, et ornare, et alius, eo invito, hæc facere nequit, maxime quando aliquam mutationem afferrent ; tenetur etiam Ecclesiam beneficiumque defendere, et utrumque ab oppressionibus vindicare : unde olim patronus dicebatur defensor, et advocatus beneficii aut Ecclesiæ, et ipsum juspatronatus sæpe *advocatiæ* nomine fuit significatum (1) Propterea patrono cura committitur inspiciendi, an leges in fundatione appositæ observentur, an bona mobilia, et immobilia fideliter custodiantur, in quibus si abusus inveniat, rem debet Episcopo denunciare, ut opportunum afferat remedium ; sed ipse nequit aliquam jurisdictionem exercere, aut se fructibus, ac proventibus ingerere ; aliter se periculo exponeret amittendi juspatronatus juxta mox dicenda.

(1) Can. 21 et 22, c. 16, q. 7.

562. Quarto, modi, quibus extinguitur juspatronatus sunt præcipue sequentes. Extinguitur destructione ecclesiæ, aut interitu integræ dotis constitutæ. Extinguitur cum familia, aut gente, cui privative, sive cum conditione futuræ libertatis, fuit a fundatore relictum ; alias præsumeretur hæreditarium fieri, ut supra innuimus. Extinguitur præscriptione immemo-

riali cum allegatione probabilis tituli, a quo ipsa præscriptio fulciatur, cum agitur de jurepatronatu familiari, et gentilitio contra successores, qui ad juspatronatus independenter a prioribus possessoribus ex propria persona veniunt; alias præscriptio longissimi temporis sufficeret, modo, ea decurrente, beneficium saltem bis esset libere collatum cum intentione præjudicandi patrono : nam si Episcopus bis beneficium conferat, quia patronus tempus ad præsentandum elabi passus est, aut quia fuit impeditus, nulla oritur præscriptio. Extinguitur renunciatione patroni, quod absque limitatione procedit in ipso beneficii fundatore; in reliquis vero hæredibus, et successoribus illud est observandum, quod renunciatio non habet effectum contra jus, et commodum sequentium vocatorum. Extinguitur delicto, ut per hæresim, apostasiam, et schisma (1), per homicidium voluntarium, aut mutilationem per se, vel per alios patratam in persona rectoris alteriusve clerici Ecclesiæ patronatæ (2), et per simoniam commissam in venditione, sive translatione jurispatronatus (3) : quibus in casibus præjudicium fit ipsi patrono, ejusque hæredibus, non vero venientibus ex propria persona ad jurispatronatus successionem : sed in casu horum delictorum solet ad cautelam a Papa obtineri derogatio jurispatronatus (4). Extinguitur abusu, de quo tria edita sunt a Tridentino decreta : primum est, in quo sub pœna privationis jurispatronatus prohibetur, ne patronus Ecclesiæ aut beneficii jurisdictiones, bona, census, jura, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, occupare, aut in proprios usus convertere queat, aut impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur (5); secundum est, in quo prohibetur, ne patronus in iis se ingerat, quæ sacramentorum administrationem, visitationem ornamentorum, aut bonorum stabilium proventus respiciunt, nisi quatenus id ei ex institutione, aut fundatione competat (6); tertium est, in quo præter prohibitionem gestionis fructuum, hæc ponitur clausula, patronum scilicet, *nullatenus, nullave causa, aut occasione* se ingerere posse in perceptione fructuum, obventionum, et proventuum, non obstante quacumque consuetudine (7); ex qua clausula

Doctores deducunt, patronum beneficii prædia conducere non posse, et ita testantur fuisse a S. Congregatione decisum (8).

(1) Arg. cap. fin. de hæret. — (2) Cap. 12 de pœn. — (3) Cap. 6, de jurep. et Trid. sess. 25, c. 9, de ref. — (4) Riganti ad reg. 12, n. 279. — (5) Sess. 22, c. 11, de-ref. Hoc casu præterea patronus incurrit excommunicationem Papæ reservatam, donec omnia bona ecclesiæ restituat. — (6) Trid. sess. 24, c. 3, de ref. — (7) Sess. 25, c. 9, de ref. — (8) Card. Petra in const. 7 Gregorii IX, n. 65. Dubitari hic potest an Episcopus ei, qui juspatronatum amisit, restituere valeat? Respondemus negative: cum enim ecclesia et beneficium legitimo modo libertatem obtinuerit, nequit Episcopus novum onus maxime servitutis, et jurispatronatus eidem imponere. Nihilominus Engel affirmativam probare videtur, si agatur de laico minorenni, qui per præscriptionem a jurepatronatu cecidit; quo in casu Episcopo facultatem non negat minori læso per se in integrum restitutionem succurrendi. De Jurep. n. 27.

563. Extinguitur denique juspatronatus derogatione a summo Pontifice pro aliqua vice facta in toto, vel in parte. In toto secundum aliquos derogatio fit, cum Pontifex jurispatronatus beneficium possidenti permittit, ut aliud beneficium cum eo incompatibile possit simul obtinere; et secundum omnes cum beneficii jurispatronatus cum alio beneficio libero per mutationem, inconsulto patrono, probat, vel alio modo beneficium jurispatronatus ut liberum confert. Attamen derogationes hujuscemodi insolitæ sunt. Duæ potius sequentes derogationes in toto usu sunt receptæ, cum nempe agitur de beneficiis vacantibus apud Sedem Apostolicam, et de beneficiis litigiosis. Circa primum, si beneficia jurispatronatus ecclesiastici vacent apud Sedem, derogatione speciali non est opus, quia per se, ut supra jam diximus, manent reservata; si vero beneficia jurispatronatus laicalis proprie vacent apud Sedem per mortem naturalem, in toto derogatur juripatronatus, modo non sit regium (1). Circa secundum, nempe circa beneficia litigiosa distinguendum est. Aut lis viget inter patronos, aut inter præsentatos: cum inter patronos ante beneficii vacationem absque fraude, et calumnia mota fuit lis, quæ verosimiliter nequeat intra tempus ad præsentandum concessum dirimi, summus Pontifex juripatronatus laicali etiam ex justitia ita derogat in toto, ut benefi-

cium conferatur extraneo (2); cum vero lis est inter præsentatos, et unus litigantium moritur, aut juri suo renunciat, non potest patronus alium in locum deficientis sufficere, quia lite pendente nihil est innovandum (3); sed hoc casu jura deficientis litigatoris possunt per summum Pontificem transferri in superstitem cum derogatione in toto jurispatronatus etiam laicali, modo nullum aliud adsit præjudicium alterius, ut puta tertii præsentati (4).

(1) Sed quod dicimus de vacatione proprie sumpta apud Sedem non extenditur ad vacationem in Curia per mortem civilem, ut supra innuimus : hoc enim in casu, quemadmodum et in vacatione *per risulta* patronus præsentat, et summus Pontifex præsentatum idoneum in beneficio instituit. — (2) Patroni enim ob litis pendentiam valide præsentare non possunt. — (3) Cap. 2, ut lit. pend. etc. in 6. — (4) Hujusmodi derogationes etiam a civilibus Magistratibus Regni Sardiniæ admittebantur. Marenco de jurep. sect. 4, n. 602 et seqq.

564. In parte extinguitur juspatronatus per summi Pontificis derogationem, cum, duobus, a patronis æqualibus suffragiis præsentatis, Pontifex derogat medietati jurispatronatus ad alteram partem spectantis, ita ut uni ex præsentatis beneficium conferatur, cui solet imponi onus adeundi, et rogandi repugnantes patronos pro consensu obtinendo, ne videantur spreti, licet eorum consensus non sit amplius necessarius. Hæc derogatio medietatis vocum communiter appellatur quoque *gratificatio* favore unius ex duobus æqualibus suffragiis præsentatis (1).

(1) Sunt Doctores, qui gratificandi potestatem tribuunt etiam Episcopo cum derogatione medietati vocum, cum duo paria obtinuerunt suffragia, pro digniori, et magis a fundatore indicato. Cap. 3 de jurep.

TITULUS XXII.

DE BENEFICIORUM VACATIONE.

SUMMARIUM : 565. Quot modis in genere beneficii vacatio contingat? — 566. Quid importet regula Cancellariæ de annali possessore? — 567. Quid regula de triennali? — 568. Quot modis contingat in specie beneficiorum vacatio? — 569. Quando jus privationem inducat propter factum? — 570. Quando propter delictum? — 571. Quandonam episcopus queat per sententiam quempiam beneficio privare? — 572. Quod sit discrimen inter sententiam declaratoriam, et condemnatoriam?

565. Triplici modo in genere beneficia vacare dicuntur, scilicet de facto tantum, de jure tantum, de jure et de facto simul, prout carent possessore, aut proprietario, aut utroque. Revera dicuntur vacare de facto tantum, cum nemo est, qui actu beneficium possideat, vel quia habens titulum a possessione cecidit, ut contingit in eo, qui fuit injuste a beneficio expulsus, vel quia habens titulum possessionem nondum est assecutus, ut contingit in electo, et confirmato, qui in corporalem beneficii possessionem nondum immissus fuit. Hæc vacatio impropria est: neque enim per eam beneficium aut ecclesia viduata fit ; ideoque collationi, aut institutioni locus esse non potest. Deinde beneficia dicuntur vacare de jure tantum, cum adest quidem, qui beneficium possidet, sed non habet titulum, aut jus possidendi, quod contigit, si collator non habeat conferendi potestatem, aut promotus recipiendi capacitatem, aut ipse promotus a jure beneficii aliquo modo ceciderit. Hæc vacatio propria est : nam per eam ecclesia viduata fit, et beneficium potest alteri conferri ; immo nisi intra statutum tempus conferatur, ad superiorem devolutio fit. Nihilominus novus promotus in actualem beneficii possessionem immitti nequit nisi prius vocatus sit, et auditus præcedens beneficiatus, qu

adhuc possidet, quia generale est scitum, quod nemo inauditus, et sine causæ cognitione sua possessione, vel quasi spoliari potest (1).

(1) Cap. 28 de præb. in 6.

566. Possessio in beneficialibus multum prodest, de qua duas habemus Cancellariæ regulas, sub num. 35 et 36. In prima, quæ inscribitur *de annali possessore,* ad lites præcavendas, vel cito dirimendas illud sancitur, quod impetrans beneficium ab alio per annum pacifice possessum teneatur exprimere nomen, gradum, et nobilitatem possessoris, quot annis illud possederit, et determinatam causam, propter quam constare possit nullum jus eidem possessori competere super beneficio impetrato. Illud quoque in eadem regula sancitur, quod impetrans beneficium per annum ab alio possessum teneatur intra sex menses possessorem in judicium vocare, et ex tunc causam infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi; alias gratia sit nulla (1).

(1) Ita textum compedifacit Riganti ad eamd. reg. 35, n. 9 et 15.

567. In secunda vero ex dictis regulis, quæ inscribitur *de triennali,* hoc definitur, quod quicumque per triennium beneficium majus, sive minus pacifice possederit cum titulo colorato, super beneficio sic possesso molestari amplius nequeat : ex quo apparet, possessionem triennalem pacificam et cum titulo colorato in beneficialibus præscriptionem parere, quæ ex Doctorum sententia prescriptioni quadraginta annorum æquivalet ; et propterea qui hoc fruitur auxilio tutus est in foro fori, et etiam in foro conscientiæ, si bona fides intervenerit. Possessio dicitur pacifica, cum possidenti per integrum triennium nulla mota fuit controversia juris, aut facti, in judicio, vel extra. Titulus dicitur coloratus, quando procedit ab habente originariam auctoritatem conferendi, licet ex aliquo accidendi inutiliter conferat. Hic titulus semper requiritur, nisi agatur de possessore ultra tresdecim annos, quo

casu decem prosunt ad præsumendum titulum, et tres ad colorandum (1).

(1) Riganti ad cit. reg. 36. Sunt tamen plurimi casus, in quibus regula de triennali locum non habet, quorum duo enumerantur in ejusdem littera : etenim triennalis præscriptio non prodest, ubi simoniacus fuit ingressus ad beneficium, et ubi adfuit reservatio in corpore juris clausa. Præterea triennalis præscriptio non prodest, ubi provisio beneficii fuit evidenter et notorie nulla, ubi possessor triennalis spolium commisit, ubi quis beneficium a S. Sede obtinuit, cum onere intra certum tempus laureæ in S. Theologia, vel in jure canonico consequendæ, quam non est consecutus, et in aliis similibus casibus. De Luca de benef. disc. 91. Riganti loc. cit.

568. Tertio beneficia dicuntur vacare de jure, et de facto simul, cum nemo est, qui possideat, et nemo, qui habeat possidendi jus. Hæc vacatio vera, et plena est, quæ statim absque alio examine vel facto collationi et corporali institutioni viam aperit, quæque contingit per mortem, per legitimam privationem, et per liberam renunciationem. Per mortem quidem naturalem beneficiati plene fit vacans beneficium (1); et idem dicendum de privatione perfecta, et acceptata renunciatione.

(1) Sed hoc limitatur in beneficio alteri unito, in quo unio post mortem perficitur, et in beneficio quod a vicario regitur, in quo Vicarii mors vacationem non inducit.

569. Revera per legitimam privationem beneficium plene fit vacans, cum privatus possessionem deseruit, aut ab eadem per competentem auctoritatem fuit expulsus. Legitima autem privatio, vel ex ipso jure, vel ex judicis sententia condemnatoria procedit. Jus privationem per se pronunciat occasione alicujus facti, aut occasione alicujus delicti : occasione facti, quod statum importat cum beneficio incompatibilem, ut in eo, qui professionem religiosam emisit quoad beneficium sæculare anta professionem possessum (1) ; ut in eo, qui matrimonium contraxit (2) ; ut in eo, qui militiam armatam suscepit (3) ; ut in eo qui ad episcopatum promotus fuit (4) ; ut in eo, qui per decem annos beneficium habuit pro neglecto, post

quam monitus detrectat sui officii partes implere (5), et in aliis casibus similibus.

(1) Cap. 4 de regul. in 6. — (2) Cap. 1, 3 et 5 de cler. conjug. — (3) De Luca in annot. disc. 12, n. 8, et de benef. in Sum. n. 229. — (4) Cap. 7 de elect. — (5) Cap. 8 de cler. non resid.

570. Occasione vero delicti ipsum jus beneficii privationem pronunciat in casu assassinii quoad committentes, et mandantes (1), in casu homicidii, et hostilis insectationis contra Cardinalem (2), aut contra Episcopum (3), in casu hæresis, apostasiæ, et schismatis conjuncti cum hæresi (4), in casu simoniæ realis, et confidentialis (5), in casu falsariorum litterarum Apostolicarum (6), in casu intrusionis in beneficium (7), etiam cum beneficii reservati possessio capta fuit absque Apostolicis litteris (8), in casu insordescentiæ dolosæ in excommunicatione ultra annum, quia si humanum est peccare, diabolicum est perseverare, et angelicum se emendare (9), in casu procurationis abortus fœtus animati, effectu sequuto (10), in casu duelli sive solemnis, sive privati, sive provocati, sive non provocati, et etiam morte non sequuta (11), et in casu injustæ occupationis bonorum ad ecclesias quascumque, et ad pia loca pertinentium (12). In his aliisque delictis et factis, de quibus late disserit Garcia (13) et de quibus in hisce nostris institutionibus in sua sede mentio fit, lex ipsa benficiatum suo beneficio privat; sed ad plenum privationis effectum regulariter debet judicis sententia intervenire, quæ declaret crimen fuisse a beneficiato patratum, aut factum fuisse commissum, propter quod beneficiatus habendus sit, ut realiter beneficio privatus, quia privatio juris licet beneficiatum repellat a dominio, non dejicit a possessione (14) : hæc sententia propterea *declaratoria* dicitur.

(1) Cap. 1 de homicid. in 6. — (2) Cap. 5, de pœn. in 6. — (3) Clem. *Si quis* de pœn. — (4) Cap. 9, de hæret. et cap. 12, eod. in 6. — (5) Bul. *Cum primum,* et bul. *Intolerabilis* S. Pii V. — (6) Cap. 7 de crim. fals. — (7) Cap. 18 de præb. in 6. — (8) Bul. *Reformandum* Innocentii VIII. — (9) Gloss. in l. *Consentaneum.* Cod. quomod. et quand. jud. etc. — (10) Bul. *Effrænata* Sixti V. et bul. *Sedes Apostolica* Gregorii XIV. — (11) Bul. *Ea quæ* Pii IV, bul. *Illius vices* Cle-

mentis VIII et Trid. sess. 25, c. 19 de ref. — (12) Trid. sess. 22. c. 11, de ref. — (13) De benef. part. 11, per tot. — (14) Parisius de resign. l. 7, q. 2, n. 9, et l. 11, q. 10, n. 11.

571. Judicis sententia condemnatoria beneficii privationem infert, cum in rem judicatam transivit, aut cum appellatio amplius non datur, quia tres jam prodierunt sententiæ conformes; nequit tamen Episcopus hanc sententiam proferre, nisi ex gravi, et magno crimine plene evidenterque in judicio probato, cujusmodi esse posset quodcumque homicidium voluntarium, sacrilegium, perjurium, adulterium et concubinatus post monitiones a jure præscriptas (1). Hæc quidem omnia crimina, et tanto magis iisdem graviora Episcopo motivum præbent, ut inter alias pœnas criminibus congruas istam quoque privationis beneficiorum pro facti qualitate, præsertim contra contumaces, ac inobedientes infligere valeat (2).

(1) Item beneficiis pro gravitate reatus privari possent clerici fœneratores, ebrietati, aut ludis funeste dediti, satores rixarum, negotiatores, arma gestantes, incertis sedibus vagantes, maxime autem non residentes in propria ecclesia Trid. sess. 6, c. 1, de ref. et sess. 23, c. 1 de ref.; non suscipientes ordines beneficiis adnexos. Trid. sess. 22, c. 4, de ref.; et non deferentes habitum, ac tonsuram ecclesiasticam Trid. sess. 14, c. 6, de ref. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 100. — (2) De Luca de benef. in sum. n. 222. At maxima cautela in hac re procedendum, in qua si injuste, aut illegitime procedatur, non erit privatio, sed spolium, ut describitur in cap. 7, de restit. spoliat. et notat Fagnanus ad id. cap.

572. Duæ itaque esse possunt judicis sententiæ in causa privationis beneficii, una nimirum declaratoria, et alia condemnatoria, inter quas magnum est discrimen : nam in declaratoria, privatio inducitur a die commissi criminis, ad quem ipsa sententia quadam juris fictione retrotrahitur; in condemnatoria vero privatio non inducitur nisi a die sententiæ latæ. Quare collatio beneficii facta post crimen, et ante sententiam declatoriam est valida, quia de jure beneficium jam vacabat; dum ex adverso collatio beneficii facta ante sententiam condemnatoriam est nulla, quia beneficium adhuc erat plenum; et ob eamdem rationem valet permutatio, aut resignatio facta ante

sententiam condemnatoriam, dum facta post crimen, et ante sententiam declaratoriam non valet. Insuper beneficiatus in secunda tenetur ad restitutionem fructuum a die commissi criminis ; in prima vero tantum a die sententiæ latæ (1).

(1) Reiffenstuel de præb. n. 371.

TITULUS XXIII.

DE BENEFICIORUM RENUNCIATIONE.

SUMMARIUM : 573. Renunciatio quid sit, et quotuplex? — 574. Ob quas causas admittatur? — 575. Quando sit prohibita ratione beneficii? — 576. Quando ratione personæ? — 577. Per superioris acceptationem fit irrevocabilis. — 578. Quid sentiendum de ea, quæ fit in favorem tertii? — 579. Quid de ea, quæ fit cum reservatione pensionis? — 580. Quid de ea, quæ fit cum translatione, vel cum permutatione? — 581. Qui sint renunciationis effectus?

573. Renunciatio, sive resignatio *est dimissio beneficii ecclesiastici a beneficiato libere facta, et a superiore acceptata.* Hæc definitio clare demonstrat, ad renunciationem requiri duarum voluntatum concursum, nimirum : renunciantis, qui beneficium Ecclesiæ restituit, et ecclesiastici superioris, qui restitutionem acceptat : item demonstrat, renunciationem ex parte renunciantis libere, sive sponte esse faciendam; alias si facta proponatur, ex gravi et injusta vi, vel metu, nullius omnino esset firmitatis, etiamsi comitem haberet jusjurandum, et pedisequam superioris acceptationem (1). Nihilominus sustinetur renunciatio facta ex consilio, aut voluntate superioris, quando beneficiatus aliqua de causa posset suo beneficio privari, aut est inutilis Ecclesiæ, aut scandalum parit, quod alio modo nequit auferri, quia his in casibus, salvis congruis hinc, aut illinc pro beneficiato alimentis, vis non foret amplius injusta (2).

Renunciatio alia dicitur *tacita,* alia *expressa.* Tacita est, quæ resultat ex facto, quo posito, beneficium ulterius retineri ne-

quit, ut in casu professionis religiosæ, matrimonii (3), militiæ sæcularis, et in casu illius, qui consentit, ut beneficium suum alteri conferatur (4). Hæc tamen non est necessario per superiorem acceptanda, quia acceptatur ab ipso jure. Expressa deinde est, quæ fit scriptis, aut verbis coram superiore expressis, quæ subviditur in *puram*, et *conditionalem*. Quæ sit pura omnes intelligunt ; conditionalis vero est illa, quæ fit sub aliqua conditione, aut modo, aut pacto, ut si fiat in favorem tertii, aut sub reservatione pensionis, aut causa permutationis, aut cum jure regressus, vel ingressus, vel accessus (5).

(1) Clem. *Multorum* de pœn. — (2) Zallinger de præbend. n. 364. — (3) Etiamsi matrimonium esset invalidum. Cap. 4, de big. non ord. — (4) Taliter etiam consentire videtur, qui pacificam secundi beneficii incompatibilis possessionem consequitur. Cap. 28, de præb.; extra casus tamen in jure expressos tacita renunciatio non admittitur : ideo Honorius III, declaravit, ex facto, quo Prælatus subditos suos ab obedientia absolvit, ejus renunciationem non posse deduci. Cap. 14, de renunt. — (5) Beneficium dimittitur cum jure regressus, si is, qui dimittit, jus sibi reservet ad ipsum redeundi, ubi ille, cui confertur, præmoriatur ; cum jure ingressus, si is, qui habet titulum, ante adeptam possessionem beneficium renunciet alteri ea lege, ut, eo mortuo, possit sua auctoritate beneficium ingredi ; demum cum jure accessus, si quis beneficium obtineat pro alio ob ætatis impedimentum incapace ea lege, ut quamprimum hic capax effectus fuerit, possit beneficio accedere, et sibi habere. Pirhing de renunt. n. 11.

574. In qualibet renunciationis specie justa debet causa concurrere, ne temere solvat Episcopus spirituale conjugium, quod cum sua inivit Ecclesia (1), aut inferior beneficiatus mercenariorum more stationem sibi creditam vilipendere videatur. Hujusmodi causæ pro resignatione Episcoporum describuntur ab Innocentio III ad Archiepiscopum Calaritanum (2) ; qui Episcopi resignationem admittit : propter debilitatem corporis, propter defectum scientiæ, propter conscientiam criminis, quod episcopalis potestatis exercitium impediat, propter irregularitatem personæ, propter malitiam plebis adversantis pastorem, et propter scandalum (3). Reliquæ vero causæ præter istas pro inferiorum ministrorum renunciatione exhibentur a S. Pio V his verbis expressæ : *Episcopi... eorum dumta-*

xat resignationes admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire (4). Quibus deinde Pontifex adjungit obtinentes plura beneficia, promovendos ad aliud beneficium, volentes profiteri religionem, vel contrahere matrimonium, vel existentes in vitæ periculo ob capitales inimicitias in loco beneficii excitatas, quos omnes potest Episcopus ad renunciandum admittere (5).

(1) Cap. 2, de transl. Episc. — (2) Cap. 10 de renunt. — (3) Hæ omnes causæ in notis continentur Glossæ versiculis : *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, — Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit*. Circa has causas legendus est Ventriglia de renunc. benef. § 1, a n. 1, qui easdem causas copiose explicat. — (4) Bul. *Quanta ecclesiæ*. — (5) Ventriglia loc. cit. n. 27. Unde illæ tantum ab Episcopo recipi possunt renunciationes, quæ aliquam ex dictis causis habent, vel causam ad aliquam earum reducibilem, quia in cit. bulla Pontifex ita decernit. Causa similis, et ad illos reducibilis adhuc sufficit, quia ea est natura dictionis taxativæ, ut includat omnes casus similes, ac extranea et dissimilia excludat. Id. ib. n. 36.

575. Similiter in qualibet renunciationis specie observandum ne sit a lege prohibita, quod evenire potest: tum *ratione beneficii*, tum *ratione personæ* possidentis beneficium. Ratione beneficii resignatio a lege prohibita est in beneficio litigioso, nulla litis facta mentione (1), quia talis resignatio facta videretur in fraudem, et aliunde de jure resignantis non constat; nihilominus valet beneficii litigiosi resignatio facta in favorem collitigantis, et valet resignatio simpliciter facta liti (2). Item ratione beneficii resignatio a lege prohibita est in beneficio vacante : ideoque nemo potest resignare beneficium sibi nondum collatum, licet sit in proximo conferendum ; sed præsentatus et electus simpliciter juri sibi acquisito renuntiare non vetatur : et nemo potest resignare beneficium, cum fuit intrusus absque ullo canonico titulo, cum a jure beneficii semet adepti per factum, per delictum aut per sententiam, de quibus supra, jam cecidit, quia nemo cedere, aut donare potest, quod suum

non est, et quia nemo plus juris in alium transferre valet, quam ipse habeat (3).

(1) Cap. 2. Ut lit. pend. in 6. — (2) Parisius de resign. l. 2, q. 3. — (3) Id. l. 2, q. 22 et 23, l. 3, q. 1.

576. Deinde ratione personæ possidentis beneficium resignatio a lege prohibita est. 1° In clerico, qui, facta resignatione, aliunde non habet, quo in vita possit commode sustentari, ne cum dedecore totius ordinis ecclesiastici mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogatur (1). 2° In clerico, qui promotus fuit ad sacros Ordines sub titulo alicujus beneficii, quod nequit ob eamdem rationem dimittere, nisi facta mentione hujus tituli, et nisi aliunde habeat honeste vivendi media (2). 3° In clerico infirmo, qui si suum resignet beneficium, et intra viginti dies a die resignationis factæ moriatur, resignatio rescinditur, beneficiumque per obitum non per resignationem vacat (3). 4° In clerico, qui gerit curam animarum, aut habet onus residentiæ : hujus quidem resignatio ex stylo Curiæ non admittitur, si a brevi tempore beneficium gerat, et tunc tantum ex justa causa admittitur, cum per quinquennium, vel saltem triennium beneficium administraverit (4).

(1) Cit. bul. *Quanta* S. Pii V. — (2) Trid. sess. 21, c. 2, de ref. Quæ sub hoc et præcedenti numero dicuntur, vera sunt, cum agitur de resignatione voluntaria : nam clerici in utroque casu a jure, vel a judicis sententia eorum beneficiis quandoque privantur, vel privari possunt ; et tunc cum agatur de resignatione necessaria, nihil videtur hujus resignationis validitate obstare, ut fertur fuisse a S. Congregatione decisum, salva tamen aliqua fructuum parte, qua egenus clericus ali possit. Reiffenstuel de renunc. n. 48. — (3) Hoc inductum fuit a regula Cancellariæ *De viginti* sub n. 19, ad fraudes præcavendas, et ad excludendam in beneficiis hæreditariæ successionis speciem, quæ in resignatione pro consanguineis nimis clara appareret. Hæc regula habet locum in omnibus beneficiis, in eorum resignationibus, permutationibus, unionibus, et commendis, ad quæ omnia beneficiatus suum præstitit consensum, ac postea infra viginti dies decessit. Sed in resignante duæ notantur conditiones, infirmitatis nimirum, et mortis inde sequutæ. Circa primam quæri potest, an valeat resignatio facta a sano, qui postea infra viginti dies casu obiit? Licet plures Doctores affirment, quia regula hæc habet :

Si quis in infirmitate constitutus etc.; quæ verba videntur ad casum infirmitatis sensum restringere : verius tamen negatur : nam eadem regula hæc alia habet : *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ*, etc., et insuper hæc negativa sententia, ut ait Riganti, in praxi constantissime observatur. Ad cit. reg. n. 36. Circa secundam, quæri iterum potest, an mors sequuta debeat esse naturalis, vel sufficiat civilis, aut alia causa? Sed Doctores communiter sustinent debere esse naturalem, et non sufficere civilem, vel aliam causam. Hinc si resignans intra viginti dies uxorem ducat, beneficium vacat per resignationem, non per matrimonium. Riganti loc. cit. n. 79. — (4) Reiffenstuel de renunc. n. 63.

577. Ex jam dictis renunciatio postulat acceptationem legitimi superioris (1), qui de causa justitiæ primum cognoscit, et deinde vinculum solvit, quo clericus Ecclesiæ, aut beneficio devincitur. Per hanc acceptationem resignatio fit irrevocabilis, ita ut nullus sit amplius pœnitentiæ locus ; et si resignans beneficii possessionem nolit deserere, etiam per censuras ab eadem in perpetuum expellendus est, nisi per novam electionem aut præsentationem in pristinum jus restituatur. Si vero resignatio non sit acceptata, nulla est, et beneficium non vacat, immo beneficiatus eodem censurarum medio ad beneficii onera adimplenda potest compelli. Legimus autem superior quoad minora non exempta beneficia diœceseos, et in resignatione pura est Episcopus, etiamsi beneficia sint reservata, quo casu resignationem ipse recipit, et collationem a reservante expectat (2); quoad mojora deinde, et exempta beneficia, et in resignatione conditionata regulariter est solus summus Pontifex, quia resignationes conditionatæ imaginem videntur referre hæreditariæ successionis, et in simoniacis pactis possunt esse implicatæ, quibus solus summus Pontifex potest mederi (3).

(1) Talis esse nequit laicus quicumque sit; ideo renunciatio facta in manu laici non valet, et renuncians est beneficio privatus. Cap. 8, de renunc. — (2) Cap. 4, de renunc. — (3) Præter causam, et superioris acceptationem, ad renunciationis validitatem jus requirit adhuc renunciationis publicationem, quæ Romæ fieri debet intra sex menses, si agatur de beneficio intra montes, vel intra novem menses, si beneficium ultra montes sit. Ubi autem renunciatio fiat in manu Episcopi provisio intra tres menses sub pœna nullitatis est publicanda. Bul. *Humano vix judicio* Gregorii XIII. Præcipua hujus

egis ratio ea fuit, ne resignantes præsertim Romæ post resignationem beneficiorum fructus ulterius perciperent, neve amplius officii jurisdictionem exercerent. Hæc canonica dispositio tamquam justissima recepta fuit in Germania, teste Zallinger de renunc. § 367, recepta fuit in Gallia, immo ad acta Parlamenti registrata, Riganti ad reg. 19, Cancel. n. 174 et 261. Sed nunc in quibusdam diœcesibus hujusmodi publicatio omittitur, vel quia bulla non fuit recepta, vel quia consuetudine abrogata. Zallinger loc. cit.; hoc Garcias refert de diœcesi Abulensi, Pirhing de diœcesibus Bohemiæ. Reiffenstuel de renunc. n. 135; et nos numquam vidimus in diœcesi Genuensi similes resignationes publicari; sed forte etiamnum debent in rigore juris ubique, nulla excepta diœcesi, publicari, ut demonstrat modernus Auctor anal. jur. pont. ad an. 1855, pag. 1523 et seqq.

578. Inter conditionales renunciationes prima est, quæ fit in favorem tertii, cum nimirum beneficium resignatur sub conditione, ut certæ determinatæ personæ conferatur, et non alteri. Hæc resignatio in favorem dicitur *simplex*, cum resignans nihil sibi reservat, et *qualificata*, cum reservat sibi regressum, vel portionem fructuum, vel pensionem in beneficio resignato. Utraque est per summum Pontificem probanda, et tunc efficitur perfecta, cum beneficium illi confertur, in cujus favorem fuit resignatum, et cum resignatarius post suam acceptationem in corporalem beneficii possessionem immittitur (1).

(1) Arg. cap. 28, de præbend. in 6. Hic duo cadunt dubia. Primum, an Episcopus, qui nequit acceptare resignationem in favorem, queat eam acceptare simpliciter, rejecta conditione favoris? Responsio: alii affirmant, quia talis conditio, ut turpis rejicitur, et actus manet purus; alii negant, quia actus conditionatus consensum suspendit, et totus, ut ponitur, debet acceptari, aut totus rejici. Reiffenstuel hanc sententiam probabiliorem affirmat. de renunc. n. 121; sed S. De Ligorio utramque satis probabilem vocat. l. 3, n. 84. Secundum, an resignans saltem queat aliquem nominare, sive commendare Episcopo, quin in eodem oriatur obligatio beneficium conferendi nominato? Responsio: Reiffenstuel sententiam tuetur affirmativam ex jure Decretalium, et negativam in vim cit. bul. *Quanta* S. Pii V, in qua sub pœna excommunicationis papalis interdictum est, ne verbo, aut nutu futuri in beneficio successores ab ipsis resignantibus, aut ab aliis eorum hortatu designentur, loc. cit. n. 114; sed S. De Ligorio ait, probabiliter non esse illicitum resignanti suum Episcopo prædicto modo declarare desiderium, quia bulla intelligitur de pacto, aut conditione rigorosa actum suspendente, et aliunde resignatio fit sim-

pliciter, ubi Episcopus manet liber ad beneficium conferendum cui vult. Loc. cit. n. 83.

579. Secunda renunciatio conditionalis est illa, quæ fit cum reservatione pensionis, aut alicujus partis fructuum, aut cum pacto, ut resignatarius solvat omnes expensas, quas resignans in beneficii assecutione, vel in lite pro beneficio, vel etiam in procuranda resignatione fecit. Hoc sane pactum expresse reprobatur a jure canonico (1); et idcirco nequit absque summi Pontificis auctoritate stipulari. Neque resignans excusatur ex eo quod certet de se indemnem servando; nam numquam licet ad hunc finem simoniacum inire pactum, cujusmodi est præsens, in quo datio rei temporalis beneficii resignationem, et translationem producit (2). Datio enim rei temporalis pro beneficio absque summi Pontificis auctoritate semper simoniam importat, excepta modica datione ad redimendam injustam vexationem secundum doctrinam S. Thomæ et S. De Ligorio (3). Cæterum hic sunt repetenda quæ supra de pensionibus exposuimus.

(1) Cap. 3, de pact. — (2) Parisius l. 14, q. 7. — (3) L. 3, n. 98.

580. Tertia renunciatio conditionalis est illa, quæ fit cum permutatione. Usuvenit persæpe, ut beneficiatus beneficium mutet, et de uno transeat ad aliud : si mutatio sit simplex, translationem habemus; si vero sit duplex, ita ut duo beneficiati sibi mutuo proprium cedant beneficium, habemus permutationem. Translatio sacris est inimica canonibus præcipue in Episcopo, qui spirituale conjugium contraxit cum sua Ecclesia, cujus dicitur sponsus, et deinde in beneficiatis reliquis. Sacri revera canones translationes de una in aliam Ecclesiam veluti adulteria damnarunt, ne quis forte posset, virginis pauperculæ relicta societate, ditioris adulteræ societatem quærere. Nihilominus, concurrente justa causa, et quocumque alio impedimento cessante, potest summus Pontifex Episcopos, nec non beneficiatos minores suæ diœcesis Episcopus transferre, quia sæpe evenit, ut qui in uno loco minus est utilis, alibi se valeat utilius exercere. Sed in hoc, quantum fieri potest, curandum, ut

translatio detur, de minori ad majus beneficium, ne Archiepiscopus *episcopare,* aut *dearchiepiscopare* cogatur, ut scribit Innocentius III (1). Verum ut per se liquet, sine gravissimo scelere nemini licet propria auctoritate aliud beneficium invadere, et qui hoc attentaverit, illico et omnino a cathedra debet expelli aliena, et carere propria, ut nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per superbiam et avaritiam concupivit (2).

Permutatio eumdem requirit auctorem ac translatio, sed ex causa minori, et quandoque ad solum personarum intuitum permittitur. Hinc Episcopus potest probare permutationem beneficiorum suæ diœcesis, etiamsi unum sit curatum, et aliud simplex, modo neutrum sit reservatum (3). Si vero beneficiati propria auctoritate beneficia permutent, nedum frustra in permutatione operantur, sed beneficiis prius possessis per definitivam sententiam sunt spoliandi (4). De renunciationibus denique conditionalibus per ingressum, regressum, et accessum non agimus, quia a summo Pontifice, a quo tantum possent procedere, non solent concedi.

(1) Cap. 1, de transl. Episc. — (2) Ita tradunt Doctores ad tit. de transl. Episc. — (3) Cap. 5, de rer. permut. — (4) Cap. 7, eod.

581. Resignatio pura effectum producit absolutum, quamquam per procuratorem peracta exhibeatur, et resignans omne amittit jus ad beneficium, quod repetere amplius nequit (1); in resignatione vero conditionali regulariter effectus est, deficiente conditione, resolubilis. Hinc qui resignavit in favorem tertii, ad se beneficium revocat, si alteri, quam designato tertio realiter conferatur; item qui sub pensionis reservatione resignavit, ad beneficium habet regressum, si pensio ei non solvatur; ac demum qui post habitum de permutando tractatum cum aliquo, actu suum resignavit beneficium sub permutationis specie, in pristinum jus restituitur, si alius postea æque non resignaverit, vel alteri quam sibi datum fuerit beneficium ab eo resignatum. Ratio autem horum est, quia conditio ita suspendit actum, ut, ea impleta, valeat, et, ea deficiente pereat, in quo concordant utriusque juris dispositiones.

Insuper ad veram hujus effectus æstimationem videndum, an resignatio facta sit soli beneficio, retenta dignitate, vel beneficio, et dignitati simul. Nam si Episcopus renunciaverit beneficio, retenta dignitate, potest actus ordinis episcopalis, alio rogante, vel permittente Episcopo, facere. Si autem renuntiaverit simul beneficio et dignitati, nequit amplius licite actus ordinis exercere, quamvis continuo retineat ordinis characterem (2).

(1) Cap. 3, de renunc. et Clem. unic. eod. — (2) Cap. 1, de ordin. ab Episc. etc.

TITULUS XXIV.

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

Summarium : 582. Decimæ, quid sint, et a quo institutæ? — 583. Quomodo dividantur? — 584. A quo, et cui de jure debeantur? — 585. A quibus possint per privilegium, aut præscriptionem obtineri? — 586. Ab Ecclesia dependent, et sunt obligatoriæ. — 587. Solvendæ sunt juxta consuetudinem. — 588. Quid consuetudo, et leges civiles hodie circa decimas effecerint? — 589. Quid sint primitiæ, et quando perciperentur in lege veteri? — 590. Quomodo debeantur in lege nova? — 591. Quotuplex sit oblationum genus? — 592. Circa oblationes laudabiles consuetudines sunt servandæ. — 593. Licet eas accipere, sed non extorquere. — 594. Cui factæ oblationes debeantur?

582. Inter temporales Ecclesiæ res post beneficiorum fructus præcipuum tenent locum : Decimæ, Primitiæ et Oblationes, quæ Ecclesiis earumque ministris offeruntur. Decimarum nomine intelligitur decima pars, vel alia quota fructuum Deo in recognitionem dominii universalis, ejusque ministris in propriam sustentationem debita. Prima hujus definitionis pars probatur ex Levitico, ubi legimus : *Omnes decimæ terræ, sive ex frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, et illi san-*

ctificantur (1). Secunda vero probatur ex Libro Numerorum, ubi hæc invenimus : *Filiis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis* (2). Decimæ fuerunt ab ipso Deo per Moysem populo Hebræorum impositæ, et consistebant in decima parte fructuum, ex quo decimæ sunt appellatæ. Sed Ecclesia eam explicans legem juris naturalis, et divini, qua ministris, et operariis suis necessaria ad vitam suppeditanda sint (3), ab antiquis temporibus decimas probavit (4), non in decima parte, sed in minori fructuum quota (5), solvique jussit ; et in subtrahentes decimas vel solvi impedientes pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ postea intulit, a qua reus absolvi non potest nisi facta plena decimarum restitutione (6).

(1) Levit. cap. 27, ℣. 30. Hinc ob respectum, quem decimæ habent ad Deum prius solvendæ sunt, quam alii census, et tributa, et juxta formam loquendi moderni fori civilis dici possent privilegiatæ. Cap. 33, de decim. — (2) Num. cap. 18, ℣ 21. In veteri quidem lege tribus Levi, quæ stabat coram Deo in ministerio, non habuit partem cum fratribus suis. Deut. cap. 10, ℣. 8, ideo adjuvata fuit decimis, ut posset vitam agere. Apostoli vero et sacerdotes in nova lege prohibiti sunt a possidendo aurum, vel argentum ; sed tanquam ministri, et operarii regni cœlorum declarati sunt digni mercede sua, et jussi sunt manducare, quæ exponerentur eis. Matth. 10, Marc. 6, Luc 10. — (3) Hinc ad rem S. Paulus aiebat : *Quis militat suis stipendiis umquam ? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat ?... Si nos spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus ?... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt : et qui altari deserviunt, cum altari participant ? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* I Ad Corinth. 9. — (4) Unde S. Augustinus aiebat : *Vivo de decimis, et altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar.* — (5) S. Canones secundum consuetudinem decimas statuunt. — (6) Trid. sess. 25, c. 12, de ref.

583. Decimæ dividuntur in *personales*, et *prædiales*. Personales sunt, quæ solvuntur ex omnibus rebus opera, aut industria acquisitis, veluti ex lucro negotiationis, ex artificio, ex liberali professione, ex militia, ex piscatione, ex venatione, etc.

modo industria sit licita, et justa acquisitio : nam hostiæ impiorum sunt abominabiles, et quidquid ex scelere offertur, Omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat, cum scriptum sit : Honora Deum de tuis justis laboribus (1). Prædiales vero sunt decimæ, quæ solvuntur ex fructibus prædiorum tam rusticorum, quam urbanorum, ut ex tritico, vino, oleo, et pretiis locationum. Unde ex agro non culto, ex domo non locata vel a domino inhabitata, nullæ solvuntur decimæ, quia nulli sunt fructus (1).

(1) Can. 27, c. 1, q. 1. — (2) Doctores alias afferunt decimarum divisiones, nimirum : 1° inter personales, et prædiales collocant *mixtas*, ut in lacte, lana, aliisque rebus, quæ partim a natura, et partim ab hominum industria proveniunt, quas putamus prædialibus accensendas ; secus idem dicendum foret, de tritico, et vino ; et aliunde Pontifex tantum personales, et prædiales decimas nominat. Cap. 20, de decim. 2° Recensent decimas *antiquas* et *novales* ; illas deducunt ex agris ab antiquo culturæ suppositis ; istas ex agris noviter cultis. 3° Distinguunt decimas in *ecclesiasticas* et *laicales*. Istæ etiam profanæ appellantur, et persæpe tributorum locum tenent.

584. Ex jure, decimæ personales ab omni fideli non exempto solvendæ sunt illi parocho, a quo Sacramenta suscipit, etiamsi regia, vel imperatoria dignitate fulgeret ; prædiales vero ab omni fidele, et infideli illi parocho, in cujus parochia sita sunt prædia, nisi aliter ex consuetudine sit firmatum, cujus maximum est pondus in hac re (1). Porro ad prædiales decimas solvendas tenentur etiam infideles et Judæi, quia hoc onus reale est, prædiumque sequitur in quemcumque possessorem transeat (2).

(1) Cap. 20, de decim. — (2) Cap. 16, eod. Regulares decimas solvunt de prædiis, quæ decimis subjiciebantur, antequam ad eorum manus venirent, ne Ecclesiæ occasione privilegiorum regularium nimis prægraventur. Cap. 34, eod. ; de animalibus vero, hortis circa clausuram, et de agris noviter ab eis excultis decimas non solvunt. Cap. 10 et Clem. *Religiosi* eod.

585. Præter parochum, qui a lege communi ad omnes parochiæ decimas jus, et fundatam in jure intentionem habet, ut

hoc medio sibi, Ecclesiæ suæ, clericis, et pauperibus suis queat opportune consulere, alii clerici sæculares, ac regulares obtinere possunt jus decimandi. Hoc quidem jus possunt obtinere per privilegium Apostolicum, per prescriptionem XL annorum cum titulo, et bona fide, per permutationem cum aliis decimis, vel alio jure spirituali, et per transactionem legitime factam, quæ obligat tantum partes, si facta sit absque superioris auctoritate, qua cum auctoritate etiam successores devincit (1). Transitus decimarum a parocho ad alios clericos, quo felicior in exordio fuit ad pauperum clericorum inopiam sublevandam, eo exitiosior fuit fine : nam decimæ a clericis translatæ fuerunt quoque ad laicos, præsertim nobiles et potentes, pro quibus ad remuneranda eorum in Ecclesiam et Religionem beneficia, summi Pontificis auctoritate veluti *sæcularizatæ* (2) fuerunt, et ita illis infeudari cœperunt, ut tamquam bona patrimonialia et privata possent ad hæredes transmitti. Gravissimis hujuscemodi malis occurrere satagerunt concilia tam particularia, quam generalia, sed maxime Lateranense III in quo ejusdem Patres hæc decreverunt : *Prohibemus, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, et Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur* (3).

(1) Cap. 2 et 8, de transact. — (2) Cum laici officii spiritualis capaces non sint, nequeunt decimas pro spirituali ministerio obtinere. ideo simpliciter concessum est eis jus percipiendi emolumenta decimarum, quæ propterea dictæ sunt laicales, temporales et sæcularizatæ. — (3) Hæc tamen prohibitio sic universaliter fuit interpretata, ut non liceret laicis novas acquirere decimas, sed eisdem liceret antiquas retinere ; et hanc interpretationem Ecclesia toleravit necessitate forte potius quam voluntate.

586. Decimæ ecclesiasticæ pendent omnino ab auctoritate Ecclesiæ tam in earum institutione, quam in cessatione : nam ad Ecclesiam pertinet definire quando, et in quantum per decimas ministrorum suorum vitæ, et sustentationi consultum sit (1). Idcirco Potestates sæculares, ut non possunt imponere decimas ecclesiasticas, sic non valent ab iisdem liberare, sicut Innocentius III Episcopo Vercellensi aperte declaravit (2). Cum

vero fuerunt legitimæ constitutæ ex præcepto Ecclesiæ strictam pariunt obligationem, ad quam implendam fideles etiam per censuras cogi possunt (3) ; et hac de causa damnata fuit 18 propositio Wiclefi, qui ita asserebat : *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre* (4).

(1) Ecclesia primis sæculis nullas præscripsit decimas, quia clerici ex fidelium oblationibus sponte factis necessaria ad vitam consequebantur ; sed postea, his imminutis oblationibus, necesse habuit, decimas pro clericorum sustentatione instituere. Devoti l. 2, t. 16, § 3. — (2) Cap. 25, de decim. — (3) Cap. 5, 6, et alib. de decim. et Trid. loc. cit. — (4) Hic animadvertimus, decimas impositas a Principibus sæcularibus, vel quandoque a summo Pontifice ad fines civiles non esse veras decimas, sed potius collectas, taxas aut tributa.

587. Obligatio decimarum dimetitur a vigente consuetudine : nam, secluso casu necessitatis pro clericorum alimoniis, in quo intrat jus naturale et divinum, Innocentius III in concilio generali Lateranense IV declaravit, decimas solvendas esse *ex loci consuetudine approbata* (1). Hinc per consuetudinem ex communi sententia Doctorum decimæ possunt minui, vel etiam extingui, modo aliter haberi queat clericorum sustentatio, contra quam nulla consuetudo vim consequi potest, cum eidem jus naturale semper resistat, tam ut inchoetur, quam, ut perficiatur (2).

(1) Cap. 32, de decim. et concordat cap. 18 et 20 eod. — (2) Pirhing de decim. n. 126.

588. Ob hanc consuetudinem hodiernis temporibus certum est, decimas personales fere ubique abrogatas fuisse, et decimas prædiales imminutas (1), nec non et eas, quæ ex prædiis urbanis percipiebantur, omnino cessasse (2). Item certum est, in multis regionibus decimas omnes prorsus fuisse a medio sublatas (3). Hoc quidem factum est ob inductam consuetudinem, postquam clericis per beneficia, legata, pensiones, aut alio modo fuit sufficienter provisum, ut de Italia post Suarez affirmat Pirhing (4). Sed ad hoc accesserunt etiam leges civi-

les, quæ decimas, quantum possunt, de facto interdicunt, quæque pensionem annuam, sive congruam ex ærario publico parochis assignant (5). Nihilominus, si in aliquo casu parochus non haberet necessaria ad vitam, et nullum aliud esset necessitati remedium, posset adhuc Episcopus decimas ejus parochianis imponere, cum in casu nullius roboris sit consuetudo contraria, et aliunde leges civiles jura sustentationis tollere nequeunt (6).

(1) Giraldus ad cap. 20, de decim. — (2) Devoti l. 2, t. 16, § 6. — (3) Id. ibid. — (4) De decim. n. 128. — (5) Leges Gallicanæ anni 1789 triste dederunt exemplum abolitionis decimarum, quod tristius adhuc aliæ regiones sunt sequutæ. — (6) Leges civiles directe abrogarunt decimas feudales, et indirecte decimas ecclesiasticas : at salvam voluerunt parochorum sustentationem, quibus propterea assignaverunt congruam. Quod si hæc deficiat, vel non sufficiat, dictæ leges non videntur Episcopo prohibere necessariam decimarum impositionem parochianis ad parochum alendum. Revera plura in Gallia tribunalium civilium decreta, statuerunt, Majorem communitatis, etiam auctorante Præfecto, non posse prohibere collectas tritici, vini, aliorumque fructuum a parochianis pro parocho factas ad illius supplendam nimis tenuem præbendam; quod etiam nunc in usu esse in plerisque Galliæ diœcesibus testatur Doctor André in cur. jur. can. verbo *Dîmes* § 6. Simile occurrit in Genuensi diœcesi, in qua ex defectu congruæ quædam decimæ a parochianis parocho offeruntur in aliquibus locis non solum ex prædiis, sed etiam quandoque ex fructibus industriæ, ut a lucris navigationis in navis magistro, et nautis, quæ Ecclesiæ parochiali attribui solent. Decimæ demum vere sunt collectæ, quæ ex universo orbe nunc pro Pontifice summo, et Ecclesia fiunt sub nomine *Denaro di S. Pietro*, ad quas omnes videntur obligari, nam summa, et alio modo irreparabilis est necessitas.

589. Decimis similes sunt Primitiæ, quo nomine intelliguntur primi terræ fructus, qui a fidelibus Deo in gratiarum actionem, ejusque ministris in sustentationem exhibentur. Primitiæ in veteri lege præceptæ fuerunt (1), et tribus anni temporibus offerebantur, nempe in Paschate de novis spicis, in Pentecoste de novis panibus, et in festo Tabernaculorum de novis fructibus (2). Quota vero earum non erat determinata, ut sentit D. Hieronymus, et liberaliores quadragesimam, ac minus liberales sexagesimam fructuum partem afferebant (3).

(1) Exod. 23. — (2) Deuter. 16, Levit. 23. — (3) Gonzalez ad cap. 1, de decim. n. 4. Primitiæ principaliter offeruntur in gratiarum actionem pro beneficiis a Domino acceptis maxime in concessione fructuum.

590. Licet nullum sit in Evangelio præceptum offerendi primitias, et præceptum legis Mosaycæ cessaverit, cum fuerit mere positivum et cæremoniale; tamen sancta Ecclesia ab antiquis temporibus primitias probavit (1); immo forte prius in Ecclesia in usu fuerunt primitiæ, quam decimæ, cum illæ principaliter ad actum pietatis, et divini cultus referantur. Quantitas tamen primitiarum numquam fuit ab Ecclesia determinata nisi consuetudine ; et idcirco ubi hæc desit, non sunt amplius solvendæ, ubi vero viget, sunt etiamnunc Parocho offerendæ (2).

(1) Can. 6, dist. 32, can. 65, c. 16, q. 1. — (2) Primitiæ tamen in necessitate clericorum fieri possunt necessariæ.

591. Præter decimas, et primitias aliæ adhuc fieri solent Ecclesiæ ministris oblationes in Ecclesia, sive extra. Triplex considerari potest harum oblationum genus. Primum eas comprehendit oblationes, quæ olim fiebant ad altare tempore divini Sacrificii, quando panis, et vinum offerebatur, ex quibus conficiebatur sacrosancta Eucharistia (1). Secundum comprehendit oblationes, quæ in Ecclesiæ gazophylacio, aut in ejusdem Ecclesiæ arca, aut ad domum Episcopi vel parochi olim fiebant, et nunc quandoque fiunt, quæ in pecunia, vel in alia re mobili consistentes pro necessariis ad divinum cultum, vel ad clericorum sustentationem, vel ad fabricam Ecclesiæ vel denique ad levamen pauperum a fidelibus deponuntur. Tertium tandem comprehendit oblationes, quæ similiter in pecunia, vel alia re mobili consistentes occasione baptismatis, nuptiarum, benedictionum, funerum, aut alterius sacri ministerii parocho fiunt, quæ *jura stolæ parochialis* appellari solent (2).

(1) Tunc omnes fideles communicantes quamdam pānis et vini quantitatem ad altare offerebant, et ex oblationum massa ea assumebatur pars, quæ ad sacrificium erat necessaria, et quod supererat in substentationem cedebat clericorum. Simul permissum fidedibus

erat offerre novas spicas, uvam, incensum et oleum pro luminaribus, cujus rei speciem habemus in candelis, quæ a fidelibus ad altare afferri sæpe solent, ut in conspectu Domini ardeant. Sunt etiam qui putant, fuisse tunc permissum ad altare offerre pecuniam, ex quo ortam fuisse ferunt missarum eleemosynam. Benedictus Papa XIV, de Synod. 1, 5, c. 8, n. 1; verum oblationes non recipiebantur eorum, qui adhuc erant in publica pœnitentia, qui excommunicationi erant obnoxii, qui ab Ecclesia dissidebant, quique opprimebant pauperes Card. Soglia Inst. jur. priv. § 73; item non accipiebantur oblationes ab usurariis. Cap. 3, de usur. a raptoribus. Cap. de rapt. a sacrilegis. Can. 17, c, 12, q. 2; a publicis meretricibus, etc.. (2) — Sub his tribus oblationum generibus comprehenduntur omnes oblationes stricte sumptæ.

592. Oblationes ex primitiva institutione erant voluntariæ. in quo differunt a decimis et primitiis, quæ fuerunt præceptæ. In hoc statu diu perseverarunt; nam Concilium Lateranense III sub Alexandro III districtius prohibuit, ne *pro sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, aut collatis aliquid exigatur* (1). Idem in sequenti concilio Lateranensi IV sub Innocentio III confirmatum fuit, dum super his oblationibus *pravas exactiones fieri prohibuit*; sed eodem tempore *pias consuetudines* aliquid offerendi præcepit observari, statuens, *ut libere conferantur ecclesiastica Sacramenta*, et ut loci Episcopus, veritate cognita, eos compesceret, *qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare* (2). Demum Tridentinum Episcopis mandavit, ut omnino prohiberent circa has oblationes *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro novis missis celebrandis datur, nec non importunas, ac illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes*, quia hæc a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt (3).

(1) Cap. 9, de simon. — (2) Cap. 42, eod. — (3) Trid. sess. 22, in decret. de observ. et evit. etc.

593. Ex his juris principiis deducendum esse videtur, illicitum esse has oblationes *exigere et extorquere* ut loquitur citatus Innocentius Papa III; sed licitum esse eas sponte oblatas *acceptare et etiam postulare*, ut videtur innuere Tridentinum, quando tamen adest pia et laudabilis consuetu-

do totius, aut majoris partis populi : quo casu si postulatio suum non consequatur effectum, potest ad Episcopum haberi recursus, ut renuentem oblationem dare suæ satisfacere obligationi cogat. Ipse vero parochus propter negatam oblationem cavere diligenter debet, ne ministerio suo impedimenta fictitia apponat, sicut illum severe monet citatus Pontifex, et præcipue ne umquam hac de causa ministerium suum recuset. Duo enim videntur citati sacri canones hac in re constituere velle : parochos nimirum non debere, nec posse has oblationes tamquam ex justitia debitas prætendere, ne avaritiæ, aut simoniæ suspicionem incurrant ; et laicos ex charitate, et post judicium Episcopi etiam ex justitia (1) ad eas oblationes subministrandas teneri, ne, ut loquitur idem Pontifex, *sub prætextu canonicæ pietatis, et ex fermento hæreticæ pravitatis consuetudinem infringant erga Sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam* (2).

(1) Sic missarum eleemosynæ omnino debentur, vel quia promissæ, vel quia ab Episcopo in sua synodo probatæ et taxatæ ; sed summam taxata majorem nequit sacerdos exigere, alioquin delinqueret nedum contra legem Ecclesiæ, sed etiam contra justitiam commutativam. Benedictus XIV, de Synod. l. 5 c. 9. n. 2. — (2) Neque posset juste opponi, similes consuetudines esse simoniaca labe infectas, aut tamquam mere voluntarias non esse obligatorias : nam quod offertur non datur ut pretium ejus, quod recipitur ; sed ut præmium laboris, et stipendium sustentationis ; et licet sit utriusque juris principium quod ex facultativis non oritur obligatio, hoc patitur limitationem, quando ex ipsis facultativis voluntas se obligandi præsumitur, ut in casu proposito, in quo fideles parocho sua temporalia offerunt, ut ab eo vicissim Dei spiritualia recipiant.

594. Oblationes ex jure communi illi addicuntur parocho, in cujus parochia factæ fuerunt, quia factæ præsumuntur ob curam spiritualem, quæ ibi parocho incumbit ; immo tales oblationes factæ tempore ecclesiæ vacantis ex regula generali futuro reservandæ sunt parocho, detracta tamen ex iis, si necesse fuerit, congrua pro œconomo necessaria. Sed ex offerentium voluntate, vel consuetudine possunt ad ecclesiam parochialem, vel ad alias personas, aut ecclesias spectare (1). Hinc hodiernis temporibus extra controversiam positum est,

oblationes factas in monasteriis ad Religiosos pertinere, et oblationes factas in oratoriis, vel in aliis piis locis ad eos spectare, qui oratorium, vel pium locum administrant, etiamsi administratores laici sint, modo absit usurpationis suspicio, et in pios usus convertantur (2).

(1) Juxta Monacellum sola consuetudo decennalis vim habet ad oblationes obligatorias reddendas, et ad eas de uno in alium transferendas. Part. 2, tit. 14, for. 1, n. 15. — (2) Qui oblationes recipit, munus per se, aut per alium perficere tenetur, propter quod oblationes factæ sunt. Hinc parochus, aliique sacerdotes et clerici, qui de exequiis mortuorum participant, tenentur iisdem assistere, pro mortuis orare, officium recitare, aut missam canere ; alias fructus non faciunt suos, nec possunt eos percipere. Hoc jam designaverat concilium Pariense anni 1850, sed nuperrime definivit S. Congregatio Rituum 9 maii 1857, quæ specialiter declaravit, his funerum oblationibus frui non posse clericos, qui licet exequiis præsentes sint, alias tamen pro lubitu preces fundunt, vel Breviarium recitant pro sua quotidiana obligatione. Auct. Prælect. jur. can. tom. 3, n. 548.

TITULUS XXV.

DE JURE ECCLESIÆ AD BONA TEMPORALIA.

SUMMARIUM : 595. Ecclesia ad bona temporalia jus habet. — 596. Etiam ad immobilia sibi relicta. — 597. Sedatis persecutionibus, plenum jus proprietatis libere exercuit. — 598. Bona Ecclesiæ bona Christi sunt. — 599. Jus Ecclesiæ ad sua bona comprehendit maxime D. Petri patrimonium. — 600. Item temporalem summi Pontificis principatum. — 601. Ad quem spectet bonorum ecclesiasticorum dominium? — 602. Quis hoc dominium exerceat? — 603. Principes sæculares ad hæc bona nullum habent jus. — 604. Nec possunt juste Ecclesiam a bonorum acquisitione prohibere per legem *amortizzationis*, vel alio modo. — 605. Episcopi sub dependentia a Papa sunt bonorum ecclesiasticorum administratores. — 606. Quomodo hæc administratio concedatur beneficiatis, et aliquando laicis? — 607. Quid dicendum de administratione parochialium per ædituos a lege civili constitutos? — 608. Ad quid teneantur bonorum ecclesiasticorum administratores?

595. Hanc partem jam supra attigimus, cum de fructibus beneficiorum, de decimis, primitiis et oblationibus egimus; sed discussio in rebus, sive bonis temporalibus versabatur, quatenus cum jure spirituali conjungebantur. Nunc eadem bona consideramus in se, et veluti a jure spirituali sejuncta.

De jure Ecclesiæ ad bona spiritualia nemo esse potest, qui dubitet, cum Ecclesia a Jesu Christo eo fine maxime instituta sit, ut divina charismata super homines effundat. At jus ad bona temporalia his maxime calamitosis temporibus brevi saltem expositione et demonstratione indiget.

Cum Ecclesia sit societas hominum perpetua, et regnum indeficiens in mundo, non tamen de mundo, necesse est, ut habeat temporalia bona, sine quibus nec homines vivere, nec regnum subsistere potest. Christus enim Ecclesiæ institutor, qui voluit, ut perpetuo esset, ei dare quoque debuit, ex quo esse posset, eamque divino suo auxilio, et temporalibus bonis

communire, ut ad hominem efficiendum animam communivit corpore. Nec defuit Dominus, nam teste sancto Paulo, ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, seminare spiritualia, et carnalia metere (1). Civile sane imperium pluribus temporalibus bonis, id est possessionibus communibus, ærario publico, et tributis, vel taxis impositis abundat, ut Reipublicæ necessitatibus queat consulere ; sic Ecclesia ad divinum cultum promovendum, ad mores dirigendos, et ad pauperibus opitulandum, præter manuales fidelium oblationes bona immobilia, et ærarium sacrum requirit ; tanto autem rationabilius hæc bona requirit, quanto ipsa, suique ministri negotiis sæcularibus implicari non possunt, cum Deo tantum militare debeant (2). Unde si sacrum et inviolabile est Reipublicæ patrimonium, quanto sacratius, et inviolabilius erit patrimonium Ecclesiæ, cum illud ad temporalem felicitatem in quodam determinato terrarum circuitu ; hoc vero etiam ad æternam felicitatem in toto orbe terrarum comparandam sit institutum ?

Cum Christus Dominus divinam suam prædicationem inchoavit, et Apostolos, ac Discipulos testes et comites suæ prædicationis secum assumpsit, alimenta noluit pro se, suisque ab argento, quod proprium deferrent in zonis suis, accipere, sed a massa communi oblationum fidelium : nam illis interdixit, ne quid in particulari possiderent, non argentum, non duas tunicas (3), ne solliciti essent de crastino (4) ; immo suasit ut venderent omnia, quæ possiderent, et darent pauperibus (5). Collectas itaque primum inter fideles ipse instituit, loculos habuit, qui pecuniam collectam servarent : *Habebat Dominus loculos*, ait S. Augustinus, *et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat* (6). Fiscus plane Reipublicæ sæcularis solet a tributis subditis invitis impositis conflari; sed fiscus Reipublicæ Domini ab oblationibus a fidelibus sponte factis incepit. Unde idem S. Doctor subdit, *tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta* (7). Et quidem Christus Ecclesiæ sponsæ suæ hanc primum dotem assignavit, et hoc exemplo docuit, ipsam jus ad bona temporalia mobilia, et immobilia habere, et in perpetuum retinere, ut tradit Glossa ad dictum sancti Augustini locum (8).

(1) I ad Corinth. 9. — (2) II ad Timoth. 2. — (3) Math. 10. — (4) Id. 26. — (5) Id. 19 Hæc et similia dixit Dominus, ut explicat S. Augustinus, *non ut nihil pecuniæ servetur a sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur, aut propter inopiæ timorem justitia deseratur*. Can. 17, c. 12, q. 1; vel ut explicat S. Prosper, *quia expedit facultates Ecclesiæ possideri*, et proprias perfectionis amore contemni. Can. 13, c. 12, q. 1; ubi sanctus vir affert exemplum sanctorum episcoporum Paulini, et Hilarii, quia propria vendiderunt pinguia patrimonia, pretiumque pauperibus erogarunt, dum Ecclesiæ patrimonium retinuerunt, fideliter administrarunt, ac multis acceptis fidelium hæreditatibus auxerunt, quorum exemplum secuti sunt innumeri sancti Episcopi, qui bona sua contempserunt, et bona Ecclesiæ diligentissime curare, et strenue vindicare studuerunt. — (6) Cit. can. 17, c. 12, q. 1. Loculorum nomine intelliguntur communiter crumenæ, vel marsupia, a sancto Augustino tamen intelligitur *Fiscus Reipublicæ Domini*. In psal. 146, n. 17. — (7) Cit. can. 17. — (8) Propterea merito damnatæ fuerunt sequentes duæ propositiones: *Ecclesia non habet nativum, et legitimum jus acquirendi, et possidendi*. Syllab. prop. 26. *Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi*. Ib. prop. 27.

596. Domino in terris adhuc agente, bona Ecclesiæ temporalia jam abundasse probabilissimum est : nam frequentes erant oblationes (1), et Apostoli in tanta fidelium multitudine graves perferebant expensas (2). At vero post Domini Ascensionem in cœlum S. Paulus Corinthiis et Galatis mandavit, ut unusquisque fidelis per unam sabbati partem suam apud se sepositam sanctis offerret (3); et insuper credentes possessiones suas, et substantias vendebant, ut earum pretia possent Apostolis tradere (4). Vita inde functis Apostolis, juxta Gratianum S. Pius I, circa medietatem sæculi secundi in patrimonio Ecclesiæ recenset *prædia divinis usibus tradita;* et S. Urbanus circa initium sæculi tertii in eodem patrimonio admisit *hæreditates, et agros*, quia prædia Ecclesiæ tradita plus ei afferunt utilitatis, quam venditionum pretia (5). Sed illud certum est, et præmissa confirmant, quod ex edicto Constantini, et Licinii anni 313 ethnici jussi sunt Christianis restituere *omnia quæ ad ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus, aut possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcumque alia* (6).

(1) Tertulianus in Apolog. c. 39. — (2) Cibos emebant magna

emenda pretii, et judicarunt ad alendam turbam quinque millium hominum panes pro ducentis denariis esse necessarios. Luc. 9, Marc. 6, et Joan. 4.—(3) I ad Corinth. 16.—(4) Act. Apost. cap. 2, ℣. 45, et cap. 4, ℣. 34.—(5) Can. 5, c. 12. q. 2. Can 16, c. 12, q. 1; in quo Pontifex declarat, hoc modo ita auctum fuisse Ecclesiæ patrimonium, ut inter fideles nullus esset amplius indigens. Novimus a criticis transactæ ætatis hos canones repudiari; sed in decreto Gratiani jussu Gregorii XII evulgato reperiuntur, et a Doctoribus adhuc citantur, et si non probant ut decreta Pontificum, ut monumenta historiæ probant.—(6) Doctores communiter hoc edictum referunt, quod evidenter demonstrat, Ecclesiam ante Constantini tempora bona immobilia possedisse per se, vel per interpositas personas ob furorem persecutorum, Mamachius Del dirit. lib. della Chies. etc. l. 2, c. 2, § 8.

597. Demum Ecclesia per imperatorem Constantinum a persecutionum captivitate liberata divinam suam constitutionem publice explicavit, inter societates, et personas morales primum obtinuit locum, et juribus omnibus civilibus uti ac frui libere cœpit. Propterea ex eo tempore jure proprietatis sua vindicare, et per actus inter vivos, vel ultimæ voluntatis sibi donata, vel relicta mobilia, aut immobilia acquirere, eaque omnia civiliter, et legitime administrare potuit. Primus ipse Constantinus Ecclesiæ immensa donaria obtulit (1), et deinde alii Reges et Principes, ac ditiores fideles tanta eidem munera, et adeo vastas possessiones donarunt, ut brevi Ecclesia per totum mundum ditissima evaserit (2).

(1) Can. 15, c. 12, q. 1. — (2) Ecclesiæ divitias reprobant hæretici, ut Valdenses, et Wiclefitæ, quibus adhærent Jansenistæ; et quidam etiam ex catholicis Ecclesiæ divitias non laudant, quia sæculum magis, quam Deum diligunt. Sed hi S. Joannem Chrysostomum audiant sic dicentem: *Cum facultatum Ecclesiæ magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitates.* Homil. 21, ad I Corinth; et nobis, quæso, explicent, quare regnum temporale numquam habeat satis, et Ecclesia semper nimis?

598. Bona Ecclesiæ temporalia præter eam qualitatem, quæ omnibus temporalibus bonis inest, aliam habent desursum a Deo acceptam causa religionis: nam Deo principaliter, et Ecclesiæ in consequentiam offeruntur, vel Jesu Christo offerun-

tur, et ejus sponsæ Ecclesiæ. Idcirco novam conditionem induunt, per quam veluti sancta habentur (1), et a sacris canonibus appellantur, *res dominicæ*, *res Deo sacræ*, *res Dei* (2), *patrimonium*, *pecunia, et substantia Christi*, *vel Crucifixi* (3), *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *patrimonium pauperum* (4), etc., quæ omnia manifeste demonstrant, bona Ecclesiæ non esse tantum Ecclesiæ, quantum Christi sunt (5). Quam ab causam, qui ea aufert, vel fraudat, nedum fur est, si secreto, et raptor, si publice id faciat, sed continuo et rebellis in Deum et Ecclesiam, et sacrilegus (6).

(1) Bonifacius Papa I in can. *Nulli liceat* 3, c. 12, q. 2 ; qui canon a Pio VI affertur in responsione ad episcopos Galliæ, 10 martii 1791, ut videre est apud Theiner docum. ined. tom. 1, n. 19, et hæc habet : *Nulli liceat ignorare*, *quod omne*, *quod Domino consecratur*, *sive fuerit homo*, *sive animal*, *sive ager*, *vel quidquid fuerit semel consecratum*, *sanctum sanctorum erit Domino*, *et ad jus pertinet sacerdotum*. Quod, ut explicat ibidem Glossa, dicitur *sanctum*, quia Ecclesiæ deputatum, *sanctorum*, id est sacerdotum, atque *Domino*, id est in honorem Domini. Hæc sanctarum rerum, et personarum acceptio non deerat apud Romanos, qui sancta habebant mœnia civitatis, et sanctos tribunos plebis, et qui his vel levissimam fecisset injuriam, capitis adibat periculum. Heineccius in Recitat. l. 2, t. 1, § 328. — (2) Can. 21, c. 12, q. 1. Concilium Nicen. II, act. 7, can. 12, et Trid. sess. 25. c. 1, de ref. — (3) Cap. 16, de præbend. — (3) Can. 59, c. 16, q. 1. — (5) Quia ut docuerunt Patres concilii Troslejani in Gallia anno 909, in can. 4 : *Christus*, *et ejus Ecclesia una est persona*, *et quæcumque Ecclesiæ sunt*, *Christi sunt*. — (6) Immo juxta S. Anacletum in can. 6, c. 12, q. 2 : *Qui Christi pecunias*, *et Ecclesiæ rapit*, *aufert*, *vel fraudat*, *homicida est*, quia, ut explicat. Glossa, patri, et matri suæ injuste alimenta subtrahit : unde juxta antiquos canones in quadruplum, vel in declupum sacrilegus iste puniendus erat. Can. 7 et 10, c. 12, q. 2.

599. Jus ecclesiæ ad sua temporalia bona comprehendit omnia mobilia et immobilia, jura, et actiones, quæ in Ecclesia sunt, et aliquid temporalis utilitatis habent ; sed primo, et principaliter bona Ecclesiæ Romanæ, sancti Petri patrimonium, ac temporalem summi Pontificis principatum comprehendit : nam jus, quod in Ecclesiis minoribus observatur, in Ecclesia Romana omnium matre, et magistra est observandum, quia parum prodesset servare membra, et perdere caput, a

quo vita in omnia membra diffunditur. Profecto *sancta Romana Catholica et Apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est ; sed evangelica voce Domini, et Salvatoris nostri primatum obtinuit* (1). Et ideo ab initio præ cæteris ampliora bona, et in universo mundo obtinuit (2); ac posterioribus temporibus arctiori vinculo sua bona fuerunt constricta, cum in ipsis cadat tantum centenaria præscriptio, dum in aliis aliarum Ecclesiarum bonis, sola quadragenaria sufficiat (3).

(1) Can. 3, dist. 21. Hac de re ferunt Nicolaum Papam per sanctum Petrum Damianum Legatum suum Mediolanensibus nunciasse, detrahentem cuilibet ecclesiæ jus suum esse injustum, sed violantem Ecclesiæ Romanæ privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum esse hæreticum. Can. 1, dist. 22. — (2) Auctor Inst. can. edit. Paris. 1853, t. 2, l. 4, art. 1, hæc habet : « Ecclesia Romana « multa, ac ingentia etiam habuit patrimonia, nempe terras am- « plisimas longe lateque per Italiam, Galliam, Egyptum, Palæstinam, « uno verbo per Orientem totum, et Occidentem, quin etiam integras « provincias, aut insulas tenuit, ut satis compertum est ex diversis « historicis, et etiam ex solo S. Gregorio magno qui in epistolis suis « multus est circa administrationem horum dominiorum, prædio- « rum, et possessionum. » — (3) Cap. 13 et 17, de prescript. et cap. 2, eod. in 6.

600. Quoad temporalem summi Pontificis principatum, quamquam juris divini non sit, cum Dominus Petro nullum talem in Ecclesiæ constitutione expresse concesserit principatum, neque Ecclesia primis sæculis ullum habuerit; attamen deinde sic divina Providentia disponente, ita juste Ecclesiæ fuit acquisitus, ut nunc sacer sit (1), et inter bona ecclesiastica Romanæ et universalis Ecclesiæ (2), tamquam ei temporibus nostris miserrimis omnino necessarius (3) jure et merito censendus sit. Porro summo Pontifici necessaria est independentia a quocumque Principe, ut libertatem, securitatem, potestatem, ejusque exercitium, et parem omnium acceptationem, et venerationem habeat ad Ecclesiam universam juxta divina mandata regendam, et gubernandam : atqui hæc independentia in summo Pontifice cujuscumque principis subdito haberi non potest : ergo Pontifex in aliqua mundi parte debet esse summus Prin-

ceps ab alio quocumque principe independens. At hæc mundi pars ex divina dispositione fuit in patrimonio S. Petri, sive in urbe Roma, et provinciis Romanæ Ecclesiæ subjectis determinata : ergo hic principatus ad sacrum Ecclesiæ patrimonium non solum, ut cætera alia bona ecclesiastica, sed majori adhuc jure ob rei gravitatem, et necessitatem pertinere censendus est (4).

(1) Hunc principatum *sacrum* appellant Patres concilii provincialis Redonensis in Gallia anno 1849 decemb. 3, André verbo *Pape* § 6. Hunc ipsum principatum *sacrum, legitimumque* appellat Pius Papa IX in allocutione habita in Consistorio 20 junii anni 1859. Bona etiam hujus principatus *sacrosancta* appellata fuerunt a clero Gallicano in celebri declaratione anni 1782, quæ habet, sacro Pontificum principatui *bona quæsita, jura, et imperia ita haberi, ac possideri, ut quæ inter homines optimo jure habentur, et possidentur. Immo ea omnia, ut Deo dicata sacrosancta esse debere, nec sine sacrilegio invadi, rapi, aut ad sæcularia revocari posse.* — (2) Cum hic principatus ad bonum universalis Ecclesiæ, ac præsertim ad fidei unitatem, et puritatem servandam sit a divina Providentia mirabiliter ordinatus, non solum ad Ecclesiam Romanam, sed et ad Ecclesiam universalem pertinet, quod aperte declaravit Pius Papa IX tum in sua responsione ad imperatorem Napoleonem III, 8 januarii 1860, tum in suis Litteris encyclicis ad universos Ordinarios diei 19 ejusdem mensis et anni ; in quibus declaravit, *se nullo plane modo posse* cedere huic principatui, et in hoc S. Sedis pluribus, *quæ non ad alicujus regalis familiæ successionem, sed ad omnes catholicos pertinent* : et infra professus est, se velle constanter tueri et servare *civilem Romanæ Ecclesiæ principatum, ejusque temporales possessiones, ac jura quæ ad universum catholicum orbem pertinent, intacta atque inviolata.* — (3) Hanc necessitatem agnoverunt Bossuet, et Fleury relati a Card. Soglia inst. jur. pub. § 40, declaravit Pius VII in bul. *Cum miseranda*, et confirmavit Pius IX in lit. ency. *Qui nuper*, ubi pronunciavit ita : *Necessarium esse palam edicimus Sanctæ huic Sedi civilem principatum, ut in bonum Religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit.* Hanc veritatem omnes fere totius orbis Episcopi in præsenti gravissima Ecclesiæ calamitate uno veluti ore confessi sunt in epistolis consolatoriis ad summum Pium IX, in epistolis pastoralibus ad diœcesanos, et in aliis doctissimis scriptis typis editis, in quibus strenue defenderunt, temporalem Ecclesiæ principatum *singulari Divinæ illius omnia regentis ac moderantis Providentiæ consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati umquam subjectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat.* His plane verbis

rem declarat idem Pius IX in cit. litt. *Nullis certe*, in quibus pariter commemorat, et maximopere commendat innumerabiles ecclesiasticos, et laicos viros cujuscumque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis, qui *Beati Petri patrimonium omnino integrum, inviolumque servandum, atque ab omne injuria defendendum esse contendunt.* — (4) Propterea omnes summi Pontifices a Pio II, ab anno scilicet 1458, ut declaravit Pius VI in litteris ad Card. Rezzonicum 5 nov. 1791 incip. *Ancorchè*, usque ad immortalem nostrum Pium IX in summi pontificatus susceptione solemniter jurarunt, se Beati Petri patrimonium numquam alienaturos, sed salvum, et integrum successoribus suis servaturos, quod jusjurandum circa alia bona ecclesiastica non emittunt.

601. Jus ad bona sua temporalia Ecclesiæ competens est jus proprietatis, per quod eadem bona ita perpetuo Ecclesiæ servire debent, ut ab hac servitute numquam liberari queant, nisi dispensative auctoritate summi Pontificis, qui, ut infra videbimus, est supremus eorumdem administrator. Idcirco bona Ecclesiæ oblata novam induunt qualitatem, et ex profanis in religiosa convertuntur (1). Hinc fluit, verum et absolutum eorumdem dominium solum habere Deum, sive Jesum Christum Ecclesiæ fundatorem. Revera tale dominium, quidquid alii dicant, non videtur posse attribui summo Pontifici, et tanto minus Episcopo, sive ecclesiæ particulari : nam synodus Romana tertia sub Symmacho Papa definierat, non posse summum Pontificem bona ecclesiastica alienare, et idem jam in universis ecclesiis per provincias, una facta exceptione domorum in urbibus, esse observandum (2) ; quod satis indicat nequaquam Pontificem habitum fuisse horum bonorum dominum. Hoc etiam docuit S. Thomas cum ait : *Quamvis res Ecclesiæ sint ejus, id est Pontificis, ut principalis dispensatoris ; non tamen sunt ejus, ut domini et possessoris* (3). Ac demum idem declaravit Pius Papa IX dum ad petitionem cessionis sui temporalis Principatus respondit, *non posse per nos cedi, quod nostrum non est* (4).

(1) Ob hanc persuasionem in omnium animis inditam tam Gentiles, quam Romani res eorum Diis oblatas adeo sacras, sanctas, et inviolabiles habebant, ut eas tamquam extra hominum commercium positas nec liceret æstimare, aut obligare, aut alienare, aut quocumque modo violare, quin immo in earum violatores pœna mortis

erat constituta. Heineccius in Recit. § 315. Sub eodem respectu majori jure habitæ semper fuerunt a Catholicis res ecclesiasticæ ; unde S. Thomas ait : *Ex hoc quod aliquod deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, et sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur ad Deum.* Sum. 2, 2, q. 99, art. 1. — (2) Dispositio hujus synodi sic sonat : *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate.* Can. 20, c. 12, q. 2. — (3) Sum. 2, 2, q. 100, art. 1, ad 7. — (4) Cit. litt. *Nullis certe.*

602. Nihilominus hoc Dei, sive Jesu Christi dominium communicatur suo corpori mystico, id est Ecclesiæ ; ac inde fit, ut Ecclesiæ caput, et ipsius Christi Vicarius hoc jus dominii in universis ecclesiasticis bonis , et Episcopi ac beneficiati in parte bonorum ratione diœcesis, vel præbendæ sub dependentia a summo Pontifice exerceant. Quamobrem sanctus Hieronymus aiebat licere fidelibus eorum bona, et jura in clericorum *dominium transferre* (1). Concilium Tridentinum *dominium* distributionum quotidianarum attribuit canonicis in choro præsentibus, et mandat, bona et jura ecclesiis et beneficiatis ablata esse iisdem sub excommunicationis pœna integre restituenda (2); quod supponit in ipsis Ecclesiis, et beneficiatis eorumdem bonorum dominium. Denique leges canonicæ ipsis ecclesiis, et beneficiatis onus imponunt tuendi, vindicandi, et alia domini jura exercendi, quod fieri non posset, si ecclesiæ et beneficiati vere suorum bonorum dominium non haberent (3).

(1) Can. ult. c. 16, q. 1. — (2) Trid. sess. 22, c. 2 et 11, de ref. — (3) Ad hoc refertur etiam donatorum voluntas, qui quidem res suas non Ecclesiæ in genere regulariter intendunt donare, sed Ecclesiæ in specie, aut beneficio, ut Episcopus, vel beneficiatus earum dominium loco donatorum retineat, et sibi vindicet. Hinc sequitur diversarum ecclesiarum, aut beneficiorum proprietates esse diversas, et quod datur uni, non posse alteri attribui.

603. Ex præmissis manifeste liquet, quam falsa sit illorum opinio, qui bona ecclesiastica ad civilis Reipublicæ patrimonium, et ad sæcularis principis dispensationem sua natura pertinere contendunt (1). Hæc quidem opinio, licet nimium infeliciter his temporibus a quibusdam admissa (2), non est tamen probatorum Canonistarum opinio; sed, ut scribit

doctus auctor, *prædonum* et *sacrilegorum* impius prætextus, quo liberius queant ecclesiastica bona diripere (3). Profecto Ecclesia est hominum societas perpetua et immutabilis a civili societate independens, et ipsa excellentior, quam Christus Jesus absque jure ad sustentationis media, sive ad sua temporalia bona, nequaquam fundare potuit : unde ex jure naturali et divino oritur Ecclesiæ potestas ad sua bona ; quam propterea non accepit, nec poterat accipere a sæcularibus Principibus. Quare in sacris canonibus sancitum fuit, ut *qui res Ecclesiæ petunt a Regibus* horrendæ cupiditatis exemplum præbeant, careant obtentis, et a communione Ecclesiæ excludantur (4). Consequenter Ecclesia habet bonorum suorum non solum proprietatem absolutam et independentem, sed et liberam eorumdem administrationem. Unde ex jure canonico, sæcularis potestas nullum jus habet in eorumdem bonorum administratione, divisione, assignatione ; neque potest sibi asserere potestatem examinandi contractus, eosque probandi vel reprobandi, quamquam utilitatem in ipsius Ecclesiæ id faceret (5).

(1) Super hoc falso principio præsumuntur fundari illæ leges civiles, quæ in Gallia, in Hispania, in Italia, et in aliis regionibus Ecclesiam bonis omnibus suis iniquissime spoliaverunt, quæque propterea *cum erroris, tum nullitatis characterem* præ se ferunt : *erroris scilicet, quia falsam continent doctrinam ; nullitatis vero, quia pronunciatæ sunt ob incompetenti auctoritate*, sicut Pius VI archiepiscopo Viennensi scribebat. Theiner docum. ined. tom. I, n. 5. — (2) Admittentes tamen omnes vel de hæresi venerunt, vel sectis Jansenistis, aut Massonicis adhærent ad Ecclesiam convellendam a demone institutis. — (3) Inst. Jur. Can. edit. Paris, an. 1863, part. 2, l. 4, cap. 1. — (4) Conc. Lugdunen. I, in cap. 2 de reb. Eccl. non alien. Hinc oritur ruina animarum et regnorum, cum impunita hujusmodi scelera numquam maneant. Eorum divinam ultionem legimus in punitione Heliodori. L. II Machab. cap. 3; in confessione Lutheri, qui sic aiebat : *Comprobat experientia, eos, qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ab ea tandem depauperari, et mendicos fieri* ; et in historia Henrici VIII, qui post expilationem ecclesiarum pauperior quam ante evasit, quique propterea *plura tributa, et vectigalia civibus suis imposuit, quam omnes simul reges per quinquaginta ante annos fecerunt*, ut ex Sandero transcribit Audisius de jur. nat. et gent. l. 2, t. 10, n. 12. Similiter imperator Basilius junior causam universalis subversionis, et confusionis, quam patiebatur, tribuebat antecessori suo Nicephoro, qui imperium invaserat, et

contra ecclesiastica bona legem tulerat : *Ex quo* aiebat, *hæc lex est observata, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitæ nostræ occurrit ; sed contra nullum penitus calamitatis genus defuit.* Hoc factum iisdem verbis refert Pius VI, in epist. ad Episc. Gall. 10 mart. anni 1791. Theiner docum. ined. n. 19. Item imperator Carolus magnus ad petitionem Francorum qui salva semper Ecclesiæ bona expetebant, respondit : *Novimus multa regna, et reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, alienaverunt vel diripuerunt.* Id. ibid. Notabile demum est quod Hincmarus Remensis Ludovico Francorum regi scribebat : *Sunt qui dicunt, quia res ecclesiasticæ Episcoporum in vestra sint potestate, ut cuicumque volueritis eas donetis ; quod si ita est, ille malignus spiritus, qui primo parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat.* Gonzalez ad cap. 2 de reb. eccl. non alien. num. 5. — (5) Revera Innocentius III, ita sancivit : *Nos attendentes, quod laicis etiam religiosis super Ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas..... Si quid motu proprio* (illorum) *statutum fuerit, quod Ecclesiarum respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel urbanis ministeriis, et ornamentis Ecclesiarum illa reprobatum fuit potissima ratione quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum.* Cap. 10 de const. Concordat cum iis, quod habemus in Constitutionibus Apostolicis l. 2, c. 35, ubi laici monentur, ut caveant a petendis ab Episcopis eorum administrationis rationibus, et ab eorum operibus pervigilandis ad finem cognoscendi, an bene, vel male bonorum ecclesiasticorum fructus impederint.

604. Nec sæcularis potestas ex jure sacro valet Ecclesiam a bonorum temporalium acquisitione prohibere. Hoc tamen a sæculo decimo quarto, vel decimo quinto nimium malo omine quidam fecerunt principes, et nunc fere omnes faciunt per legem, quam appellant *Amortizzationis,* per quam bona civium præsertim immobilia *in manus mortuas,* ut dicunt, sive in Ecclesiam, aut in alium pium locum, transferri non possunt absque consensu et litteris sæcularis principis, qui permittat, eadem bona in manus mortuas cadere, sive *amortizzari* (1). Hanc legem iniquam, et Ecclesiæ injuriosam omnes traducunt probati Doctores ; et quidem merito : nam Ecclesia est societas divinitus libertate, et independentia munita, ut sit perpetua ; sed lex *amortizzationis* libertatem Ecclesiæ indirecte et directe aufert, dum prohibet, ut juvetur mediis ad existendum et agendum sibi necessariis, et a pietate fidelium oblatis, ejusque

naturalem independentiam in servitutem injustam convertit dum ei auferendo jura contractuum (2), factionem testamenti passivam (3), et aliqua ex parte personam moralem, eam veluti capite minuit. Sed eadem lex est etiam Ecclesiæ injuriosa, dum eam assimilat collegiis illicitis, quæ a Romanis bona acquirere vetabantur (4); est injuriosa fidelibus, qui per eam vota pietatis adimplere non possunt; et est Principibus Christianis ignominiosa, qui Ecclesiam oppugnant, dum eam pro viribus tenentur adjuvare. Principes tamen verentur, ne Ecclesia nimis ditescat, et status eorum nimium depauperentur; quare legem ferre se posse dicunt, quæ utriusque potestatis jura tutetur. Sed quis non videt hoc esse perfidum commentum? Revera postquam Ecclesia Catholica toties per iniquarum legum vim ita spoliata fuit ut, vacua fere temporalibus bonis pluribus in regionibus sit, quomodo concipi potest timor, ne nimis in præjudicium status civilis ditescat, ita ut lex *amortizzationis* conservanda sit (5)? Præterea divitiæ Ecclesiæ statum civilem multis modis adjuvant, ut ad majorem prosperitatem jugiter procedere queat (6); et si quid forte in his divitiis sit mali, semper ad remedium via est aperta, recursus nempe ad summum Pontificem, qui supra omnes Ecclesiæ et status civilis prosperitatem exoptare debet (7).

(1) Manus Ecclesiæ, si recte judicentur, non mortuæ, sed vivæ, et vivificæ sunt appellandæ, spiritu et corpore vivificantes. Undenam, quæso, in societate civili tot argumenta vitæ et prosperitatis, quam ab Ecclesia? Satis est perpendere mores ab ea excultos, et perpolitos, hospitalia, et collegia, pro egentium necessitatibus, et pro divitum cultura ab ea erecta, subsidia artibus, et excitamenta agriculturæ ab ea data, ei arcam pauperibus continuo, et ubique apertam, de quibus plenæ sunt historiæ, ut quicumque in Ecclesia manum vivam teneatur agnoscere. — (2) Ita modernæ ferunt leges Art. 910, cod. civ. Gall. — (3) Factio testamenti passiva, ut dicunt juristæ, consistit in capacitate acquirendi per testamentum. — (4) L. 1, ff, quod cujusq. univ. nom. Ad hanc conditionem reducta est Ecclesia Catholica, et collegiis nequioribus postposita, quibus conceditur, quod Ecclesiæ negatur; et illud S. Hieronymi perspicimus cum execratione impleri: *Pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi, et aurigæ, et scorta hæreditates capiunt; solis clericis, et monachis hoc lege prohibetur, et prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus Christianis.* Ad Nepot. de vit. cler. n. 7. Revera in Gallia

sub fine præcedentis sæculi bona Ecclesiæ Catholicæ interdicta, bona consistorii Protestantium præservata fuerunt: unde summus Pontifex Pius VI dolore maximo correptus exclamabat: *Penes nationalem conventum illæ cum Protestantibus conventiones valuerunt; sanctiones vero canonicæ, sanctæque hujus Sedis cum Rege Francisco I pacta non valuerunt!* Epist. ad Galliæ Episc. 10 mart. 1791. Theiner docum. ined. n. 19. — (5) Quare cum Patribus concilii Parisiensis anni 829, c. 18 possumus et nos exclamare: *Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere Ecclesias Christi, et perpendat, quia quantæcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt.... Mira namque res, ambitio mundialis satis non habet, et Ecclesia Christi nimium habet!* Labbe, tom. 9, col. 724. — (6) Præter beneficia Ecclesiæ jam ab historiis enumerata in favorem civilis status irrogata, notum est, summos Pontifices sæpe in auxilium civilis status venisse ei partem bonorum ecclesiasticorum applicando; cujus rei hæc citamus exempla: S. Pius V ad succurrendum necessitati regni Galliarum concessit Carolo IX, ut posset alienare fundos ecclesiasticos ad quindecim mille librarum redditus annui: Gregorius XIII concessit alienationem prædiorum ecclesiasticorum ad decies centena millia librarum. Phil. Friderich in diss. *de eo quod just.* etc.; Pius VI, mandavit, ut omnia non sacrata vasa aurea, et argentea Genuensis ecclesiæ ad Reipublicæ opitulandum venderentur. Bul. *Ad graves* anni 1794; et Pius VII facultatem fecit Regi Sardiniæ alienandi bonorum ecclesiasticorum portionem magnam, ut suum ab hostibus tueretur regnum. Bul. *Cum in postrema* anni 1815. — (7) Ita ad rem Augustus Michel: « Si dicas, ratiœ onem publicam efflagitare tales leges (amortizzationis), ne scilicet « exhauriatur territorium, et nervus fere omnis transferatur ad maœ nus mortuas Religiosorum et Clericorum, repono, viam omnibus « apertam ad summum Pontificem, qui, re ad se delata, et justitia « causæ cognita, facile consentiat in talem legem, vel statutum, si « subsit justa causa » in Theol. Can. Moral. App. 2. t. 1.

605. Quoad bonorum ecclesiasticorum administrationem illud certum est, Episcopos sub debita a summo Pontifice dependentia ab ipso jure esse constitutos omnium suarum diœcesium bonorum administratores. Sacri enim canones hoc aperte demonstrant: nam canones Apostolorum hæc habent: *omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et ea dispensato, quasi inspectante Deo* (1); et alibi: *Præcipimus, ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat; nam si prætiosæ hominum animæ fidei ejus committendæ sunt, multo utique magis oportuerit, et de pecuniis mandatum dare* (2). Similia fuerunt constituta in pluribus aliis sacris canonibus (3), ac presertim in

Concilio Antiocheno, et Lateranensi I. (4). Porro ut Episcopi, D. testante Paulo, sunt dispensatores ministeriorum Dei, sic et bonorum Ecclesiæ distributores : quod officium cum propter multiplices sollicitudines nequeant per se solos adimplere, ut Apostoli elegerunt septem Diaconos, sic postea Episcopi in Oriente œconomos, et in Occidente Archidiaconos elegerunt, qui eorum nomine et mandato rerum temporalium curam haberent, ac deinde sibi accuratam administrationis rationem redderent (5).

(1) Can. 37. — (2) Can. 40. Sic isti canones referuntur a Gratiano in fin. edit. Lugdunen. anni 1606. — (3) Can. 24 et 26, c. 12, q. 1, can. 2 et seqq. c. 10, q. 1. — (4) Can. 23, c. 12, q. 1. — (5) Œconomi, et Archidiaconi administratores electi fuerunt etiam ea de causa, ne administratio Episcoporum sine testibus maneret.

606. Sed postea divisis ecclesiasticis bonis, et beneficiis institutis, hujus administrationis partem, quæ dicitur *ministerialis,* Episcopi singulis beneficiatis, ecclesiarumque rectoribus, ipsa auctorante Ecclesia, demandarunt, ut nomine proprio, et tamquam veri titulares bona sibi credita administrarent, ac illam tantum sibi reservarent administrationem, quæ appellatur *autorizabilis,* per quam debent jugiter super bonis sic commissis invigilare, ut rite administrentur, et impedire ne alienentur vel minuantur. Immo ipsi Episcopi interdum etiam laicos spectatæ vitæ, et religionis, aut a piis testatoribus designatos, aut aliunde cæteris utiliores in piorum operum, et locorum administratione ita sibi adjunxerent, ut eorum nomine redditus exigerent, expensas ordinarias facerent, oblationes colligerent, et similia curarent, quæ piorum ipsorum locorum utilitatem respiciunt, quorum officium Patres Tridentini agnoverunt, et tacite probaverunt (1). Verum hæc administratio dicitur tantum *providentialis,* et *sollicitudinis,* quia laici nisi per expressam summi Pontificis concessionem veram bonorum ecclesiasticorum administrationem habere non possunt. Unde S. Gregorius scribebat Januario Calaritano Episcopo, qui temporalia sui episcopatus bona quibusdam laicis commiserat : *Cavendum a fraternitate vestra est, ne sæcularibus viris atque non sub regula nostra degentibus res ecclesiasticæ committantur* (2).

(1) Trid. sess. 22, c. 8 et 9, de ref. De Luca in Miscel. disc. 35, n. 11. — (2) Can. 5, dist. 89 et cap. 2, de reb. eccl. non alien. in 6, ubi Gregorius IX, ita disponit : *Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos et singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum laicis submittere, seu supponere absque Capituli sui consensu, et Apostolicæ Sedis licentia speciali.* Fagnanus in cap. 8. de arbitr.

607. Ex eo quod laici possint per Episcopum assumi ad bona etiam ecclesiastica *providentialiter* administranda, primum in Gallia introducta est illa administratio fabricæ ecclesiæ parochialis, in qua parochi ex Episcopi approbatione ad temporalia parochiæ bona administranda laicorum concilium adhibebant, quod utilissimum esse poterat ecclesiæ, tum ut accuratius ejus bona administrarentur, tum ut parochus minus temporali cura gravaretur, et quamcumque negligentiæ, vel avaritiæ suspicionem posset evitare. At postea occasione forsan hujus praxis imperator Napoleon I sua tantum potestate per decretum diei 30 decembris 1809, legem tulit, qua contra manifesta rationis et sacrorum canonum jura parochialium Ecclesiarum administratio sæcularizzata fere omnino fuit. Hæc adhuc manet ecclesiarum cervicibus imposita, cui ecclesiæ servire coguntur, licet canonice probata non sit, nec probari possit, nec etiam a quacumque consuetudine firmari, quia ipsi legi naturali repugnat, ut Ecclesia a bonis suis libere administrandis a civili potestate prohibeatur.

Idcirco hoc decretum in faciem Ecclesiæ nullam habet vim non ea tantum ratione, quia Ecclesiæ potestatem lædit, et sacris canonibus in pluribus adversatur (1); sed ea præsertim de causa, quia procedit a civili potestate, quæ in rebus ecclesiasticis jurisdictione caret. Nec prodest in contrarium adducere, ipsum decretum in Ecclesiæ commodum fuisse latum, et plures revera afferre Ecclesiæ utilitates : nam Innocentius III in simili re statutum Basilii Urbis præfecti reprobavit, licet factum fuisset in Ecclesiæ commodum, utpote quod alienationem rerum ecclesiasticarum interdicebat : *Nos attendentes*, ait Pontifex, *quod laicis etiam religiosis super ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid*

motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel urbanis, ministeriis, et ornamentis ecclesiarum illa reprobatum fuit potisima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum (2). Nihilominus si Episcopus utile vel opportunum judicaverit ad parochiarum bonum tale observari decretum in illis dispositionibus, quæ juri sacro non adversantur, poterit hoc auctoritate sua præscribere, quo casu non a suo legislatore, sed ab Episcopi ordinatione vim obligandi sortitur (3).

(1) Adversatur ex. gr. in eo, quod attribuit administratoribus a se deputatis omnium bonorum, et eleemosynarum administrationem, quæ, ut videmus, ad Episcopum pertinet. Art. 1, ejusdem decret.; in eo, quod statuit, donationes, et legata Ecclesiæ relicta a suprema civili auctoritate esse acceptanda. Art. 59 et 113 : dum hæc acceptatio fieri non potest nisi ab Ecclesia, quæ rerum domina est; in eo, quod permittit bonorum Ecclesiæ locationem ad novennium, et eorum alienationem ex auctoritate civili, habito tantum concilio, aut consensu episcopi, Art. 62 : dum res ecclesiaticæ locari non possunt, nisi ad triennium, et nullatenus alienari absque summi Pontificis beneplacito, ut infra videbimus ; in eo, quod reservat ecclesiæ fundatori proprietatem sacelli, vel altaris, Art. 72 : dum res Deo dicatæ in hominum patrimonio esse non possunt ; et in aliis pluribus, quæ longum nimis esset enumerare. — (2) Cap. 10, de constit. — (3) Propterea potest Episcopus approbare compositionem fabricæ ad formam prædicti decreti cum concilio œdituum, et collegio massariorum, sive matriculariorum, ut mandato suo alios officiales deputet, inventarium bonorum conficiat, budgetum redigat, redditus percipiat, expensas ordinarias faciat, oblationes colligat, utilitatem ecclesiæ promoveat ea forma, quæ probationem ab ipsa potestate civili obtinere possit, et alia faciat, quæ a potestate Episcopi dependent et possunt ab eodem laicis delegari.

608. Quicumque est ab Episcopo bonorum ecclesiasticorum constitutus administrator tenetur : 1° omnium bonorum mobilium, et immobilium sibi commissorum inventorium diligenter conficere, immo, si petatur, etiam juramentum fideliter administrandi præstare (1) ; 2° bona sibi commissa omni cura et industria conservare, et meliorare : aliter si culpa sua aliquod detrimentum habuerint, hoc ære proprio reparare (2) ; 3° fru-

ctus et redditus bonorum juxta pii operis fundationem, et naturam insumere : nam si eos in proprium commodum converteret, dolum committeret manifestum, et præsumptum, si negligeret eos expendere juxta fundationis finem, et censuras incurreret (3) ; 4° rationes administrationis suæ quotannis Episcopo reddere, non obstantibus consuetudinibus, et privilegiis in contrarium (4)

(1) Clem. 2, de relig. domib. Omnes sane ecclesiæ, et beneficiati, et præsertim Capitulum ecclesiæ cathedralis tenentur conficere, et habere inventarium omnium rerum et bonorum, ut mandavit Sixtus V, teste Quaranta in sum. Bullar. verbo *Archivium*. — (2) Cardinalis Soglia inst. jur. priv. § 111. Ideo ex declarationibus sacræ Congregationis Concilii ad damna reparanda tenetur administrator, qui injustam litem sustinuit, ut in una *Senogalien*. 15 august. 1834, item in una *Camerien*. 19 decemb. 1838; et qui, contradicente Episcopo, voluit litigare, ut in nuperrima decisione, quam refert auctor *correspond. de Rom.* sub die 24 decemb. 1850. — (3) Monacellus par. 2, tit. 1, for. 25, n, 13. — (4) Trid. sess. 22, c. 9, de ref. Hoc etiam procedit, quando testator executorem suum a rationibus reddendis liberavit, ut sancitum est in capite 17, de testam. et nuperrime fuit a S. Congregatione Concilii resolutum die 20 decemb. 1856 ; sed insuper Episcopus potest libros administrationis requirere. Monacellus part. 1, tit. 1, for. 16, n. 7. A reddendis rationibus immunes sunt Regulares exempti, qui libere absque ulla ab Episcopo dependentia sua bona administrant. Trid. sess. 25. c. 2, de Regul.

TITULUS XXVI.

DE ACQUISITIONE BONORUM PER ACTUS INTER VIVOS.

SUMMARIUM : 609. Datur notio contractus et pacti. — 610. Pactum etiam nudum parit obligationem. — 611. Qui dicantur veri, et qui quasi contractus? — 612. Quomodo dividantur contractus? — 613. Quæ consideranda sint in contractibus, et pactis? — 614. Quomodo deficiat consensus iisdem necessarius? — 615. Qui lege prohibeantur contrahere? — 616. Qui sit effectus contractus absoluti, et conditionalis? — 617. Quæ res absolute conventionem respuant, et quæ relative? — 618. Conventionum vinculo ipsa Ecclesia juvatur, et adstringitur. — 619. Quotuplex sit conventionum obligatio?

609. Paucis constituto jure Ecclesiæ ad sua bona temporalia, videndum nunc nobis breviter est, quomodo Ecclesia temporalia bona acquirere possit. Hoc autem fit per actus inter vivos, et per actus ultimæ voluntatis. Actus inter vivos ad duo summa capita, scilicet ad contractus, et ad donationes revocari possunt.

Contractus nil aliud est, quam conventio; et late sumptus definitur, *duorum, vel plurium in idem placitum consensus*. Contractus comprehendit pactum, quod esse potest *nudum* vel *vestitum*. Pactum nudum dicitur, quod in solis conventionis verbis consistit; vestitum vero, præter conventionum verba habet causam, vel legis approbationem, vel juramentum, vel est in contractu expressum, vel in contractu inest. Ratione causæ ex. gr. pactum de mutuando, vel de commodando ante rei traditionem dicitur nudum, et post rei traditionem vestitum appellatur (1).

(1) Sic ob legis approbationem dicitur vestitum pactum de dote præstanda ob matrimonii favorem; pactum jurejurando firmatum ob favorem religionis; et pactum habitandi domum ad tempus adjectum in ipso contractu venditionis ipsius domus.

610. Pacta quamquam nuda, modo recte inita sint, ex jure naturali et canonico, obligationem naturalem pariunt, quia consensus debito modo præstitus inter partes paciscentes legem facit, et quia sacri canones disponunt, pacta quantumcumque nuda servanda esse (1). Tanto magis obligationem pariunt pacta vestita, quæ obligationi naturali addunt obligationem civilem et actionem, quod in specie pacti jurati Innocentius III, firmavit (2). Hoc tamen non est extendendum ad simplicem pollicitationem, vel promissionem ante acceptationem : nam cum promissio præ se ferat consensum ex una tantum parte, pacti naturam non affert, nisi post alterius partis acceptationem : quare promissio ante alterius partis acceptationem revocari potest. Nihilominus ex hac regula excipitur vera promissio aliquid faciendi, vel dandi Ecclesiæ pauperibus, aut pio loco ad honorem Dei, et salutem animæ : qualis promissio ex communi Doctorum sententia obligationem inducit, licet ab Ecclesia, seu a pauperum locorumque piorum administratoribus non sit adhuc acceptata. Ratio est, quia promissio hujusmodi fieri censetur principaliter Deo, a quo, si sit ad instar voti statim acceptatur (3).

(1) Cap. 1, de pact. in quo legitur: *Pax servetur, pacta custodiantur.* Idcirco pactum dat exceptionem, admittit compensationem, fidejussores, et pignora. Engel de pact. n. 9. Reiffenstuel eod. n. 29. — (2) Cap. 28, de jurej. — (3) Ut penes Romanos obligabat pollicitatio facta reipublicæ ad reparandam ruinam, vel incendium, vel gratitudinem servandam, l. 1, ff. de pollicit. et per tot. Sic obligat pollicitatio facta Ecclesiæ, vel alteri causæ piæ. Engel de pact. n. 4 et 21.

611. Inter contractus alii sunt, qui dicuntur *veri contractus,* et alii, qui *quasi contractus,* appellantur. Veri contractus illi sunt, qui verum, et expressum habent partium consensum ; quasi contractus autem illi, qui habent partium consensum implicitum, vel præsumptum (1). Hi quasi contractus fundantur in factis honestis, et utilibus, propter quæ quis ex æquitate obligatur, quia licet expresse non consenserit, tamen juste præsumitur consensisse. Sic tutor quasi contrahit cum pupillo, ut ille recte officium suum exerceat, et hic illum in-

demnem reddat : sic negotiorum gestor cum rei domino, ut ille utiliter gerat, et hic expensas in gestione factas compenset (2) : sic qui adit hæreditatem quasi paciscitur cum legatariis, se legata soluturum, et qui aliquod officium suscipit, se illud recte exerciturum : nam eo ipso se obligat erga alium, et alius vel alii obligantur erga ipsum ; neque alia requiritur expressa conventio (3).

(1) Theologi solent appellare contractus explicitos, et implicitos, aut interpretativos. — (2) Hic quasi contratus gestionis negotiorum tunc habet locum, cum quis alterius ignorantis negotio utiliter gerit. Dicimus *ignorantis*, quia si quis negotia alterius scientis gerat, ex mandato expresso, vel tacito agere dicitur. Ea de causa hic quasi contractus introductus fuit, ut bona, et jura alterius absentis, vel ignorantis a damno liberentur. De sui natura hic contractus est gratuitus ; hinc negotia agens potest tantum indemnitatem petere, sed potest eleemosynas sponte oblatas recipere. Cap. 54, de sent. excom. et ibi Fagnanus n. 22. (3) Præterea Doctores ad quasi contractus revocant bonorum communionem, et indebiti solutionem : nam qui administrat censetur consentire ad reddendas rationes, et alia pars ad dandam indemnitatem ; et qui accepit indebitum censetur consentire ad illud restituendum, quia nemo locupletari potest cum aliena jactura.

612. Veri contractus dividuntur in *nominatos* et *innominatos* : quia illi proprium habent nomen a jure, ut emptio venditio, locatio conductio, etc. ; dum hi nullum habent speciale a jure nomen, eo quod difficillimum est casus innumeros, qui sub his contractibus continentur, specialibus nominibus designare. Unde jus contractus innominatos ad quatuor classes reduxit, nempe *do ut des ; facio ut facias ; do ut facias ; facio ut des*, quæ in praxi præcipue permutatione, et transactione perficiuntur (1). Sed maxime contractuum divisio, quam in his institutionibus sequimur, est, qua alii *consensuales*, et alii *reales* appellantur. Consensuales sunt, qui a partium contrahentium consensu substantiam capiunt, et perficiuntur ; reales vero, qui præter partium consensum rei, de qua paciscitur, traditionem requirunt, a qua substantiam capiunt, et perficiuntur. Ad consensuales pertinent emptio venditio, locatio conductio, emphyteusis, societas et mandatum ; ad reales vero mutuum, commodatum, depositum et pignus (2).

(1) Alias omittimus contractuum divisiones, ut sunt contractus *bonæ fidei*, et *stricti juris*, contractus *onerosi*, et *gratuiti*, sive *lucrativi*, qui subtilitates civiles, potius quam æquitatem canonicam respiciunt. — (2) Romani habebant ulterius contractus *verbales*, et *litterales*. Ad verbales referebatur stipulatio, quæ solemni verborum forma perficiebatur, ex gr. *Spondes mihi dare centum? Spondeo.* Ad litterales referebantur illi contractus, qui scripturam ad eorum substantiam requirebant : scriptura etiam nunc ex jure civili in pluribus casibus ad substantiam contractus est necessaria ; jure vero canonico non requiritur regulariter ad substantiam contractus, sed tantum ad probationem, licet in re gravis momenti etiam ab hoc jure scriptura exoptetur. Can. 2, c. 10, q. 2.

613. In pactis et contractibus hæc consideranda sunt, nimirum : *substantialia, naturalia*, *accidentalia* et *solemnia*. Substantialia ea dicuntur, quæ ita ad eorum essentiam pertinent, ut, salvo contractu, a partibus mutari, aut omitti non possint (1). Naturalia ea appellantur, quæ pacto, vel contractui, licet non exprimantur, insunt, quæque tamen, salvo contractu a partibus per pactum mutari, aut excludi possunt : sic qui vendit tenetur de evictione ; sed ex pacto fieri potest, ne teneatur (2). Accidentalia sunt, quæ pactis, et contractibus natura sua non insunt, sed a partium voluntate possunt adjungi : sic qui vendit potest pacisci, ut rei pretium in tali moneta aurea, vel argentea solvatur (3). Demum solemnia habentur, quæ de jure specialiter requiruntur, ut contractus sit legitimus, cujusmodi est consensus Capituli, aut superioris in rerum ecclesiasticarum alienatione.

(1) Consensus et res in omnibus, pactis, et contractibus ad substantialia spectant. — (2) Evictio est jus ex venditione dimanans, per quod emens, si res empta a tertio vindicetur, potest ad venditorem recurrere, ut rei pretium restituat, et damnum reparet. Hoc jus viget etiam in mutuo,aliisque contractibus onerosis. — (3) Hæc accidentalia in legem contractus pertranseunt, quia *contractus ex conventione legem accipiunt*. Cap. 85, de reg. jur. in 6.

614. Primum substantiale cujuscumque pacti, et contractus est consensus. Propterea qui non possunt consentire neque possunt pacisci ; sed interdum evenit, ut qui naturaliter possent consentire, non recte consentiant propter errorem in rei

substantia, vel propter vim et metum, vel etiam propter legis prohibitionem. Error quidem in rei substantia vitiat conventionem, ut si quis emat vitrum pro gemma, quia ex juris principio, *errantis nullus est consensus*; sed si error esset tantum in rei qualitate, non propterea vitiaretur conventio, quia talis error non aufert consensum substantialem, nisi qualitas ita intendatur, ut sit motivum principale, et causa finalis contrahendi; hoc enim casu error qualitatis redundat in errorem substantiæ.

Metus gravis, et cadens in constantem virum, si sit ab extrinseco, et injuste incussus ad consensum extorquendum, interdum irritat contractum, et interdum causam præbet ad illum rescindendum. Irritat contractum, quando in eo maxima requiritur libertas, ut in promissione dotis (1), in promissione et traditione rerum ecclesiasticarum (2), in acquisitione jurisdictionis, et in aliis casibus, in quibus contractus absque salutis æternæ dispendio observari non possunt (3). In cæteris vero contractibus dat causam ad contractum rescindendum, et consequenter ante rescissionem contractus valet, quia juxta juris adagium, *coacta voluntas est voluntas* (4). Si vero metus sit ab extrinseco ex. gr. ob periculum mortis, vel juste incussus ex. gr. ab accusatore, vel a judice propter criminis commissi punitionem, non irritat contractum, neque dat rescissioni causam, quia contrahens metum sibi ipse inferre videtur (5).

(1) Cap. 29. de sponsal. — (2) Arg. can. 1, c. 15, q. 6, et can. ,25 c. 12. q. 2. — (3) Gloss. in cap. 2, de iis quæ vi met. caus. fi. verbo *coactus* in fin. (4) Arg. can 1, c. 15, q. 1. Nihilominus non desunt Doctores, qui omnes contractus per metum initos jure canonico suapte natura irritos esse tradunt, quia *quæ vi, metusve causa fiunt carere debent robore firmitatis*. Cap. 4, de iis quæ vi met. can. fi. — (5) Arg. cap. 17, de regul. Engel. ad tit. de iis quæ vi. etc. n. 18.

615. Prohibitio legis impedit effectum consensus in iis, qui liberam non habent bonorum administrationem, quoties velint circa eadem bona conventiones inire. Propterea contrahere nequeunt Religiosi vota solemnia professi: hi enim propter votum paupertatis nil habent proprium, et sine consensu superioris nequeunt dare, neque accipere. Similiter impuberes,

quamquam sui compotes, et minorennes ex lege civili absque auctoritate tutoris, et consensu curatoris bona sua nequeunt aliis cedere, sed possunt ab aliis accipere, eo quod sine dicta auctoritate, et consensu possunt conditionem suam meliorem facere, deteriorem vero facere nequeunt : unde eorum contractus dicuntur claudicare, quia sunt ex eorum parte solubiles, et ex altera obligatorii. In foro tamen conscientiæ hi contractus obligationem naturalem pariunt, cum non desit consensus in idem placitum (1).

(1) Layman in theol. moral. de pact. c. 9, n. 7.

616. Consensus in contractibus potest esse *absolutus*, vel *conditionatus*. Si est absolutus, contractus est perfectus, et statim debetur, quod conventum fuit, cujus debiti dies statim cedit, et venit (1) ; si vero est conditionatus, videndum de qua conditione agatur : nam conditio impossibilis, vel turpis reddit contractum nullum, quia ludere videntur, qui contractui conditionem impossibilem adjiciunt, et aliunde nemo ad id, quod est malum, potest obligari ; conditio autem possibilis, et honesta contractum suspendit usque ad conditionis eventum, si conditio sit suspensiva ; si vero sit resolutoria, adveniente conditione, contractus resolvitur. Unde contractus sub conditione resolutoria assimilatur contractui modali, ex. gr. vendo tibi domum, modo in ea des habitationem Titio ; nam ita statim contractus firmatur, sed emptori imponitur onus dandi habitationem Titio (2).

(1) Dies contractus *cedere* dicitur, cum adest dies, a quo obligatio incipit ; *venire* vero, cum adest dies, in quo exequi potest. Hinc qui vendit domum post mensem emptori tradendam, ei statim dies cedit, sed non nisi post mensem. — (2) Idcirco emptor cogi potest ad dandam habitationem Titio, vel ad resolvendum contractum.

617. Alterum substantiale cujuscumque pacti et contractus est res (1), quæ in conventionem adducitur, quæque conventionis capax esse debet ; alias pactum, vel contractus subsistere non posset. Sunt profecto quædam res, quæ *absolute*, et

quædam, quæ *relative* tantum conventionem non admittunt. Absolute conventionem respuunt res turpes, et impossibiles de facto, et de jure : nam promissio impia est, quæ scelere adimpletur, et stulta, quæ continet impossibile, cujus nulla potest esse obligatio; ideoque neutra subsistere potest, licet sit jurata, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis (2). Turpe autem dicitur omne pactum, quod lædit pietatem, existimationem, verecundiam, et bonos mores, vel quod promittendo crimini præmium aut impunitatem ad delinquendum provocat (3). Impossibile vero dicitur, quod natura, vel legibus fieri non potest : unde impossibile facto est montem aureum construere, cœlum conscendere, etc.; et est jure impossibile sororem in matrimonio accipere, hominem occidere, etc.

Relative autem conventionem respuunt : 1° res spirituales ; nam Gregorius IX, declaravit, pactionem factam de spiritualibus nullius esse momenti, *cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare* (4) ; verumtamen id obtinet tantum, quando pactio est inhonesta (5), vel illicita (6) : nam in jure plura exempla factorum in spiritualibus, et ipsa Sacramentorum collatione, quæ ab ipso jure valida declarantur (7). 2° Jura beneficiorum, quæ cum ab Ecclesia definiantur, et ad jus publicum Ecclesiæ pertineant, a solis privatorum pactis regulariter mutari non possunt (8). 3° Bona ecclesiarum, quæ per dedicationem Deo factam quasi auferuntur ex hominum commercio, uti plene auferebantur ex jure Romanorum res sacræ et religiosæ (9); ac proinde de iis pacisci non licet, nisi observatis juris solemnitatibus, de quibus infra agemus.

(1) Nomine rei intelligitur materia contractus, sive res proprie dicta sit, sive operæ, sive facta, sive non facta. — (2) Can. l. 2, 5 et 8, c. 15, 4, et per tot. Cap. 8, de pact. et cap. 16 et 28, de juris. — (3) Specialiter ex jure civili turpe est pactum inter clientem et advocatum de quota litis, ne advocatus iniquis mediis causæ victoriam procuret. Gonzalez ad cap. ult. de pact. — (4) Cap. 8, de pact. — (5) Gloss. in can. 2, c. 1, q. 2, verbo *pactio*. — (6) Gloss. in cap. 8, de pact. verbo *cessare*. — (7) Hinc valet pactum, quo quis post suam ordinationem debeat certæ ecclesiæ deservire. Cap. 6, de serv. non ord.; et pactum, quo quis debeat obsequium, et reverentiam alicui sibi præeminenti exhibere. Can. 6, dist. 23. Similiter valet promis-

sio facta a canonico observandi honestas et laudabiles consuetudines Capituli ; item promissio facta ab ordinato ordinanti diœcesano suo exhibendi obsequium, et obedientiam, et promissio facta a novo episcopo summo Pontifici servandi fidelitatem, non manifestandi ejus consilium, defendendi Papatum, interveniendi concilio, recipiendi et honorifice tractandi ejus Legatum, et limina Apostolorum visitandi. Cap. 4, de juris. Denique licita est promissio rei spiritualis pro spirituali, ut puta rosaria vel coronas precatorias recitandi pro celebratione missæ. Reiffenstuel de pact. n. 66 ; non vero rei spiritualis vel spirituali adnexæ pro temporali, quod continet vitium simoniæ. Cap. 5, de rer. permut. — (8) Propterea absque legitima superioris auctoritate non licet liti super beneficio institutæ propter oblatam pecuniam renunciare, etiamsi id fierit ad expensas compensandas. Cap. 4, de pact.; eum in beneficio instituere, qui annuam pensionem in pensionis antiquæ augumentum promittit. Cap. 6, eod. ; pacisci de successore in beneficio. Cap. 5, eod. promittere pecuniam Episcopo ordinatori. Can. 8, 9, 10, c. 1, q. 1 ; exigere pretium pro admissione ad monachatum. Can. 3, c. 1, q. 2 et cap. 19, de simonia ; dare bona propria pro erectione beneficii, ut in eo donans instituatur. Cap. 34, eod.; offerre pecuniam pro obtinendo suffragio ad beficium. Cap. 27, eod. ; liberare Episcopum aliquem ordinantem sine titulo ab obligatione illi præstandi alimenta prout de jure. Cap. 45. eod. Hæc et alia similia pacta a jure sacro damnantur. — (9) L. 34, § 1, ff. de contr. empt.

618. Ex pactis, contractibus, et quasi contractibus oritur obligatio, quæ definiri potest, *vinculum juris, quo necessitate adstringimur ad aliquid faciendum, vel præstandum.* Hoc vinculo juvatur, et adstringitur ipsa Ecclesia, quæ per pacta, contractus et quasi contractus bona acquirere, et acquisita, servatis juris præscriptionibus, in alios transferre potest. Est enim persona moralis, et prima, ac principalis societas non humanitus, sed divinitus instituta. Quare jus contractuum, quod aliis personis moralibus conceditur, non potest Ecclesiæ nisi per summum nefax negari. Hoc jus exercuit a sua prima institutione, ut supra jam vidimus, et semper deinceps retinuit, licet a suis persecutoribus identidem eodem injuste privaretur. Sacri autem canones in conventionibus licitis et honestis leges particulares agnoscunt, et mandant perpetuo inviolabiliter observari (1).

(1) Cap. 1 et 3, de pact. in 6, et can. 9, c. 10, q. 3.

619. Obligatio in contractibus potest esse ex utraque contra hentium parte, vel ex una tantum. Sic in emptione et vendi tione venditor obligatur dare rem, et emptor ejus pretium. sed in mutuo solus mutuatarius acceptam pecuniam restituer obligatur. Unde ex usu fori, quando uterque contrahens obli gatur, contractus dicitur *bilateralis* vel *synalagmaticus*; e quando unus tantum contrahens manet obligatus, *unilaterali* appellatur. Præterea obligatio potest esse tantum *naturalis* vel tantum *civilis*, vel *naturalis* et *civilis* simul. Tantum na turalis est obligatio orta ex consensu debito modo præstito cui lex civilis nec assistit, nec resistit (1); sed jus naturæ, gentium firmitatem tribuit (2). Tantum civilis dicitur obligatio cui assistit quidem lex civilis, sed resistit jus naturæ, et gen tium, ut in mutuatore, qui exhibet chirographum mutui, lice pecuniam non numeraverit, vel post numerationem pecuniæ eamdem receperit, chirographo non destructo. Denique natu ralis et civilis obligatio est, cui jus naturæ, et gentium, et si mul lex civilis assistit, atque firmitatem tribuit. Hæc appella tur vera obligatio efficax, quæ in utroque foro actionem, exceptionem dat. Obligatio tamen naturalis præter conscien tiæ vinculum, tribuit jus retentionis, et excludit repetitionem parit exceptionem, et compensationem; et admittit fidejusso res, et pignora. Hinc licet in foro externo actionem non tri buat, his valde utilibus adminiculis juvatur.

(1) Lex civilis non assistit illis conventionibus, quæ solemnitat non habent ab eadem lege institutas. Sed nihilominus tales conve tiones ex communi Doctorum sententia producunt obligationem n turalem, quæ absque peccato nequit infringi, et jus tribuit creditoi ut post unam, aut alteram monitionem possit judicem ecclesiasticu adire ad proponendam evangelicam denunciationem ad spirituale debitoris emendationem. Fagnanus in cap. *Si quis*, de regul. n. 4 Si vero lex civilis conventioni resistat, et ratione bonorum moru conventionem declaret irritam et inanem, ipsa conventio sic ini nullam neque naturalem producit obligationem, quia cum non lice contra justas leges agere, moraliter impossibile censetur continei Gloss. ad cap. ult. de pacti verbo *legitimas*, et Fagnanus in ea *Probato* de elect. n. 33. — (2) Ex regula juris, *studiose agendum e ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*. Cap. 3, de pact.

TITULUS XXVII.

DE CONTRACTIBUS CONSENSUALIBUS.

SUMMARIUM : 620. Quid sit emptio venditio, et quæ ejus substantialia? — 621 Quæ vendi possint, aut non possint? — 622. Quæ sint conditiones pretii? 623. Quid operetur læsio ultra dimidium, et quando adsit? — 624. Qualis obligatio ab emptione et venditione oriatur? — 625. Rei periculum, et commodum ad emptorem regulariter spectat. — 626. Quando rei periculum ad venditorem spectet? — 627. Quid sit pactum de retrovendendo? — 628. Quid pactum legis commissoriæ? — 629 Quid pactum additionis in diem? — 630. Quid sit locatio conductio, et quæ ejus substantialia? — 631. Quæ observanda circa obligationem hujus contractus? — 632. Quid sit emphyteusis, et quotuplex? — 633. Quando in bonis ecclesiasticis constitui possit? — 634. Quæ sint jura, et onera emphyteutæ? — 635. Quæ jura et onera domini directi? — 636. Quid sit contractus societatis, et quæ in eo requirantur conditiones? — 637. Quomodo dissolvatur? — 638. Quid sit mandatum, et quotuplex? — 639. Quæ sint onera mandatarii, et mandantis? — 640. Quando requiratur mandatum speciale? — 641. Quando mandatum expirat?

620. In hac amplissima contractuum consensualium materia, quæ ex professo tractatur a sacræ Theologiæ, et juris utriusque Doctoribus, nobis pro re nostra proponimus ea tantum attingere, quæ ex jure sacro veluti magis scitu necessaria judicamus. Ideo de emptione et venditione, de locatione et conductione, de emphyteusi, de societate et mandato brevissime agemus.

Primus contractus consensualis est emptio venditio, quorum unum absque alio nec stare, nec concipi potest. Emptio venditio definitur, *contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda.* Ex hac definitione fluit, duo præter consensum esse hujus contractus substantialia, nimirum rem, et pretium (1).

(1) De consensu diximus in titulo præcedenti. Illud tantum adnotamus, quod cum consensus debeat esse liber, nemo potest ad ven-

dendum cogi, nisi ex necessitate, vel utilitate publica. Sic tempore famis, sive inopiæ frumenti Episcopus potest clericos cogere ad res suas vendendas, ut fame laborantibus succurrant. Reiffenstuel de empt. n. 31.

621. Res, sive merx, quæ conventionis subjectum refert, esse potest : mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, in rerum natura existens vel futura, modo sit in hominum commercio, pretio æstimabilis, et sufficienter determinata. Hinc licet hæredi vendere hæreditatem sibi delatam, jura, atque actiones; licet domino vendere fructus prædii futuro anno nascituros; licet creditori vendere nomina debitorum, sive chirographa; et licet advocato vendere justum patrocinium, et jurisconsulto justum consilium (1). Sed non licet judici vendere justum judicium, nec testi verum testimonium (2); non licet vendere res sacras ad privatum usum (3); non licet vendere libros improbatæ lectionis (4), nec arma, naves, et alia Saracenis infensissimis Christianorum hostibus (5); non licet monasteriis, et beneficiatis vendere eorum fructus ad longum tempus (6); nec olim licebat vendere res noxias, et pestiferas, et mala venena ex dispositione etiam juris civilis (7) : nec hodie clericis licet emere generaliter et vendere negotiationis causa (8).

(1) Can. 71, c. 11, q. 3. — (2) Can. 15, c. 14, q. 5. — (3) Ratio est, quia res sacræ divini juris effectæ esse censentur. Cap. 51 de reg. jur. in 6. — (4) Reg. 10. Ind. lib. prohib. — (5) Cap. 6, 11 et 17 de Judæ. — (6) Bul. *Universalis ecclesiæ* Benedicti XIV. — (7) Heineccius in recit. § 901. — (8) Cap. ult. de vit. et honest. cler. et cap. 6, ne cler. vel mon. etc.

622. Pretium vero debet consistere in pecunia numerata; nam si alia res pro pretio daretur, non foret emptio venditio, sed permutatio; debet esse verum non simulatum : hinc Innocentius III reprobavit contractum emptionis venditionis, in quo pro pretio datum fuerat mutuum (1) ; debet esse certum *per se,* vel *per relationem ad aliud* vel per arbitrium tertii determinati : certum per se est, quod statuitur a lege, vel a magistratu, vel ab ipsis contrahentibus ; certum est per rela-

tionem ad aliud, ut si dicatur : *vendo tibi quanti ipse emi*, vel *quanti in foro venditur ;* et certum per arbitrium tertii determinati foret, si diceretur : *vendo tibi quanti Titius existimaverit*; sed si Titius existimare noluerit, nullus est contractus, quia nullum fuit constitutum pretium. Insuper pretium debet esse justum, quale est, si contineatur intra summum et infimum valoris rei : res enim ita a Doctoribus æstimatur, ut habeat infimum, medium, et summum pretium, licet in eo definiendo non conveniant, quia a qualitate rei, et a circumstantiis dependet (2). Engel enim existimat, rem, quæ in pretio medio æstimatur decem, in infimo valere novem, et in summo undecim (3) ; sed sanctus de Ligorio docet, rem, quæ in pretio medio æstimatur quinque, valere sex in summo, et in infimo quatuor (4).

(1) Cap. 5 de empt. — (2) Hæc æstimatio non habet locum, quando quantitas pretii definita fuit a lege, vel a magistratu, vel a contrahentibus. — (3) Coll. jur. can. de empt. n. 11. — (4) Theol. Mor. l. 3, n. 804.

623. Læsio enormis, vel ultra dimidium in constituendo rei venditæ pretio jus tribuit læso ad ipsum resolvendum contractum (1). Unde si venditor læsus sit ultra dimidium justi pretii, potest ad rei venditæ restitutionem agere acceptum repræsentando pretium; sed emptor potest se a restitutione liberare, si quod deest justo pretio venditori offerat (2). Tunc autem quoad venditorem ex communi Doctorum sententia læsio ultra dimidium adest, cum pretium, quod accepit, non æqnat medietatem justi pretii infimi, ut si pro re, quæ in pretio infimo valet 100, reciperet tantum 48; quoad emptorem vero Doctores eamdem inversam sequentes regulam communiter docent, tunc adesse læsionem, cum pretium, quod dedit, justi pretii summi medietatem superat, ut si pro re, quæ in summo pretio valet 100, solvisset 152. Sed non desunt Doctores, qui putant, pretium summum esse duplicandum ad læsionem ultra dimidium constituendam; ac proinde tunc solum adesse, cum pretium datum ex duplo superat summum justum rei pretium, ut si pro re, quæ in summo pretio valet 100, solvisset

202 (3). Ita de pretio res procedit in foro externo : nam in foro conscientiæ aliter se habet : siquidem læsio satis notabilis, et non modica, licet non sit ultra dimidium, onus importat restitutionis, et evangelicæ denunciationi causam præbet, ut lædens suæ satisfaciat obligationi. Ratio est, quia in contractibus servanda est æqualitas inter datum et acceptum, cum injustum sit, quempiam locupletari cum aliena jactura (4).

(1) Arg. Can. 9, c. 14, q. 4. — (2) Cap. 3 et 6 de empt. — (3) Hæ duæ diversæ in emptore computationes ex diverso procedunt objecto a quo desumuntur ; si enim computatio desumatur ex re empta, tunc solum emptor erit læsus ultra dimidium, cum pro re valoris 100, dederit plusquam 200 ; sed si computatio desumatur ex pretio, tunc emptor erit læsus ultra dimidium, cum pro re valoris 100 dederit plusquam 150. Hæc secunda computationis ratio videtur verior, et æquior, ac proinde tenenda, tum quia hæc dicitur læsio in justo pretio, tum quia servat æqualitatem inter venditorem, et emptorem, quam in contractu reciproco justitia commutativa requirit. Reiffenstuel de empt. a n. 325. Cæterum læsio non est intra terminos justi pretii, in quo contrahentes possunt se circumvenire ; et ideo in venditore læsio incipit a pretio infimo, in emptore vero a summo. — (4) Reiffenstuel ibid. a n. 120. Hoc probari videtur a responso Alexandri III dato archiepiscopo Genuensi, quod explicatur a Gonzalez, qui Genuam *Matrem Mercatorum* appellat, et ita concipitur : *In civitate tua, dicis, sæpe contingere, quod quidam piper, seu cinnamomum, aut alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valebant, et promittunt per publicum instrumentum, se eis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto tempore soluturos. Licet autem contractus hujusmodi ex forma non possit censeri nomine usurarum ; nihilominus tamen peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusve tempore, quo pretium debent recipere, valituras ; et ideo cives tui saluti suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.* Cap. 6, de usur.

624. Ex contractu emptionis et venditionis recte inito oritur utrinque obligatio, nimirum : emptor tenetur pretium solvere, et venditor rem tradere. Nec quisquam ex contrahentibus potest ad contractus executionem agere, nisi prius ipse suæ obligationi satisfecerit, quia etsi contractus per consensum sit perfectus, et obligationem pariat, adhuc tamen ad sui executionem et complementum pretii solutionem, et rei traditionem desiderat. Facta autem pretii solutione, et rei tradi-

one contractus fit completus, et nummi dati in solutionem in ominium venditoris, ac res in dominium emptoris statim per-ansit, modo emptor dominus nummorum, et venditor sit ominus rei : nam si nummi essent alieni, venditor non fieret orum dominus (1), licet emptor reapse rei venditæ dominium cquireret (2) ; et vicissim si res esset aliena, id ignorante sal-m emptore (3), ipse non fieret rei dominus (4), licet vendi-r nummorum dominium obtineret, quia defectus alieni fficit tantum quod alienum est, non vero ejus æquivalens.

(1) Quia nemo potest plus juris tranferre in alium, quam ipse ha-eat. Cap. 79, de reg. jur. in 6. Propterea venditor teneretur peten- vero domino nummos restituere, nisi eos præscripsisset, vel con-mpsisset bona fide, vel suis ita commiscuisset, ut discerni amplius equirent, quibus in casibus indirecte fieret eorum dominus. Reif-nstuel de empt. n. 114. — (2) Cum quis nummis alienis rem emit, uam facit, quia defectus in pretio non communicatur rei. Hæc ta-en regula exceptionem patitur in pecunia ecclesiastica ; nam si nis hac pecunia aliquid emat, non fit rei emptæ dominus, sed Ec-esia acquirit, ex speciali juris dispositione. Can. 12, c. 12, q. 2. Can, c. 12, q. 4, de pecul. cler. — (3). Dicimus *ignorante saltem empto-*, quia si emptor sciret rem esse alienam, contractus non subsiste-t. Reiffenstuel ib. n. 92. — (4) Venditor enim non potest plus ju-s in emptorem transferre, quam ipse habeat ; sed cum nullum abet jus in rem alienam, nullum potest in emptorem transferre. ontractus tamen subsistit, si saltem emptor sit in bona fide, quia enditor ex natura contractus emptionis et venditionis non tenetur bsolute rei dominium emptori tradere ; sed sufficit, si vacuam rei ossessionem tradat. Et ideo emptor regulariter tenetur ad rem vero omino petenti restituendam, nisi legitime eam jam præscripserit, t venditor tenetur ad evictionem. Pirhing de empt. § 9.

625. Periculum et commodum rei venditæ post traditionem, t pretii solutionem (1), ut clare per se patet, spectat ad em-torem, quia verus dominus est ; sed ad eumdem emptorem iam spectat, si traditio, et solutio adhuc facta non sit, et olus exstet contractus consensualis perfectus, quia vendens st debitor speciei, sive rei venditæ, quæ si pereat, a debito beratur ; ideoque emptori perit (2). Hinc si equus venditus noriatur, vel furto sit ablatus, si domus incendio consumpta uit, damnum ad emptorem pertinet (3) ; et versa vice omne

rei commodum post contractum ad eumdem emptorem spectat, quia ex regula juris, qui sentit onus etiam et commodum sentire debet (4). Emptor idcirco percipit rei fructus, et omne augumentum rei adjunctum, sive sit a natura, ut in alluvione, sive sit a casu, ut in incremento pretii.

(1) Illud hic notandum, quod solutioni æquiparatur fides habita emptori de pretio solvendo, et cautio fidejussoria, sive pignoralitia. — (2) Neque contra hoc facit, quod verum rei dominium transeat in emptorem solum post traditionem; ut supra diximus, et quod consequenter periculum, et commodum rei debeat penes venditorem manere ; nam hoc speciale est in venditione, quia in ea emptor per solum contractum quodam juris fictione rei dominus censetur, cum ex juris principio, qui ad rem actionem habet, rem ipsam habere videatur. — (3) Insuper pretium solutum amittit, et si nondum solverit, solvere debet eodem modo, ac si res integra maneret, quia contractus fuit perfectus. — (4) Cap. 55, de reg. jur. in 6.

626. Hæc tamen regula plures habet exceptiones, nam rei periculum pertinet ad venditorem : 1° si illud usque ad rei traditionem per pactum in se susceperit : quia ex regula juris contractus a conventione legem accipiunt (1); 2° si ex ejus dolo, aut culpa lata, vel etiam levi res perierit : nam regula est ab omnibus Doctoribus admissa, in contractibus bilateralibus in utriusque contrahentis commodum factis, præstandam esse nedum culpam latam, sed et levem (2) ; 3° si res perierit ex antiquo, et occulto vitio, quod videtur continere errorem in substantia; 4° si res vendita fuerit, ut dicunt, ad gustum, ad numerum, aut ad mensuram, vel ad pondus, et nondum degustata, numerata, admensurata, vel adpensa fuerit, quia ante operationes istas consensus fertur in incertum, vel saltem est conditionatus, ac proinde contractus perfici nequit (3).

(1) Cap. 85, de reg. jur. in 6. — (2) Idem dicendum si post pretii solutionem solus venditor sit in mora rem tradendi, quia mora culpam saltem levem ostendit, et mora cuilibet nocet. Cap. 25, eod. — (3) Aliter vero res procedit, si venditio fiat ad corpus per aversionem, ut dicebant Romani, vel in *massa*, ut Itali, aut *en bloc*, ut dicunt Galli. Hæc plane venditio fit, cum unico constituto pretio plura individua corpora, seu species emuntur, et venduntur per modum unius absque ulla ponderis, aut mensuræ expressione, ut

si ita ematur dolium vini, acervus frumenti, aut animalium grex. Hoc casu periculum spectat ad emptorem, et ideo dicitur venditio fieri *per aversionem*, quia avertit a venditore rei venditæ periculum, et transfert in emptorem. Reiffenstuel de empt. n. 221.

627. Contractui emptionis et venditionis sæpe apponuntur quædam pacta, quorum præcipua sunt : pactum *de retrovendendo*, pactum *legis commissoriæ*, et pactum *additionis in diem*. Pactum de retrovendendo, sive de redimendo est illud, per quod emptor, ejusque hæres debet, vel potest rem emptam, venditori retrovendere. Emptor debet rem venditori petenti retrovendere, si hoc pactum appositum sit in favorem venditoris, quo casu rei pretium solet minui ; et potest rem venditori retrovendere, si hoc pactum in favorem emptoris appositum sit, quo casu pretium augeri solet ; quæ pretii deminutio, et accretio a pacti favore pro alterutro cohonestatur, qui quidem est pretio æstimabilis. Hoc profecto pactum licitum est (1), etiam in venditione censuum (2), modo usuram palliatam non contineat ; et contractus cum eo initus ita validus est, ut emptor usque ad retrovenditionem tamquam rei dominus omnes fructus perceptos faciat suos, et pendentes inter ipsum, et venditorem pro rata sint dividendi. Si vero res pereat, emptor perit, et pactum evanescit, quia quod non existit, nec retrovendi, nec vendi potest.

(1) Sed non est licitum pactum, quo, elapso certo tempore, venditor rem redimere teneatur, et cum non possit redimere, rem in conductionem accipiat pro certo canone, qui vulgo dicitur *fitto franco*. quia hoc pactum reprobatum fuit a S. Congregatione de mandato Pii VI ut ref. Ferraris in bibl. verbo *contr. empt.* et Card. Soglia de jur. priv. § 116. — (2) Census varia significat ; sed hic accipitur pro jure percipiendi fructus ex re frugifera, quod quidem jus etiam cum pacto de retrovendendo licite vendi potest. Ad hunc tamen effectum necesse est adamussim observare dispositiones Extravagantium 1 et 2, de empt. int. com. sed maxime Bullæ Pii V. *Cum onus*, in qua prædictæ Extravagantes confirmantur. Huic tamen bullæ plures accesserunt Sacræ Congregationis decisiones. Giraldus ad tit. de empt. in fin.

628. Pactum legis commissoriæ, sive simpliciter lex commissoria, aut pactum commissorium est illud, quo a contra-

hentibus paciscitur, ut, pretio intra certum tempus non soluto, res maneat inempta. Dicitur commissoria, vel commissorium, quia si emptor pretium non solverit, committit in legem contractus, hoc est ex parte sua delinquit in legem, ita ut in arbitrio restet venditoris, in cujus favorem pactum introductum fuit, rem repetere cum omnibus fructibus, et accessionibus, vel pretium rei. In venditione hoc pactum est licitum, utpote quod contractui quodam modo inest (1).

(1) Aliter obtinet in pignore, ut infra suo loco videbimus.

629. Pactum denique additionis in diem est illud, quo a contrahentibus paciscitur, ut venditori liceat rem venditam alteri vendere, qui intra certum tempus meliorem conditionem offerat, si eamdem conditionem ipse emptor offerre recuset. Dicitur pactum additionis in diem, quia res vendita adjicitur emptori in diem, hoc est usque donec alteri plus offerenti secundum pactum vendatur; elapso vero tempore statuto, et nulla facta nova venditione, res perpetuo, et irrevocabiliter emptori attribuitur; sed pendente additione in diem emptor consideratur rei dominus, et ejus percipit fructus, quos tamen restituere tenetur, si emptio bona fide resolvatur.

630. Secundus contractus consensualis est locatio conductio, quæ proxima est emptioni venditioni, et eisdem ferme juris regulis regitur. Definitur autem, *contractus consensualis de usu rei ad certum tempus, aut de opera illiberali pro certa mercede præstanda.* Hinc duo sunt præter consensum ejus substantialia : primum videlicet usus rei vel opera, et deinde merces. Primum substantiale, id est usus rei demonstrat præcipuam differentiam inter venditionem et locationem : nam in illa rei dominium, et in hac tantum rei usus transfertur; e propterea multa, quæ vendi non possunt, possunt locari, u sunt res Ecclesiæ, et civitatis, et multa, quæ possunt vendi non possunt locari, ut sunt res fungibiles, quæ usu consumuntur. Cæterum omnes res, quæ in hominum commercio sunt quæque usum præbent temporali mercedi æstimabilem, sive mobiles, sive immobiles, propriæ, et usufructuariæ, imm

iam conductæ, nisi adsit pactum in contrarium, locari pos-
int (1). Opera vero, quæ locari potest, debet esse illiberalis,
honesta, uti est opera famuli, opificis, et mercenarii : nam
pera liberalis, et quæ ingenio producitur, locari non potest,
ia mercedem non admittit, sed tantum honorarium (2).
uandoque tamen locatur opus pro certa mercede faciendum,
si quis cum cæmentario paciscatur, ut sibi pro certa mer-
ede domum ædificet : hæc locatio operis novam locationis
eciem constituit, de qua consulendi sunt Doctores.

Alterum substantiale hujus contractus est merces, quæ in
ecunia numerata regulariter consistere debet ; alias posset
catio conductio in contractum innominatum degenerare, ut
quis locaret agrum suum, ut colonus quotannis æquum da-
et. Nihilominus moribus præsertim nostris contractus cense-
ir locationis et conductionis, si conventio ita fiat, ut con-
uctor determinatam fructuum portionem, ex. gr. unum
uotannis frumenti modium locatori loco pecuniæ tribuat ;
æc tamen fructuum portio ad locationis validitatem debet
sse omnino certa, et determinata; et si pro certa portione
aciscerétur fructuum medietas, quæ semper incerta est, con-
uctor non esset simpliciter colonus, sed colonus partiarius;
t contractus de societate participaret, ad quam unus confert
peras et alter rem.

(1) Locator dicitur qui rem utendam tradit, et mercedem accipit ;
nductor vero, qui rem utendam accipit, et mercedem solvit. Con-
uctor insuper dicitur *colonus*, si agrum, et *inquilinus*, si domum
l habitandum conducat, et *publicanus*, si publica conducat vecti-
alia. Nota, clericos, non posse bona laicorum conducere, nisi in
ræcisa necessitate. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 117.

631. Ex jure sacro per dispositionem Gregorii IX (1) circa
bligationes ex hoc contractu nascentes hæc specialiter con-
ituta sunt : 1° si sterilitas vitio rei, et sine culpa coloni, seu
asu fortuito producta, magnum damnum colono afferat, mer-
es pro rata est illi condonanda, nisi sterilitas cum ubertate
ræcedentis, vel subsequentis anni valeat compensari (2) ;
° si necessitas alio modo non avertenda superveniat locatori,
otest inquilinum domo locata privare, ut eam ipse, vel ali-

quis suorum habitet (3); 3° si domus locata ruinam minetur vel omnino reparatione egeat, locator potest inquilinum ac tempus e domo locata ejicere, ut restauretur, remissa pro eo tempore correspondenti mercede; 4° si inquilinus perverse in domo locata conversetur, id est, si domum culpa sua notabi liter deteriorem reddat, vel ea utatur contra bonos mores in ea recipiendo ex. gr. meretrices aut fures, potest locator eum de domo expellere; 5° si conductor per biennium statutam mercedem non solverit, vel celeri satisfactione moram non purgaverit, potest eum locator usu rei locatæ privare (4).

(1) Cap. 3 de locat. — (2) Circa determinationem damni, ut ma gnum dici queat, dissentiunt Doctores : alii dicunt, tunc esse ma gnum, cum colonus, detracto semine, et impensis, non habet e fructibus perceptis dimidiam partem salvam ad debitam merceden persolvendam ; alii, cum non habet salvas duas tertias partes ; e alii, cum non percepit medietatem fructuum, quos ordinarie fun dus producit. Sapienter tamen ille aget, qui hanc determinationem a judice petet, qui secundum locorum consuetudines, et circumstan tias rem melius, et tutius poterit definire, nedum quoad causam damni, sed etiam quoad quantitatem remissionis mercedis in toto vel in parte. Cæterum, si colonus nihil percepisset, nihil teneretu solvere, ut declarat Gloss. ad cit. cap. 3, verbo *Vitio*. — (3) Casus necessitatis Doctores dicunt, si locator domum suæ habitationis in cendio, vel ruina amiserit, si uxorem duxerit, si majori familia pro s suisque indigeat, si habitationem filio, patri, aut matri debeat prov dere ; quibus consentit Glossa loc. cit. — (4) Sed hodie observandum est, ut sapienter animadvertit Giraldus, etiam in tribunalibus ec clesiasticis, quoad moram biennii, ejusque purgationem, rem definir ad normam juris civilis, quod disponit, conductorem non solventem mercedem statim posse ex re locata expelli, et nullam moræ purga tionem in hoc contractu esse concedendam. Cit. cap. 3, de locat. Hi notamus, locationem a beneficiato factam ad ejus tantum vitam du rare, vel ad summum ad annum post ejus mortem. Card. De Luc disc. 25, de locat., licet aliter obtineat in locationibus ab Ecclesiis piisque locis factis, quæ durant ad tempus statutum. Illud quoqu adjicimus, quod locationes bonorum ecclesiasticorum per anticipa tas solutiones factas in præjudicium successorum non sustinentur Trid. sess. 25, c. 11, de ref.

632. Tertius contractus consensualis est emphyteusis, qu definitur, *contractus consensualis de dominio utili* (1) *prædii i perpetuum, vel ad tempus non modicum alteri concedendo pr*

certo annuo canone in agnitionem dominii directi præstando (2). Hic contractus græce dictus est emphyteusis, quod nomen latine significat meliorationem, seu implantationem, quia qui prædium accipit, tenetur illud per culturam, vel per restaurationem meliorare (3). Differt autem a venditione, quia in hac datur pretium valoris rei repræsentativum, et post traditionem plenum rei dominium in emptorem transfertur; in emphyteusi autem promittitur tantum annuus canon solvendus, et solum dominium utile transfertur. Differt etiam a locatione, in qua transfertur in conductorem solus rei usus, et merces est proportionata fructibus; in emphyteusi vero transfertur etiam dominium rei utile, et canon annuus præstandus est modius, nec datur pro fructibus, sed in recognitionem dominii directi. Emphyteusim dividunt Doctores in *ecclesiasticam* et *laicalem* : illa in bonis ecclesiasticis, hæc in bonis laicorum constituitur; dividunt etiam in *perpetuam* et *temporalem* : perpetua est, quæ transit ad hæredes quoscumque emphyteutæ, qualis esse præsumitur omnis emphyteusis, nisi aliud ex contractu colligatur; et temporalis, quæ conceditur ad tempus determinatum, ex. gr. ad 30 annos, vel ad vitam domini directi, aut ad vitam emphyteutæ, ad unam, vel plures generationes. Quando ad vitam conceditur, emphyteusis *vitalitia* solet appellari.

(1) Dominium in genere est jus in re corporali competens, ex quo facultas de ea disponendi, et vindicandi nascitur, nisi lex, aut conventio, aut voluntas testatoris obstet, quod tantum in rebus corporalibus datur; nam in rebus incorporalibus datur quasi dominium. Dominium est plenum, si in una persona adsit facultas de re disponendi, et utendi; et est minus plenum, si duæ hæ facultates in duas dividantur personas, ut in emphyteusi, in qua qui rem dat, servat sibi dominium directum, et res, eo inconsulto, vendi non potest; et qui rem accipit, acquirit dominium utile, et omnem percipit rei utilitatem. Propterea qui fundum emphyteuticum assignat, dominus directus, et qui accipit, dominus utilis, sive emphyteuta appellatur. — (2) Dicimus de dominio *concedendo*, et canone *præstando*, quia ex solo contractu oritur jus ad rem, et solum per traditionem oritur jus in re, ut contingit in aliis contractibus consensualibus. In jure autem ad rem persona nobis obligata est, ut aliquid faciat, vel tradat; in jure vero in re ipsa res nobis obligata est, et possumus eam persequi penes quemcumque possessorem, ac nobis

vindicare. — (3) Ab antiquis temporibus dari in emphyteusi soleban tantum agri steriles, et inculti, ut per culturam, seminationem e implantationem frugiferi redderentur; sed postea usus invaluit, ut in emphyteusi dari possent aliæ res, ex. gr. domus, et ædificia eo fine et utiliores, ut meliores fierent.

633. Nedum temporalis, sed et perpetua emphyteusis in bonis ecclesiasticis non multum utilibus constitui potest. Hoc enim expresse concessit Alexander III in casu, quo quidam de silvis Ecclesiæ fecerant terras arabiles silvas extirpando Quæsitum enim ab eo fuit, an terræ illæ arabiles possent sub annua pensione concedi hæreditatio jure tenendæ illis, vel hæredibus eorum, qui labore suo illas extirpaverunt, et respondit posse illis concedi, nisi forte possent aliis ad majorem Ecclesiæ utilitatem conferri sub eodem onere, et labore (1). Sed ut hoc nunc liceat, observandæ sunt novæ juris solemnitates ut infra videbimus.

(1) Cap. 7, de reb. eccl. non alien. Can. 2, c. 10, q. 2.

634. Emphyteuta per hunc contractum jura acquirit, et onera subit. Inter jura præcipua sunt, ut queat tamquam dominu re uti et frui, ejus fructus omnes, et accessiones sibi adscribere, faciem fundi immutare, modo illum deteriorem non reddat, et ab alio quocumque possessore sibi fundum vindicare, donare, ad hæredes transmittere per testamentum, siv ab intestato, et denique, domino directo consentiente, vel sa tem consulto, vendere. In casu enim venditionis Gregorius I sancivit, ut emphyteuta deberent prius Ecclesiam, cui dom nium directum competit, requirere, eique denunciare quantu pretium ab alio sibi pro venditione offeratur, et deinde p duos menses expectare, quo tempore elapso, si Ecclesia no declaraverit, se eodem pretio velle emere, (habet enim jus potest libere alteri fundum vendere (1). Hæc tamen requisitio, denunciatio non est necessaria in casu donationis, aut succe sionis testamentariæ, vel legitimæ, quia cessat ratio emption ex parte Ecclesiæ.

Inter onera emphyteutæ duo maxime consideranda sun

nempe illud solvendi canonem, et alterum præstandi laudemium. Canon, sive pensio in emphyteusis concessione conventa, quotannis ab emphyteuta solvenda est domino directo, a qua non liberatur per rei sterilitatem, neque per casum fortuitum, nisi tota res pereat (2). Et si intra biennium etiam non rogatus canonem non solverit, ac moram celeriter non purgaverit, potest ab emphyteusi expelli (3). Laudemium autem est præstatio quædam a novo emphyteuta in transitu emphyteusis ad extraneum (4), ut per donationem, legatum, venditionem, etc, vel in renovatione emphyteusis (5), domino directo solvenda in recognitionem dominii directi, et ad effectum novam obtinendi investituram, que ex jure Romano in quinquagesima parte pretii valoris fundi, vel rei consistebat, sive erat 2 pro centum valoris fundi; sed nunc ex consuetudine varia est, et ubique fere adaucta : alicubi enim est vigesima pars pretii, idest 5 pro centum, et alicubi etiam decima, id est 10 pro centum (6).

(1) Cap. ult. de locat. — (2) In hoc emphyteusis differt a locatione, quia canon, cum sit modicus, non remittitur neque in casu sterilitatis. Si vero canon constitueretur magnus, et fructibus corresponderet, emphyteusis locationis similitudinem referret, et canonis remissio posset juste peti. Ex integro vero pereunte re, nullus debetur amplius canon, quia non amplius exstat dominium directum. — (3) Cit. cap. ult. de locat, et ib. Gloss. verbo *expelli*.— (4) Dicimus *ad extraneum*, quia rei transitus ad hæredem necessarium, vel legitimum, qui ex legis dispositione ab intestato in bona defuncti succedit, non importat laudemii solutionem. Cum enim dominium utile emphyteutæ per se transeat ad hæredes, nulla requiritur nova investitura, et nullum proinde est solvendum laudemium.—(5) Renovatio fit, cum emphyteusis conceditur ex. gr. ad xxx vel xl annos cum pacto, ut hoc transacto tempore, dominus directus tennatur iterum rem nominatæ personæ, aut familiæ in emphyteusim concedere. — (6) Hic observamus, laudemium in emphyteusi in favorem beneficii, esse in fructu, et pertinere ad beneficiatum. Excipiendus tamen videtur casus, quando emphyteusis solvitur, vel juxta leges modernas civiles redimitur ab emphyteuta dando viginti annatas, et laudemium. Hoc quidem casu laudemium imputandum videtur in sortem, et proinde cum reliqua sorte investiendum esse in bonis stabilibus juxta sacrorum canonum dispositionem, eo quod per hanc exactionem emphyteusis extinguitur, et successores futuris laudemiis privantur. Cum enim hoc laudemium detur ad supplendum dominium dire-

ctum, quod amittitur, æquum est, ut ejus pretium pro successoribus servetur. De Luca de emphyt. disc. 76.

635. Dominus directus ex alia parte quædam per hunc contractum jura consequitur, cujusmodi est jus exigendi canonem, ac laudemium, et jus emphyteutam ex re emphyteutica expellendi ex juxta, et legitima causa (1). Idem similiter dominus quibusdam gravatur oneribus : tenetur enim emphyteutæ rem tradere, et liberam a quocumque gravamine eidem conservare, ut dominium utile exercere, et re uti, ac frui libere possit. An vero melioramenta in ipsa re facta, finita emphyteusi, pertineant ad dominum directum, vel ad emphyteutam, definiendum est ex ipsorum natura : nam melioramenta facta ab emphyteuta juxta naturam contractus, uti est agri cultura, et arborum plantatio pertinent ad dominum directum ; alia vero melioramenta præter contractum ab emphyteuta in prædio facta, uti esset constructio domus, vel alterius ædificii pertinent ad emphyteutam, ejusve hæredes, quorum æstimationem, finita emphyteusi, dominus directus præstare tenetur (2).

(1) Talis causa est, si canonem non solvat, si culpa prædium deperdat, aut vendat, inequisito domino directo. — (2) Reiffenstuel de locat. n. 189 et 165.

636. Quartus contractus consensualis est societas, quæ definitur, *contractus consensualis de re, vel operis communicandis lucri in communi faciendi causa* (1). Id quidem contingeret, si unus ex. gr. pecuniam, et alter laborem, vel operam in commune conferret, ut lucrum commune esset. Hic contractus, de quo ex professo non agitur in jure canonico, ut rite ineatur, quasdam requirit conditiones : 1ª, ut versetur circa materiam honestam, et licitam; nam rerum turpium, et moraliter impossibilium nulla potest esse obligatio; 2ª, ut servetur æqualitatem inter pecuniæ commodum, et laboris æstimationem, quæ in contractibus bilateralibus semper est observanda; 3ª ut damnum omnibus sociis imputetur ; hinc reprobatur societas, ut unus habeat omne lucrum, et alius damnum sustineat, quæ appellatur societas *leonina*.

(1) Societas differt a communione bonorum ; nam societas est contractus, et communio bonorum quasi contractus. Insuper societas fit consensu, et in communionem bonorum quis incidit etiam invitus, ut si unum patrimonium pluribus relinquatur hæredibus.

637. In hoc contractu illud speciale est, quod societas dissolvitur morte alterutrius ex sociis, societas enim ad hæredes non transit; et quod possit dissolvi mutuo dissensu, licet jurejurando fuerit confirmata (1). An vero possit dissolvi voluntate unius, alio vel aliis invitis, duæ sunt sententiæ. Qui scribunt ad tramites juris Romani docent, posse dissolvi etiam voluntate unius, aliis invitis, etsi expresse ab initio aliter conventum fuerit, quia nemo cogitur manere in societate, quæ dicitur discordiarum mater, modo tamen id contra absentem, aut intempestive, aut fraudulenter non fiat (2). Sed S. De Ligorio docet, societatem ita non posse dissolvi, nisi id fiat ad bonum publicum, vel absit spes obtinendi societatis finem, vel alter non servet pacta, aut grave damnum societati afferat, quia secus a societate discedens ad interesse erga alios socios teneretur (3).

(1) Cap. 2. de sponsal. — (2) Zallinger ad lib. 3. Decret. § 213. — (3) De contract. n. 907.

638. Quintus demum contractus consensualis est mandatum, quod definitur, *contractus consensualis, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum gratis administrandum, gerendumque suscipitur* (1). Dicimus *negotium* (2), ad significandum hic non agi de mandato ad lites, vel ad judicia, de quo infra specialiter tractamus. In multis enim conveniunt mandatum ad negotium, et mandatum ad judicium ; sed est judicium negotium speciale, quod multa specialia requirit. Dicimus ex *fiducia,* quia mandans non imperat, sed negotium committit inferiori, aut etiam superiori veluti amico, qui adhuc non obligatur, nisi mandatum acceptet. Dicimus denique *gratis,* alias mandatum in contractum locationis operarum, aut in contractum innominatum transformaretur. Hic contractus fundatur in notissima regula juris : *Qui per alium facit, per se*

ipsum facere videtur. Mandatum dividitur: 1° in *expressum*, *tacitum* et *præsumptum*. Expressum dicitur, quod fit verbis, vel scriptis; tacitum, quod resultat ex facto, ut si quis videat alium negotia sua agere, et non contradicat, cum possit: hoc ipso enim intelligitur probare; et præsumptum, quod habet locum inter personas conjunctas, ut cum maritus agit pro uxore, aut filius pro patre, vel matre: præsumitur enim ratione necessitudinis, et propinquitatis mandatum adesse; sic etiam clericus pro ecclesia sua agere potest, modo caveat de rato sub fidejussoria cautione (3). 2° Mandatum dividitur in *generale*, quod ad omnia negotia extenditur, modo speciale mandatum non requirant, et *speciale*, quod aliquod determinatum negotium tantum comprehendit. Sed juvat hoc attendere, quod mandatum speciale derogat generali (4), et quod generale quandoque comprehendit speciale, cum expressa potestas ad aliquod determinatum negotium conceditur (5).

(1) Mandatum uti contractus toto cœlo differt a mandato Apostolico, cujus frequenter occurrit mentio in jure canonico. Hoc enim non continet solum commissionem, sed jussionem, et imperium, ac interdum rescripti, vel constitutionis nomine designatur. — (2) Additur *honestum*, quia maleficiorum, rerumque inhonestarum non valet mandatum. — (3) Cap. 34. de offic. deleg. Ratihabitio mandato æquiparatur, et qui ratum habet, probat factum nomine suo. Cap. 9 et 10. de reg. jur. in 6. — (4) Cap. 2 de offic. legat. — (5) Quando mandans in generali mandato vult concedere etiam speciale solet apponere clausulam : *etiam ad ea, quæ speciale mandatum exigunt*; hæc tamen formula non sufficit ad mandatum speciale constituendum ; sed requiritur omnino, ut mandans aliquos casus speciatim enumeret, in quibus intendit mandatum speciale concedere, et adjungat : *et alia, quæ speciale mandatum requirunt* ; quo facto, in mandato comprehendunt omnia minora, et similia expressis, non vero majora, *cum sub generalitate tali graviora non veniant, vel majora*. Clem. 2 de procurat.

639. Qui mandatum suscipit, sive mandatarius tenetur formam mandati diligenter observare : unde si fines mandati excedat, vel quod mandatur, ut faciat uno modo, olio adimpleat, perperam agit (1); et si intra tempus sibi præfixum nequivit negotium absumere, quantocius tenetur adimplere, quod Innocentius III exemplificat in eo, qui ex mandato debet rem cer-

tam ad certum diem solvere, quam, eo etiam elapso die, cito solvere tenetur (2). Cæterum in mandato explicando, ubi verba non sint satis clara, interpretatio sumenda est ex mente mandantis (3). Ex alia vero parte mandans tenetur solvere expensas a mandatario in mandati executione factas (4); et si capitulum alicui suo canonico propter evidentim ecclesiæ utilitatem mandatum conferat ejus tractandi negotia, tenetur illi distributiones quotidianas salvas reddere, ubi propter ipsa negotia divinis officiis interesse nequivit (5).

(1) Cap. 9 de arbitr. Nihilominus pœnæ possunt incurri cap. fin. de homicid. in 6. — (2) Cap. 6, de dol. et contum. — (3) Cap. 8 de rescript. et cap. 38, de præbend. — (4) Cap. 6, de procurat. et ib. Gonzalez. — (5) Cap. 1, de cler. non resid. in 6.

640. Cum mandatarius fines mandati debeat observare, necesse est illi prospicere, an mandatum sit absolutum, vel conditionatum, an sit generale, vel speciale, an totum negotium sit commissum, vel ejus pars, ac demum negotium tale sit, ut mandatum speciale requirat. Plura profecto sunt negotia, quæ mandatum speciale exigunt, quorum passim in his institutionibus mentionem facimus, sed præcipue requiritur : ad contrahendum matrimonium pro alio (1), ad appellandum contra electionem, et opponendum crimina vel defectus contra personam ad prælaturam electam (2), ad transigendum, vel paciscendum (3), ad compromittendum (4), ad obtinendum a Papa rescriptum ad lites, quando de conjunctis personis nonagitur (5), ad oblinendam principaliter restitutionem in integrum (6), et in aliis similibus casibus speciale mandatum requiritur.

(1) Cap. ult. de procurat in 6. — (2) Cap. 38 eod. et Clem. 2 eod. — (3) Cap. 4, eod. in 6. — (4) Cap. 9, de arbitr. — (5) Cap. 28 et 33, de rescript. — (6) Secus esset si peteretur incidenter in causa, ex. gr. contra lapsum fatalium. Reiffenstuel de procurat. n. 103, et Gloss. ad cit. cap. 4 de procurat. in 6, verbo *pacisci*.

641. Tribus modis præsertim mandatum expirat, nimirum

revocatione, *renunciatione* et *morte*. Per revocationem mandantis cessat mandatum, modo res integra sit ; si enim negotium jam inchoatum fuisset, adhuc mandatum posset revocari, sed tantum tempestive, et data mandatario sufficienti indemnitate, quia posset adesse tum damnum expensarum, tum famæ periculum (1). Ut tamen revocatio effectum mandati impediat, debet esse ipsi mandatario, et interesse habentibus significata ; sed, ut alibi jam observavimus, excipitur matrimonium, quod post revocationem mandati nulliter contrahitur, etiamsi mandati revocatio non innotuerit (2).

Per renunciationem similiter mandatum cessat; nam ut mandans potest mandatum revocare, sic mandatarius potest illi renunciare; sed hoc tempestive, et absque mandantis præjudicio fieri debet. Porro ad licite jam suscepto mandato renunciandum, cum invitus est mandans, aliqua desideratur justa causa, quia omnino liberum est mandatum suscipere, sed non æque liberum mandatum dimittere (3). Si vero mandatarius ad negotium velit per alium agere, potest alium sibi quandoque substituere (4), excepto matrimonio, ad quod contrahendum non potest alium mandatarius substituere sine expresso ad id mandato (5), quod, ut ait Engel, ob paritatem rationis ad alia magni momenti negotia, et præsertim, ut putamus, quando electa specialiter apparet industria personæ, extendendum videtur (6).

Per mortem denique cessat mandatum : et quidem per mortem mandatarii absolute, quia hoc officium non transit ad hæredes; per mortem vero mandantis cessat mandatum, si res sit integra, et non cessat, si gestio negotii incœpta jam fuerit. Quod cesset mandatum, re integra, limitatur in causis piis, ut si quis alteri mandaverit pecuniam pauperibus distribuere, quam distribuere potest etiam post mandantis mortem, quod in aliis causis favorabilibus observatur, veluti si quis mandaverit puellæ dotem dare; limitatur quoque cum mandans pro mandatario fidejusserit, vel satisdederit (7). Quod autem non cesset mandatum, si negotii gestio jam fuerit incœpta, limitatur quoque in casu mandati a prælato, vel clerico in causa ecclesiæ, vel beneficii collati, cum mandatum, etiam re non

integra, per constitutionem Clementis V, hoc casu extinguatur (8).

(1) In mandato judiciali certum est mandatum non posse revocari post litem contestatam, nisi ex justa causa, quia per litis contestationem procurator fit dominus litis; justæ autem hujusmodi causæ referuntur in cap. 2 de procurat. in 6. — (2) Cap. 3 et 7 de procurat. et cap. 9 eod. in 6. — (3) Causæ expressæ in cit. cap. de procurat. in 6, quæ jus tribuunt revocandi mandatum judiciale etiam mandatario ad negotia prosunt ad renunciandum mandato; hæ autem causæ sunt: inimicitia suborta, nova suspicio, propinquitas contracta cum adversario, spes hæreditatis illius, ingressus in religionem, peregrinatio, ægritudo, in carcerem detrusio, seu alia rationabilis causa. — (4) Cap. 1, de procurat. in 6. — (5) Cit. cap. ult. de procurat. in 6. — (6) De Procurat. n. 10. — (7) Id. ib. n. 20. — (8) Clem. *Procuratorem* 4, de procurat.

TITULUS XXVIII.

DE CONTRACTIBUS REALIBUS.

Summarium: 642. Quid sit mutuum, et in quibus rebus fiat? — 643. Usura in quo consistat, et quo jure usura lucratoria prohibeatur? — 644. Qui sint tituli a damnata usura excusantes? — 645. Qui tituli non excusantes? — 646. Quandonam committitur usura palliata? — 647. Quid sit commodatum? — 648. Quæ sint obligationes commodatarii? — 649. Quid dolus, culpa, et casus fortuitus? — 650. Quæ horum regulæ in contractibus observandæ? — 651. Quid sit depositum, et quotuplex? — 652. Quæ sint obligationes depositarii? — 653. Quid sit pignus, et hypotheca, et quomodo constituatur? — 654. Ad quid ita contrahentes ad invicem teneantur? — 655. Quot sint cautionum species? — 656. Qui possint fidejubere? — 657. Quæ sint fidejussorum beneficia?

642. Contractus reales, qui ita appellantur, quia a rei traditione substantiam capiunt, quatuor sunt, nimirum: mutuum, commodatum, depositum, et pignus, de quibus brevissime pro instituto nostro agimus.

Mutuum ita dictum quod *ex meo tuum* fiat, definitur, *contra-*

ctus realis, quo res fungibilis ita alicui datur, ut ejus fiat, et postea tantumdem in eadem specie restituat. Ex hac definitione patet, mutuum posse habere locum tantum in rebus fungibilibus, quæ numero, pondere, et mensura veneunt, quæque usu consumuntur, ut pecunia, triticum, vinum, oleum, etc. (1), quarum dominium in mutuatarium transfertur (2), qui tantumdem, sive aliam rem similem in quantitate, et bonitate statuto tempore, vel quandocumque petenti mutuatori restituere tenetur. Si enim mutuatarius aliam speciem posset restituere, ex. gr. triticum pro vino, non foret mutuum, sed permutatio ; et si deberet restituere eamdem rem in specie, ex. gr. decem acceptos aureos, non foret mutuum, sed depositum (3).

(1) Res non fungibiles dicuntur, quæ usu non consumuntur, ut equus, currus, navis, etc.; quæque usum, et commodum præstant, dum ipsæ salvæ manent. Aliæ fungibiles appellantur, quia una earum quantitas fungitur vice alterius quantitatis. — (2) Consequenter si res mutuata pereat, mutuatario perit, quia res suo domino perit; et restat mutuatario onus aliam restituendi rem ejusdem speciei. — (3) Quicumque jus habet contractuum, potest mutuum dare, et accipere; ecclesia tamen, vel monasterium non obligatur a mutuo accepto a prælato vel rectore, nisi probetur, pecuniam acceptam versam fuisse in utilitatem ecclesiæ, aut nisi adsit necessitas cum expresso Capituli mandato. Cap. 1, de solut. Cap. 4 de fidejuss. et Ventriglia tom. 1, annot. 37.

643. Mutuum est contractus de sui natura beneficus, quia importat beneficium a mutuatore factum mutuatario de proprietate, et usu rei ad tempus cum sola obligatione rem suo tempore restituendi. Unde mutuatarius non tenetur aliquid sive magnum sive parvum præter sortem restituere, et si quid præter sortem restituat, et mutuator acceptet, usura committitur, quæ in eo præcise consistit, quod mutuator aliquod lucrum tamquam sibi ratione solius mutui debitum percipiat (1).

Usura in genere omni jure prohibetur : Concilium enim generale Lateranense III, sub Alexandro III, definivit, usuras condemnari *utriusque Testamenti pagina* (2), et Clemens V, in Concilio generali Viennensi declaravit, usuras esse *in offensam Dei et proximi, ac contra jura divina pariter et humana* (3).

Hoc ipsum ratio confirmat ; nam si in mutuo recipitur lucrum præter sortem, tollitur æqualitas inter datum, et acceptum, quæ tantopere necessaria est ad justitiam contractuum. Profecto hæc non adest æqualitas, si qui mutuum centum dedit, recipiat centum decem : hæc enim decem non possunt percipi ut fructus rei, quæ in dominium mutuatarii transivit, cui soli fructificat.

Conclusio hujusmodi procedit absolute in illa usura, quam Doctores appellant *lucratoriam*, et consistit in lucro, quod ratione solius mutui, et absque concursu alicujus extrinseci tituli percipitur. Hoc enim esset lucrum facere contra jus naturale, divinum (4), et ecclesiasticum (5) ; quod manifestam injustitiam continet, et ad restitutionem obligat etiam hæredes (6). Hinc jure meritoque damnanda quorumdam etiam catholicorum sententia ex schismatis calviniani incendio orta, quæ ab usuræ labe excusat lucrum moderatum ex pecunia negotiatori mutuata perceptum, ex qua ipse negotiator magnam retrahit utilitatem (7). Notum plane, et copertum est, neminem posse ex re aliena lucrum facere ; at res mutuata fit aliena, cujus solus mutuatarius debet omne commodum, et damnum sentire : quomodo ergo fieri poterit, ut res tota ipsi pereat, et omnes ei non sint attribuendi fructus, sed cum mutuante dividendi ? Insuper pecunia, et res fungibiles in se sterilis est, nec fructus affert ; sed sola industria ex ea fructus percipit ; atqui solus mutuatarius ponit industriam ; ergo solus mutuatarius debet omnes fructus colligere (8).

(1) Quod communiter dicitur usura appellatur etiam *fœnus*. Hoc utroque nomine indicatur lucrum, quod percipitur ex mutuo. Dicitur usura ab usu rei, quia nimirum lucrum percipitur propter concessum usum rei ; et dicitur fœnus a fœtu, sive partu, quia lucrum, quod percipitur a pecunia mutuata, habetur tamquam ipsius pecuniæ partus. Quare contractus usurarius, et contractus fœneratitius idem sonant. — (2) Cap. 3 de usur. in quo gravissimæ pœnæ contra usurarios decernuntur. — (3) Clem. unic. de usur. ubi sub pœna excommunicationis omnibus potestatibus et judicibus prohibetur, ne statuta de solvendis usuris faciant, aut judicent. — (4) Exod. 20 Levit. 35, Deuter. 23 et Luc. cap. 6 ℣ 14 ubi habemus : *Mutuum date nihil inde sperantes*. — (5) Hoc eruitur ex multis sacris canonibus dist. 47. caus. 14, q. 3 et 4 et tit. de usur. in Decretal. et Clement. — (6) Cap.

5, de usur. et Encycl. eod. n. 27. — (7) Benedictus XIV de Synod. l. 10, c. 4, n. 3. — (8) Adeo grave est crimen usurarum, ut clerici usurarii ab officio, et beneficio suspendendi sint, et eodem privandi. Cap. 1 et 7 de usur. Can. 4 et 8, c. 13, q. 4; laici vero irregularitate notandi sint. Can. 4, dist. 47, excommunicatione feriendi. cit. cap. 7, de usur., et si manifesti sint, altaris communione, et sepultura ecclesiastica privandi. Cap. 3 de usur., et ad oblationes ecclesiæ faciendas non admittendi, nisi prius usuras restituerint. Cap. 3, de usur. et cap. 2, eod, in 6; super quibus nec Papa dispensat, etiamsi ageretur de dispensatione pro pauperibus, causis piis, et redimendi vitam captivi. Cap. 4 de usur.

644. Eadem conclusio non procedit in illa usura, quam Doctores appellant *compensatoriam*, et consistit in lucro, quod ex mutuo percipitur, non ratione ipsius mutui, sed ratione alterius justi tituli in mutuo concurrentis, ob quem aliquid ultra sortem licite exigi potest, quia quod exigitur ad interesse et compensationem refertur. Tales tituli sunt sequentes : primus *damnum emergens*, cum mutuator ob mutuum damnum patitur, quo casu non lucrifacit, sed se indemnem servat (1) ; secundus, *lucrum cessans*, cum mutuator ob mutuum amittit lucrum, quod percipiebat, vel percipere volebat ex pecunia ad licitam negotiationem, vel ad emenda prædia destinata, quia beneficium, alteri præstitum nemini debet esse damnosum (2) ; tertius, *periculum sortis*, cum nimirum adest probabile periculum sortem amittendi, vel non sine magnis molestiis recuperandi, quia ob alterius gratiam exponere huic periculo res suas est certe aliquid pretio æstimabile (3); S. de Ligorio hoc confirmat ex decreto Concilii Lateranensis sub Leone X in sessione decima, ubi decernitur, periculi titulum a damnata usura excusare, et ex declaratione S. Congregationis de Propaganda Fide, in qua permittitur, aliquid in mutuo accipere, quod sit periculo proportionatum ratione periculi probabiliter imminentis (4).

Præter hos titulos ex communi Doctorum sententia certos, sunt et alii, de quibus controvertitur, uti est pactum pœnale aliquid præter sortem restituendi in casu moræ ad mutuum solvendum ex culpa debitoris (5), et ut est etiam lex civilis, quæ in mutuo usuram statuit legalem percipiendi quinque pro

entum ad annum in materia civili, et sex pro centum in ma-
eria mercatoria. Quoad primum dicimus, statutam pœnam,
odo recte moderata sit (6), absque usuræ crimine peti posse,
t solvi, quia hoc lucrum, sive auctarium non petitur in vim
utui, sed in vim moræ culpabilis in mutuo suo tempore sol-
endo, et non oritur ex causa injuste ditescendi, sed ex causa
onesta reddendi mutuatarium vigilem, paratumque ad mu-
um suo tempore reddendum, ne mutuator propter moram
ogatur damnum emergens, vel lucrum cessans sustinere.

Quoad secundum, quoad legem civilem, an præbeat justum
surarum titulum, duæ sunt contrariæ Doctorum sententiæ;
na affirmat, et altera negat. Qui affirmativam tenent ad im-
erium eminens Principis sæcularis, ad altum ejus dominium,
ad publicam necessitatem appellant, quorum vi credunt,
rincipem posse ex publica causa juribus privatorum dero-
are, et usuram late sumptam licitam etiam in conscientia
eddere. Qui vero tenent negativam vident in casu usuram
ricte sumptam, et simpliciter lucratoriam jure naturali et
ivino prohibitam, cui proinde derogare non potest lex hu-
ana; et habent hoc a Benedicto XIV declaratum, et defini-
m in suo opere de Synodo diœcesana, et in Encyclica circa
suras a se edita (7). Verum ab anno 1830, ferventi inter Do-
ores disputationi modus a S. Sede impositus fuit, dum pluries
er surpremam Congregationem sancti Officii, et per Sacram
œnitentiariam declaravit, usurarum præstationem ex solo
ulo legis civilis eousque tolerandam esse, donec *Sancta*
edes definitivam decisionem emiserit, et dummodo pœnitentes
ut usuras exigentes, vel solventes) *parati sint stare manda-*
Sanctæ Sedis (8).

(1) Exèmplum habemus in casu, quo mutuator cum mutuatario
ciscatur, ut sibi reddat usuras, si ipse ob defectum pecuniæ suam
n poterit restaurare domum, quæ reparatione indiget; et in casu,
quo ob moram restituendi mutuum ipse mutuator coactus sit, ex.
. frumentum sibi majori pretio emere, quod minori emisset, si
o tempore debitor mutuum solvisset. — (2) Hoc eruitur ex celebra-
sima Bulla circa usuras edita a Benedicto XIV. *Vix pervenit.* Ad
fectum citatum tamen prævium pactum requiritur, aut posterior
ora culpabilis; et pactum non potest excedere æstimationem lucri
ssantis. — (3) Hoc contingere duobus modis solet: primo, quando

mutuatarius est pauper, ac dubiæ fidei, et non vult, aut non pote in mutui securitatem pignora, aut fidejussorem dare; secundo, quand mutuator suscipit in se periculum sortis, ut si quis mercatori tran mare eunti centum mutuetur ea lege, ut si salvus redierit, restitua centum et viginti, si vero navis perierit, nihil reddere teneatur; i qua speciem habemus nautici fœnoris, velut ut alii dicunt assecu rationis maritimæ, quæ pro certo pretio periculi aversionem conti net. Zallinger ad tit. de usur. § 229. — (4) Theol. moral. l. 3, n. 765. - (5) Hæc usura a Doctoribus appellatur *punitoria*, sive *moratoria*. - (6) Hoc est culpæ proportionata, et ut habeat dilationem notabile qua mutuatarius queat solvere, nec non durationem convenient in contractu, ne hoc sub velamine mutuum palliatum lateat. — (De Synod. l. 10, c. 4. Encycl. *Vix pervenit*. — (8) Hæ declarationes recentioribus scriptoribus referuntur, ut ab André in curs. jur. ca verbo *usure*. In his quidem S. Sedes respondit: 1° non esse inquie tandos Confessarios, qui absque restitutionis onere absolvunt perc pientes usuras, et pœnitentes, qui eas recipiunt ex solo titulo leg civilis, modo parati sint decisioni Sanctæ Sedis se submittere. Pi VIII in Cong. S Officii 16 Aug. 1830. Ead. Cong. S. Offic. 17 janua 1838 et S. Pœnitentiaria 16 Sept. 1830 et 11 Nov. 1831: 2° posse bene ciatos, monasteria et ecclesias mutuam dare eorum pecuniam, ex qu redditus sibi necessarios hauriant, atque ex solo legis civilis titu quinque pro centum singulis annis percipere, modo omnes sic usur percipientes parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis. Responsio Offic. 31 Maii 1831 approbata a Gregorio XVI die 7 Sept. ejusdem ann Hinc sequitur, S. Sedem quæstionem a Theologis agitatam de titu ex lege Principis desumpto noluisse definire; sed solum normam v luisse proponere, quam confessarii tuto sequerentur erga pœnite tes, qui moderatum lucrum lege Principis statutum acciperent, don ipsa S. Sedes definitivam sententiam emiserit, ut S. Pœnitentiar 7 mart. 1835 episcopo Vivariensi respondit.

645. Sunt denique quidam tituli spurii, qui ex commu Doctorum sententia usuram licitam nullo modo reddere po sunt, cujusmodi sunt sequentes: *gratitudinis*, *aut benevolent debitum*, quod obligationem perfectam non potest inducere (1 *carentia pecuniæ*, quæ cum sit mutuo intrinseca, ut ex mutu ita ex carentia pecuniæ lucrum capi nequit (2); *obligatio n repetendi sortem intra certum tempus*, quæ in omni mutuo aliquid tempus semper inest (3), et *consuetudo*, quæ nulla contra jus naturale, et divinum, a quo immutabiliter usu damnatur.

(1) Propterea Innocentius XI hanc damnavit propositionem: *Usu*

on est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolen-a, et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tamquam ex justi-a debitum. Prop. dam. sub. num. 42. — (2) Benedictus XIV in cit. ncycl. *Vix pervenit*, definivit, usuræ peccatum in eo esse repositum, *iod quis ex ipsomet mutuo... plus sibi reddi velit, quam est rece-um*; unde ab eodem Pontifice quilibet titulus mutuo innatus et trinsecus reprobatur. — (3) Ideo Alexander VII hanc damnavit pro-ositionem : *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se bliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Prop. amn. sub n. 42.

646. Præter casum expressi mutui, de quo hucusque egi-us, usuræ crimen committi potest, cum intervenerit alterius aturæ contractus, a quo usura veluti pallio tegitur, et ideo a octoribus dicitur *usura palliata.* Hoc contingit in emptione venditione, cum aliquod venditur pluris, quam valet ob latam pretii solutionem (1), et cum aliquod carius ven-tur, ut statim a venditore per se, vel per alium ematur, in uo adest contractus *mohatra* ab Innocentio XI damnatus (2). oc item contingit in pignore, cum debitor rem pignori dat, creditor pro usuris ejusdem rei fructus percipiat, in quo est pactum *antichresis* (3), vel ut pignus creditori cedat, si bitor intra statutum tempus debitum non solverit, in quo ctum *legis commissoriæ adest* (4).

Cæterum pecunia absque usuræ timore variis in contractibus honestum lucrum collocari potest, ut in societate, in censu, cambio, et in montibus pietatis. Brevitas nobis necessaria n sinit, ut de iis tractemus : quare lectorem ad probatos au-ores remittimus (5).

1) Cap. 10. de usur. Doctores tradunt idem procedere, si quid ema-minoris, quam valet, ob anticipatam solutionem. — (2) Hic Pon-ex sequentem damnavit propositionem : *Contractus mohatræ licitus etiam respectu ejusdem personæ; et cum contractu retrovenditio prævie inito cum intentione lucri.* Prop. damn. n. 40. — (3) In an-resi usura est palliata, quia pignus datur, ut securus fiat credi-, non vero, ut creditor rei pignoratæ fructus percipiat: etenim ditor percipiendo rei fructus idem facit, ac si usuras vetitas perci-et: idcirco fructus percepti in sortem imputandi sunt; et si ita per ctuum perceptionem debitum fuit extinctum, pignus est restituen-n. Cap. 6, de pignor. Antichresis tamen non reprobatur in pignore

dato pro dote, quia ibi est onus sustinendi onera matrimonii. Cap. 16, de usur., in pignore dato pro feudo. Cap. 1, de feud. Cap. 8, de usur., et in pignore dato pro usuris compensatoriis, quando adsit justus eas exigendi titulus. — (4) Pactum legis commissoriæ, quod licitum est in emptione, ut supra jam vidimus, non est licitum in pignore dato in securitatem crediti: nam in primo casu modo licito solvitur emptio venditio, et nemini damnum irrogatur; in secundo vero, cum pignus soleat excedere summam debiti, creditor sibi adscribendo pignus plus recipit, quam sibi debetur. cap. 7, de pignor. — (5) Postquam de societate egimus, de reliquis hæc notamus. 1° Census est jus percipiendi fructus ex fundo frugifero; unde usuram habere nequit. Extravag. 1 et 2, de empt. et vend. int. com. et bul. *Cum onus* S. Pii V. 2° Cambium est permutatio pecuniæ cum pecunia, quod si sit verum et reale, sive minutum, sive locale non est usurarium. Bul. *In eam* S. Pii V: dicitur reale, et verum cum pecunia cum alia pecunia vere et realiter commutatur, ut si pecunia argentea cum aurea in eodem loco commutatur, quo casu appellatur cambium minutum, aut si pecunia accipiatur in loco ex. gr. Genuæ, et in alio tradatur ex. gr. Romæ, quo casu appellatur locale. Non est autem usurarium, quia opera, et officium campsoris, ejus lucrum cessans, et pretiositas, ac commoditas pecuniæ pro alia minoris æstimationis, est quid pretio æstimabile, quod potest proportionato lucro compensari. Cambium vero siccum vel fictum tamquam usurarium damnatur. Bul. *Cum sicut* S. Pii V: ratio est, quia caret justo titulo, et repræsentat purum mutuum: nam in eo campsor dat pecuniam campsario solvendam in eodem loco, confectis litteris ad alium locum, ad quem revera litteræ non mittuntur, aut si mittuntur nihil operantur, quia campsor scit, campsarium non habere pecuniam actu et potestate in loco, ad quem litteræ mittuntur. 3° Mons pietatis denique consistit in pecuniæ, aut frumenti summa, quæ publica auctoritate ad opitulandum pauperibus deputatur, ex qua ipsis pauperibus mutuum datur, pignore ab eis accepto. Accipientes tamen mutuum debent ipsi Monti aliquid solvere, pro ministrorum sustentatione, pro laboribus, et expensis ab eis sustinendis, ut Mons conservari queat; unde hoc lucrum non reputatur usurarium, ut definivit Leo X in concilii Lateranensi V. Bul. *Inter multiplices.*

647. Alter contractus realis est commodatum, quod sic appellatur, quasi sit in utentis commodo datum. Commodatum definitur, *contractus realis, quo res non fungibilis ad certum tempus et usum gratis ita traditur, ut, finito usu, eadem in specie restituatur.* Ex hac definitione facile colligitur, commodatum differe a mutuo: nam illud versatur circa rem non fungibilem mobilem, sive immobilem, corporalem sive incor-

poralem (1); hoc vero circa rem fungibilem tantum, et corporalem : illud præterea rei dominium penes commodantem servat, nec in commodatarium transit; hoc vero rei dominium in mutuatarium transfert. Insuper cum in commodato usus rei sit gratuitus, commodatum differt a locatione, et ab emphyteusi, in quibus intervenit merces, aut canon. Ac demum cum commodatum concedatur ad certum tempus, differt a precario, quod habet locum, cum res utenda alicui conceditur, donec concedenti placuerit (2) : hinc precarium est revocabile ad nutum concedentis; commodatum vero ante tempus, et usum præstitutum regulariter revocari nequit (3).

(1) Res tantum non fungibiles commodari possunt; fungibiles vero proprie commodari non possunt, quia usum non præstant, nisi consumentur. Dicimus tamen *proprie*, quia quandoque improprie res etiam fungibiles dicuntur commodari *ad pompam, et ostentationem*, ut si cui commodetur vinum, aut pecunia, ut appareat dives, cum onere easdem res in specie restituendi. Aliæ res mobiles, et semoventes, immobiles, ut domus, et incorporales, ut servitus habitationis commodari possunt. Gloss. in cap. 1, de commod. verbo *commodatum*. Commodari etiam possunt res sacræ ab una ecclesia alteri ad usum tamen semper sacrum, non profanum, quod de precariis expresse sancitum est, et per identitatem ad commodatum, trahitur. Cap. 2, de precar. — (2) Illud tamen est hic notandum' quod precarium, de quo agimus, differt a *precaria*, sive *precariis* : nam precaria, sive precariæ olim præsertim apud Gallos usitatissimæ, erant quidam contractus, quo usus rei ecclesiasticæ immobilis alicui ad ejus preces, ut plurimum ad ejus vitam, quasi ad modum beneficii, concedebantur hac lege, ut singulis quinquenniis renovarentur. Can. 5, c. 10, q. 2 et cap. 1 de precar; sed non erat in potestate concedentis eas revocare, quæ potestas tamen erat in concedentis successore. Cap. 2, eod. At horum neutrum in precario occurrit, cum concedens possit ad suum nutum quandocumque rem in precario datam ad se revocare. Precariæ tamen nunc temporis omnino in disuetudinem abierunt — (3) Cap. 3, de precar. et cap. 1 de commod.

648. Cum commodatum fuerit principaliter institutum in utilitatem commodatarii (1), ut liquet ex adducta nominis etymologia, sequitur ipsum præcipue obligari. Hinc debet re commodata uti ad eum modum, et usum, cujus gratia res fuerat commodata (2); alias secundum Romanarum leges teneretur

de furto. Debet statuto tempore rem in specie commodanti restituere ; sed ante restitutionem petere expensas extraordinarias in re factas potest. Debet etiam omnia reparare damna, quæ res dolo vel culpa sua passa est; casum vero fortuitum præstare non tenetur, nisi intervenerit pactum, aut mora culpabilis in restituendo, aut culpa (3).

(1) Hoc tamen non officit, quominus commodatum fiat inutilitatem utriusque contrahentis, aut etiam solius commodantis. Cit. cap. de commod. Equus ex. gr. diceretur in utriusque contrahentis utilitatem commodatus, si motu egeret ad valetudinem, et simul commodatario ad iter necessarius foret ; si vero solum equus motu egeret, commodatum esset in solius commodantis utilitatem. — (2) Cit. cap. 1, de commod. — (3) Cit. cap. 1, de commod. et cap. 2, de deposit.

649. Ad hæc tamen recte æstimanda necesse est videre, quid sit *dolus*, et *culpa* et *casus fortuitus*. Dolus malus, de quo agimus (1), est fallacia, sive machinatio ad alium decipiendum, intenta, quæ committitur *mente* tacendo quod est detegendum *verbis* mentiendo, et *factis* fraudulenter agendo. Culpa est omissio diligentiæ præstari debitæ, et dividitur primo in *theologicam*, et *juridicam* : illa conjuncta est cum peccato; hæc a peccato propter oblivionem, aut invincibilem inadvertentiam, aut etiam judicii præcipitationem excusari potest : Dividitur secundo in *latam, levem*, et *levissimam*. Lata dicitur, si omittatur illa diligentia, quam etiam incuriosi homines solent adhibere, ut si commodatarius rem commodatam in platea relinqueret, et surriperetur; dicitur levis, si omittatur illa diligentia, quam viri prudentes solent adhibere, ut si commodatarius librum commodatum domi, non clauso ostio, relinqueret, et fur illum arriperet ; levissima demum dicitur, si omittatur illa diligentia, quam attentissimi homines solent adhibere, ut si commodatarius librum commodatum suo in cubiculo relinqueret, clauso quidem, sed non obserato ostio, et a fure surriperetur. Casus denique fortuitus est eventus rei inopinatæ, qui neque a diligentissimo prævideri, seu caveri potest, ut animalium mors, incendium, naufragium, terræmotus, aquarum inundatio, fulmen, hostium impetus, et prædonum violentia.

(1) Quidam dolum bonum admittunt in illa solertia, quæ ab honesto etiam cive, vel negotiatore in rerum suarum administratione, et maxime in contractibus adhibetur. Sed dolus in malam partem fere semper usurpatur.

650. Ex his deducuntur regulæ in contractibus observandæ. 1ª Dolus malus præstandus in omni contractu, nec valet conventio, ne dolus præstetur, quæ contra bonos mores, et ideo, turpis esset : hoc tamen non officit, quominus dolus præteritus remitti possit. 2ª Culpa levissima præstanda est ab eo, qui ex contractu omne commodum percipit, ut a commodatario, quando, ut assolet, ejus tantum commodum contractus respicit (1). 3ª Culpa levis præstanda est ab utroque contrahente, quando contractus fuit in utriusque favorem initus (2). 4ª Culpa lata ab eo est præstanda, qui ex contractu non commodum, sed incommodum tantum habet. 5ª Casus fortuitus rei domino imputatur, nisi quis illum ultro in se susceperit per pactum, ut supra jam diximus, aut mora culpabilis in re restituenda intercesserit (3), aut culpa infortunio causam dederit (4).

(1) Ideo ab eodem præstanda est a fortiori culpa levis, et lata. — (2) Hoc casu propter culpam latam præstanda est etiam culpa levis, non vero levissima, nisi quis negotio se sponte offerat, aut taliter difficile sit, ut personæ industriam requirat. Cap. 2, de deposit. — (3) Excipe nisi res domino restituta æqualiter fuisset peritura. — (4) Ut si equus commodatus ad usum urbanum adhibitus esset ad usum bellicum.

651. Tertius contractus realis est depositum, quod definitur *contractus realis, quo aliquid alicui gratis custodiendum traditur, ut idem in specie ad deponentis arbitrium restituatur.* Ex hac definitione liquet differentia depositi ab aliis contractibus, et maxime a realibus : nam in mutuo transfertur rei dominium in commodato rei usus, et in deposito rei custodia tantum conceditur ; licet iidem contractus reales in eo conveniant, quod ex eorum natura gratuiti sunt (1). Præcipua depositi divisio est in *voluntarium,* et *necessarium.* Si dominus, nulla urgente necessitate, rem suam penes alterum libere deponat, depositum dicitur voluntarium; si vero id faciat coactus a

naufragio, incendio, ruina, bellico tumulto, aut alia simili causa, necessarium, sive *miserabile* appellatur. Hoc miserabile depositum majores habet a lege favores, quia in deposito voluntario deponens potest rite sibi consulere in fideli deligendo depositario ; in miserabili vero necesse est, ut deponens illum acceptet depositarium, quam in circumstantia potest habere. Ulterius, qui depositum voluntarium violat delinquit contra fidem amico debitam; sed qui violat depositum miserabile delinquit contra officium humanitatis et pietatis, afflicto et miserabili debitum. Hac de causa a Romanarum legibus depositi violator in primo casu a judice damnabatur in simplum, et in secundo in duplum.

(1) A deposito aliquantulum differt *sequestrum*, seu *sequestratio*, licet a Doctoribus sub deposito comprehendatur. Nam sequestrum fit auctoritate judicis in re litigiosa, quando adest justa causa, uti esset periculum fugæ, metus armorum, et bonorum dilapidatio. Porro sequestrum regulariter fit contra invitos, eidemque subjici possunt res mobiles et immobiles, immo et personæ, ut Alexander III videtur insinuare in cap. 14, de sponsal., ubi puellam, de cujus matrimonio quæstio erat, jussit honeste teneri in domo, in qua nihil de ea esset timendum, donec causa terminata fuisset. Insuper sequestrum pro onere, et cura custodiæ salarium admittit.

652. In vim hujus contractus depositarius tenetur rem custodire ea diligentia, quam adhibet in rebus suis, neque potest ea uti, quin secundum Romanarum leges furti reus evadat. Item tenetur rem deponenti restituere, quandocumque eam repetierit; at si depositum factum sit clerico, vel religioso absque Capituli consensu, ille solus obligatur, non ecclesia, nisi probetur in ejus utilitatem depositum versum fuisse (1). Tenetur denique præstare dolum, et culpam latam, non vero levem, nisi ipse deposito se obtulerit, aut mercedem pro rei custodia contra depositi naturam receperit (2); casum vero fortuitum non cogitur præstare, qua in eum non transit rei dominium, neque usus, neque vera possessio, sed tantum custodia; exceptiones tamen fieri debent, si per pactum ad id se obligaverit, si dolum, vel culpam latam admiserit, et si in mora culpabili restituendi fuerit, quia his in casibus casum for-

tuitum debet sustinere, nisi æqualiter penes dominum res peritura fuisset (3).

(1) Cap. 1, de deposit. — (2) Cap. 2, eod. et ib. Gloss. verbo *culpa*. — (3) Cit. cap. 2.

653. Quartus demum contractus realis est pignus, quod definitur, *contractus realis, quo res a debitore creditori traditur in securitatem crediti ea lege, ut soluto debito, res in specie restituatur*. In pignore res in securitatem crediti traditur, et in hoc pignus differt ab hypotheca, in qua res in securitatem crediti nuda conventione obligatur, quin actualiter tradatur. Cæterum quoad effectum inter pignus, et hypothecam nulla communiter admittitur distinctio. Unum, et alia dupliciter constituitur, nimirum *specialiter* vel *generaliter*, et *expresse* vel *tacite*. Speciale pignus, vel hypotheca est, cum una res in individuo, aut plures in determinata specie, vel genere oppignorantur; generale vero cum omnia bona mobilia, et immobilia, præsentia et futura pignori, sive hypothecæ subjiciuntur. Deinde pignus, et hypotheca expressa intelligitur per se; tacita autem vocatur, cum absque expressa conventione ab ipsa lege inducitur, ut favore uxoris pro dote in bonis mariti (1), et favore Ecclesiæ in bonis Prælati, sive administratoris sui (2), quia Ecclesia gaudet jure minorum (3), qui ex jure civili simili privilegio fruuntur (4).

Ex jure canonico specialiter cautum est, pignus non posse constitui in re sacra, ut in calice, patena, vestimentis Sacerdotalibus pro Missæ Sacrificio, in libris Missalis, Breviarii, Ritualis, etc., nisi in casu urgentis necessitatis ad redimendos captivos, vel injuste carceratos, et ad extraordinariæ ægestati succurrendum (5). Item illud cautum est, quod Prælatus, vel beneficiatus pro necessitate sua non potest bona ecclesiæ, vel beneficii pignori, aut hypothecæ subjicere, et si hoc fecerit, nulliter egit, et ecclesia optionem habet repetendi pignus, aut conveniendi hæredem (6). Demum homo liber non potest pignori obligari, etsi non habeat quomodo debitis suis satisfaciat (7).

(1) Cap. 5, de pignor. — (2) Gloss. in cit. cap. 5, verbo *obligata*. —

(3) Cap. 1 et 3, de int. restit. — (4) Plures alii sunt casus, in quibus hypotheca tacita ex jure civili constituuntur, de quibus videndi sunt Doctores. Necessarium tamen est notare, modernum legum civilium systema hypothecarium multum ab in antiquo differre. Juxta novas enim leges pignus consistit tantum in re mobili, et si re immobili imponatur, dicitur antichresis; hypotheca vero civiliter non potest constitui, nisi per actum publici notarii super immobilibus præsentibus, et sufficienter determinatis, et constituta non potest conservari nisi per inscriptionem, et renovationem ad acta publica juxta earumdem legum formam. Quare omnibus bonorum ecclesiasticorum administratoribus gravissimum incumbit onus observandi dictarum legum præscriptiones, ut bona ecclesiastica servari queant; aliter hypothecæ in faciem legis civilis robore suo destituuntur, et bona ab aliis creditoribus impune invaduntur. — (5) Cap. 1, de pignor. et can. 13, 14 et 15, c. 12, q. 2. — (6) Cap. 3, de pignor. — (7) Cap. 2, eod.

654. Contrahentes in pignore sibi mutuo præstant culpam levem, quia contractus est in utriusque commodum; unus enim habet beneficium pecuniæ et alter crediti securitatem. Qui pignus, aut hypothecam accipit, consequitur jus in re, quam potest persequi contra quemcumque possessorem, sibique habere usque ad integram crediti solutionem; immo in concursu creditorum gaudet jure prælationis præ chirographariis creditoribus, et inter creditores hypothecarios jure prioritatis, et privilegii. Qui vero pignus, et hypothecam dedit, soluto debito, rem suam liberam repetit cum fructibus, accessionibus, commodis, et cum compensatione damni dolo, culpa lata et levi a creditore rei suæ illati.

655. Præter cautionem pignoris, et hypothecæ, quæ creditori a debitore in crediti securitatem datur, adest cautio *simplex*, *juratoria* et *fidejussoria*. Cautio simplex parum quidem prodest, utpote quæ in nuda promissione consistit; cautio autem juratoria, quæ habet adjunctum juramentum, in persona probatæ fidei et religionis magis prodest, sed idonea non habetur, nisi alia cautio propter paupertatem, vel aliam causam sit impossibilis; cautio demum fidejussoria, licet pignori, et hypothecæ non æquivaleat, quia juxta commune juris adagium, *plus cautionis est in re, quam in persona;* tamen utilissima creditori est, quia per eam quis alienam obligationem in se suscipit, dum debitor principalis adhuc manet obligatus. Quare

fidejussio est novus contractus accessorius, quo quis solvere se obligat id, quod alius debet, in casu quo hic non solvat, vel suæ obligationi non satisfaciat (1).

(1) Hic contractus ab Italis appellatur *Sicurtà*, a Gallis *cautionnement*.

656. Omnes possunt fidejubere, qui possunt se, et bona sua obligare : unde Religiosorum fidejussio sine licentia Abbatis, et majoris partis Capituli facta non valet, quia Religiosi nihil proprium habent, quod obligent (1). Clerici etiam a fidejussionibus dandis generaliter prohibentur, ne propter temporalia negotia, quæ lites solent suscitare, a divinis exercitiis avocentur (2) ; nihilominus factæ a clericis fidejussiones præsertim ex causa pietatis validæ a jure canonico habentur, ut declaratum fuit a Lucio III, in casu eorum, qui ex Anglia ad Concilium generale Lateranense III, convenerant, et, eorum consumpta pecunia, pro necessitatibus suis a mercatoribus Bononiensibus mutuam acceperunt pecuniam, pro cujus solutione Itali, et maxime Bononienses clerici iisdem mercatoribus fidejussoriam cautionem dederunt : idem enim summus Pontifex dictas fidejussiones non improbavit, sed commendavit, dum debitoribus principalibus præcepit, ut suis satisfacerent obligationibus, et fidejussores indemnes redderent, ne qui pro eis fidejusserunt, dispendium patiantur, unde videntur præmium meruisse (3).

(1) Cap. 4 de fidejuss. Si tamen ex fidejussione Religiosi aliquid in utilitatem monasterii redundavit, monasterium pro ea parte tenetur. Ibid. — (2) Cap. 1, de fidejuss. Can. 29. c. 11, q. 1. Unde imperator Justinianus judicibus suis mandaverat, ne clericorum fidejussiones admitterent. Novel. 124, c. b. — (3) Cap. 2 et 3, de fidejuss. Sacra tamen Congregatio Concilii definivit, executionem pro solutione contra clericum fidejussorem fieri non posse in bonis patrimonii, vel beneficii sui, quæ sunt ei ad vitam necessaria ; sed solum in his fructibus, qui honestam sustentationem excedunt. Posset tamen clericus post ejus mortem dare creditori in solutum patrimonium suum. Giraldus ad cap. 1 de fidejuss.

657. Qui pro alio debitore cautionem fidejussoriam dedit, pendente tempore utili ad solvendum, nullam habet actionem

contra ipsum debitorem, ut a contracta obligatione liberetur, nisi in his casibus, nimirum : si debitor principalis diu a solutione cessavit, si bona sua dissipare cœpit, et si ad solvendum jam sit condemnatus, in quibus fidejussor potest debitorem principalem convenire, ut eum a fidejussione liberet (1). Tria habet beneficia sibi a lege civili concessa, nempe beneficium *divisionis*, per quod, si plures sint fidejussores, potest petere, ut actio in singulos dividatur, et ut singuli pro rata ad solutionem damnentur ; beneficium *ordinis*, sive *excussionis*, per quod potest agere, ut prius debitoris principalis facultates excutiantur, si ipse adhuc solvendo sit ; et beneficium *cedendarum rationum*, per quod potest a creditore repetere, ut sibi debitum solventi suas omnes cedat rationes, quas contra debitorem principalem habet (2).

(1) Cap. 5 de fidejuss. — (2) Reiffenstuel de fidejus. a n. 49.

TITULUS XXIX.

DE DONATIONE ET TRANSACTIONE.

SUMMARIUM : 658. Quæ sit donatio causa mortis? — 659. Quæ sit inter vivos, et quotuplex? — 660. Quid observandum circa ejus acceptationem? — 661. An Prælati queant de rebus Ecclesiæ donare? — 662. Quisque potest omnia sua bona donare Ecclesiæ. — 663. — Quæ sint justæ causæ, ob quas donatio potest revocari? — 664. Quid sit transactio? — 665. An de bonis Ecclesiæ Prælati queant transigere? — 666. Quibus de rebus transactio prohibeatur? — 667. Qui sint transactionis effectus?

658. Donatio sic appellata a dono, quasi *doni datio*, significat liberalitatem in alium, nullo jure cogente, collatam. Hanc liberalitatem potest quis exercere per actum ultimæ voluntatis, et dicitur *donatio causa mortis*, vel per actum, qui completur inter vivos, et dicitur *donatio inter vivos*. Donatio causa mor-

tis efficax non fit, nisi sequuta donantis morte, quia qui ita donat, magis ipse rem habere vult, quam donatarius; quare sic donans potest donationem quocumque tempore revocare, uti quocumque tempore, dum vivit, potest testamentum suum mutare, et non requiritur alia causa, quam donantis voluntas, quæ, ut dicunt jurisconsulti, *ambulatoria est super terram quousque vivit*. De hac donatione agemus infra, ubi de legatis sermo erit.

659. Donatio inter vivos efficax est a die, quo fuit acceptata, ex quo regulariter non potest amplius revocari: unde hæc donatio definiri potest, *collatio rei licitæ alteri ex liberalitate irrevocabiliter facta* (1). Duæ sunt præcipuæ hujus donationis species. Dividitur enim primo in *realem*, cum res traditur, et *conventionalem*, cum non adest rei traditio, sed tantum partium conventio, scilicet promissio unius, et acceptatio alterius: illa dat jus in re, et rei dominium ex donatore in donatarium transfert; hæc autem dat solum jus ad rem, seu actionem personalem donatario contra donatorem ad ipsam rem, vel ejus æstimationem obtinendam. Dividitur secundo, in donationem *proprie dictam*, quando ex mera liberalitate et munificentia procedit (2); in donationem *remuneratoriam*, quando fit pro meritis, vel beneficiis acceptis (3); et in donationem *reciprocam*, quando partes aliquid vicissim sibi donant (4).

(1) Dicitur *collatio*, id est concessio, quæ ex parte donatoris consistit in promissione, et ex parte donatarii in acceptatione; dicitur *rei licitæ*, quia illicita nec vendi, nec donari possunt; dicitur *alteri*, quia importat rei translationem de uno in alterum; dicitur *ex liberalitate*, quia est actus gratuitus, et quod debetur jure perfecto non potest amplius donari; dicitur demum *irrevocabiliter facta*, quia revocari amplius nequit, nisi ex causa a lege probata, ut infra videbimus. — (2) Hæc sola habet veram rationem donationis; nam quod debatur liberalitas non est. — (3) Hæc etiam appellatur donatio, quia merita, et beneficia rigorosam obligationem non producunt, sed tantum, uti dicunt, obligationem *antidoralem*. Quod enim sic debetur, non oritur ex jure perfecto, et ideo exigi non potest; sed per donationem fit debitum jure perfecto, et exigibile redditur. — (4) In hac donatione illud animadvertendum est, quod ea non requirit rerum æstimationem, et æqualitatem, ne substantia liberalitatis et donationis excludatur.

660. Cum acceptatio ad substantiam donationis requiratur, sequitur, donationem ante acceptationem posse libere mutari et revocari, quia dum donatio manet in hoc statu, nullam parit obligationem (1). Hæc tamen regula ex jure canonico limitationem habere debet in donationibus a fidelibus Ecclesiæ, aut piæ causæ factis, quæ etsi ab eorum administratoribus acceptatæ non sint, revocari tamen non possunt, quia quod Ecclesiæ, vel piæ causæ donatur, intelligitur Deo donatum, qui ubique præsens est, et quodcumque opus bonum, ac fidelium votum statim acceptat (2).

(1) Propterea per mortem donatoris ante acceptationem donatarii evanescit donatio, sicut per mortem donatarii ante habitam notitiam donationis, licet rem donatam velut commodatam, vel depositam, vel etiam mutuatam in rebus suis jam habuerit. — (2) Arg. can. 3, c. 12, q. 2.

661. Ex regula generali donare non possunt rerum alienarum administratores, ex qua statim subit mens, an Prælati ecclesiarum, et beneficiorum possessores donare possint? Respondemus ex sententia Alexandri III esse definitum, non posse magnas, sive immoderatas donationes facere, et si id attentaverint, donationes posse a successoribus revocari (1); sed posse facere donationes parvas et moderatas, juxta loci consuetudinem, vel etiam juxta prudentis Prælati judicium, quia donationes hujusmodi ad avaritiæ suspicionem vitandam, et ad promerendam hominum benevolentiam Ecclesiæ tantopere utilem necessariæ propemodum sunt (2). Hæc autem dicta sunt de donationibus proprie dictis, et de donationibus ad causas profanas; nam in donationibus remuneratoriis, et in donationibus ad pias causas, et favore pauperum, res aliter procedit: in donationibus enim remuneratoriis excedere possunt parvitatem, et notabiles donationes facere, quia quæ donant, jam sunt ex obligatione antidorali debita (3); in causis vero piis, et favore pauperum nedum possunt præbendæ fructus donare, sed ad hoc, ut alibi vidimus, in eo, quod superest honestam sustentationem, omnino tenentur.

Rigorosius tamen jus procedit in donationibus Prælatorum Regularium, quibus quælibet bonorum et reddituum monaste-

rii directa, sive indirecta proprie dicta donatio interdicitur, quia Religiosi paupertatis voto adstricti nihil proprium habent, et quidquid acquirunt, monasterio acquirunt. Nihilominus modica illis permittitur donatio rerum comestibilium, id est esculentorum, et poculentorum, et similiter etiam traditio munusculorum ad devotionem pertinentium, cum licentia superioris, si a subditis fiat (4). Donatio vero remuneratoria æque Prælatis regularibus permittitur, modo fiat propter merita, et beneficia facta ipsi monasterio, vel communitati (5) : merita enim, et beneficia erga Religiosorum personas ad hoc non sufficerent. Ratio autem hujus permissionis est, quia etiam monasterium debet naturale a gratitudine generatum debitum adimplere, et aliunde si religioso prohibitum est donare, non videtur illi æque prohibitum remunerare saltem usque ad debiti naturalis et obligationis antidoralis æqualitatem.

(1) Cap. 3, de donat. — (2) Cap. 3, eod. — (3) Doctores hic quærunt ex quanto donatio possit excedere meritum. Nonnulli dicunt posse excedere ex medietate ; alii tantum ex quarta parte, ut si ob meritum deberentur duodecim, posse in donatione remuneratoria dari sexdecim. Sed hoc arbitrio prudentis relinquendum esse videtur juxta rei circumstantias : nam potest evenire, ut justa sit Senecæ sententia : *Creditori pecuniæ dandum esse, quantum ipse dedit, benefactori vero plus solvendum esse.* A Mostazo tom. 2, l. 8, c. 5, a n. 25. — (4) Cap. 5 et 6, de reb. Eccl. non alien. etc. Cap. 6, de stat. monach. Bul. *Religiosæ Congregationes* Clementis VIII, et Bul. *Nuper a Congregatione* Urbani VIII. Hæ celebres sunt Bullæ, quæ inscribuntur *De largitione munerum* pro Regularibus utriusque sexus, quæ modicas donationes, et munera modesta licita admittunt, etiam in religiosis subditis cum licentia superioris, ut sunt esculenta vel poculenta, quæ intra duos, aut tres dies possint consumi, ut sunt imagines, libelli, thecæ pro reliquiis Sanctorum, rosaria, Agnus Dei, et similia, quæ magni non sint valoris ; ut sunt etiam pauci nummi ad cultum divinum, vel ad eleemosynam pauperibus erogandam. Bonacina tom. 1. de larg. mun. punct. 1, prop. 2. Sed donationes notabiles, et munera magna damnant, cuicumque a Regularibus fiant sive laico, sive clerico, sive alteri religioso, sive superiori : sub gravibus pœnis contra religiosos dantes, id est privatione dignitatum, officiorum, vocis activæ et passivæ, et perpetua infamia, tamquam in reatu furti, et simoniæ ; contra accipientes vero sub onere restitutionis, ita ut, ea non facta, etiam ante sententiam condemnationis absolvi nequeant. Id. ib. punct. 3, 4 et 5. Notabiles autem donationes, et munera magna ex communi Doctorum sententia illa esse

censentur, quæ superant summam scutorum aureorum decem, quæ libellis octuaginta circiter monetæ nostræ respondent. Operæ demum, quæ a religiosis pro aliis fiunt, uti est ornamenta altaris conficere, acu pingere, et similia, sub eadem lege cadunt, quatenus permittantur, si exiguæ, et prohibeantur, si magnæ sint, quia monasterium etiam ad Religiosorum operas jus habet. A Mostazo de caus. pi. tom. 2, l. 8, c. 7, a. n. 35. — (5) Cit. bul. *Nuper a Congregatione* Urbani VIII.

662. Ex jure canonico nedum præsentia, sed et futura, nedum in specie, sed et omnia bona alicujus personæ in genere, Ecclesiæ, aut causæ piæ possunt donari (1). Innocentius enim III, aperte declaravit, cuilibet licere *se et sua monasterio, vel Ecclesiæ offerre* (2); et Fagnanus ad rem observat, licere etiam monasterio, vel Ecclesiæ offerre *omnia bona sua, ita et sua sine se* (3). Hæ quidem donationes, ut docet Engel, ex jure naturæ et gentium validæ sunt, nec possunt per jus civile in Ecclesiæ præjudicium irritari (4); in donatione tamen omnium bonorum Ecclesia, vel causa pia donatori alimenta præstare, et ejus creditoribus ob debita contracta satisfacere tenetur (5).

(1) Can. 8, c. 19, q. 3. Nec his donationibus ecclesia parochialis potest canonicam portionem prætendere, nisi donatio omnium bonorum monasterio facta proponatur in ægritudine, ex qua donator decesserit. Cap. 4 de sepult. — (2) Cap. 3, de succes. ab intest. et cap. 8, de probat. — (3) Ad cit. cap. 8, n. 6. — (4) De donat. n. 8, in fin. Nec obstat, ut idem prosequitur, quod donatio omnium bonorum auferat testandi facultatem, quia testamentum facere, vel non facere cuique arbitrarium est; ac propterea qui illa facultate non utitur, non patitur injuriosam testandi inhibitionem, de qua solum intelligenda est objectio, cum volenti non fiat injuria, et quilibet juri suo renunciare valeat. — (5) Zallinger de donat. § 257.

663. Causæ a lege probatæ, ob quas facta donatio potest revocari sunt sequentes. 1° Ingratitudo donatarii contra donatorem, quæ sic describitur a Gregorio IX: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam potuit revocare: si forte in ipsum impias manus injecerit; aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præ-*

sumpserit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores (1). Hinc patet, per ingratitudinem citatis modis patratam posse a donatore, non vero ab ejus hærede, donationem revocari (2); nihilominus donatio facta Ecclesiæ, vel piæ causæ propter Prælati, vel administratoris ingratitudinem ex communi canonistarum sententia non revocatur : tum quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare (3); tum quia in his donationibus donatarius est ipse Deus, qui numquam potest esse ingratus (4). 2ª Causa legitima revocandæ donationis est præjudicium in legitima portione filiis illatum : justitia enim non patitur, ut propter donationes in extraneos damnum in legitima portione sustineant filii; quare usque ad integram legitimam filiis debitam hæ donationes inofficiosæ, quia sunt contra officium pietatis paternæ, possunt revocari (5). 3ª Legitima causa est supervenientia liberorum, cum filius nascitur illi donatori, qui prius filios non habebat (6) : nam præsumitur, donatorem, si hoc præscivisset, non fuisse donaturum, cum quisque magis filios diligat, quam extraneos (7); idcirco Doctores tradunt, donationem habere tacitam conditionem : *Si liberi non nascantur*; sed in donationibus Ecclesiæ factis ex communi Doctorum sententia donationes revocantur tantum usque ad legitimam filiis debitam, ut in præcedenti casu, quia Ecclesia loco filii habetur (8).

(1) Cap. fin. de donat. — (2) Nihilominus quandoque jus revocandi ex hac causa conceditur hæredibus, ut si donator vivus voluit donationem revocare, judiciumque revocationis instituit, quod possunt hæredes ejus prosequi. — (3) Cap. 76, de reg. jur. in 6. — (4) Per ingratitudinem non revocatur donatio remuneratoria, nisi in excessu, quem supra meritum habet beneficium. Reiffenstuel de donat. a n. 52. — (5) Hoc jus Doctores extendunt ad parentes, quibus debetur legitima. Pirhing de donat. § 48. — (6) Si vero alios habuisset filios, donatio non revocatur, quia sciens hoc fecisset. — (7) Hoc verum est, quando donatio magna est, vel satis notabilis; nam in donatione modica, vel perva revocatio non cadit, cum dicta præsumptio capi non possit. — (8) Pirhing de donat. § 43.

664. Altera pars hujus tituli respicit transactionem, quæ potest definiri, *pactio, aut conventio de re dubia, aut lite in-*

certa, aliquo dato, et aliquo retento. Ideo transactionem donationi adjicimus, quia etiam in transactione aliquid remittitur, vel donatur, licet ex pacto aliquid adhuc recipiatur. Transactio potest habere locum tum in judicio, tum extra ; sed ad ejus substantiam res dubia , vel lis incerta necessaria est. Quare transactio facta a partibus rem judicatam ignorantibus non valet, et transactio facta a partibus super lite omnino per calumniam excitata jus non tribuit retinendi, quod per ipsam datum fuit. Si vero partes rem non dubiam, et non litigiosam agnoscant, et nihilominus transigant, hæc vera non est transactio, sed pactum, vel contractus innominatus, *facio, ut facias*, vel *do, ut des* (1).

(1) Transactio medium aptissimum est ad jurgia, et lites componendas, et ut vulgo dici solet, *melior est transactio macra, quam sententia pinguis.* Propterea judex transactionem partibus consulere potest, immo in quibusdam casibus debet. Cap. 3 de transact. Si tamen jura partium sint liquida, aut valde inæqualia, melius erit, ut judex justitiæ cursum festine dirigat, et ut caveat a transactione consulenda ea de causa, quia timendum est, ne per hoc judicis consilium alterutrius partis jura lædantur.

665. Cum transactio speciem alienationis contineat, quia transigens juris, sive rei sibi competentis partem alteri dimittit, sequitur, eam stipulari non posse a Prælatis, beneficiatis, rerum ecclesiasticarum administratoribus, nisi illæ observentur solemnitates, quæ a jure canonico pro rerum ecclesiasticarum alienatione constitutæ sunt, de quibus infra in apposito titulo agemus. Si vero absque his solemnitatibus transactionem ineat Prælatus, aut beneficiatus, potest quidem ipse in vita sua ad transactionem observandam obligari, non vero ejus successor ; neque propter hoc aliquod detrimentum Ecclesiæ inferri potest, quia talis stipulatio producit tantum actionem personalem contra stipulatorem, et nullam dat actionem contra Ecclesiam, vel successorem, cum ex regula juris illud certum sit, quod pacta inter alios acta aliis obesse non possint (1).

(1) Hæc expresse sancita fuerunt ab Alexandro III, in specie census, quem beneficiatus per transactionem in suo beneficio constitu-

erat, et in specie decimarum, quas parochiæ rector cuidam monasterio per transactionem concesserat, ut videre est in cap. 5 et 8 de transact.

666. Licet in sacris canonibus transactio ut plurimum valde commandetur tamquam salutare litibus, et religiosum pacis componendæ remedium; nihilominus expresse quandoque rejicitur in rebus spiritualibus, et in beneficiis. Sic in rebus sacris transactionem reprobavit Alexander III, qui *super re sacra, vel religiosa,* ut ait ipse, *transigi minime potest: etenim res sacræ ut possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem habere credimus simoniæ* (1). Sic Cœlestinus III, transactionem reprobavit in liberatione a subjectione sui superioris, et in acquisita per annuum censum ab eodem exemptione (2). Sic etiam Honorius III reprobavit transactionem in causa validitatis matrimonii, in quo a severitate canonica recedere non licet (3). Similiter transactio rejicitur in quibusdam causis beneficialibus: quare non valet, si per eam, accepta re temporali, de clericis in laicum transferatur jus præsentandi ad beneficium (4); et si per eam obtineatur beneficium ecclesiasticum (5), quia per transactionem beneficium obtineri non potest, sed solum per canonicam institutionem (6). In beneficiis tamen ecclesiasticis admittitur, ut *gratis, et amicabiliter inter se litigantes conponant* (7); et a Doctoribus admittitur etiam, ut ad redimendam vexationem, vel ad bonum pacis justus beneficii possessor de Superioris auctoritate possit aliquid temporale dare, et secundum aliquos etiam fructus unius, vel alterius anni remittere (8).

(1) Cap. 7, de transact. — (2) Cap. 10, eod. — (3) Cap. 11, eod. Quando tamen de sponsalibus agitur, transactio valet, quia in hoc casu res a contrahentium voluntate pendet, tum ut serventur, tum ut solvantur sponsalia, quia *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Cap. 1, de reg. jur. in 6. — (4) Cap. 9, de transact. — (5) Cap. 4 et 7, eod. — (6) Cap. 1, de reg. jur. in 6. — (7) Cit. cap. 7, de transact. — (8) Zallinger de transact. § 551.

667. Effectus transactionis duo præcipue sunt, nempe transactio quæstioni, sive liti finem imponit, et parit exceptionem

rei judicatæ. Quoad primum ita imponit fidem quæstioni, ut, si bona fide, et legitime facta sit, nedum litem præsentem interimat, sed et novæ ingressum impediat (1), ut casset, et vacua reddat omnia præcedentia instrumenta, et probationes, ut auferat præscriptionem, privilegium, et omne aliud præcedens jus in re, de qua agitur (2). Quoad secundum vero ita parit exceptionem rei judicatæ, ut novationem operetur (3), ut locum definitivæ et inappellabilis sententiæ teneat, et ut tamquam vera exceptio peremptoria, ac litis finitæ quocumque tempore tam ante, quam post litis contestationem possit opponi (4).

(1) Cap. 1. de lit. contest in 6. — (2) Cap. 1, de transact. — (3) Novatio est prioris obligationis in aliam novam transfusio sive translatio. — (4) Cap. 1 et 2, de lit. contest. in 6.

TITULUS XXX.

DE ACQUISITIONE BONORUM PER ACTUM ULTIMÆ VOLUNTATIS.

SUMMARIUM : 668. Quid sit testamentum, et quotuplex? — 669. Testamentum ad piam causam est privilegiatum. — 670. Ad ejus validitatem quælibet plena probatio sufficit. — 671. Qui prohibeantur testari? — 672. An clerici testari possint? — 673. Qui prohibeantur ex testamento accipere? — 674. Testamentum ad causas pias valide personas incertas vocat, et in arbitrium tertii committitur. — 675. Non præjudicat legitimæ portioni hæredibus necessariis debitæ. — 676. Quid sit legatum, et quomodo dividatur? — 677. Quando legatum pium sit validum? — 678. Quæ res possint legari? — 679. Quando legatum relinquatur pure? — 680. Quando ad diem, et ex die? — 681. Quando sub conditione, quot sint conditiones, earumque regulæ? — 682. Quando sub demonstratione, sub causa, et sub modo? — 683. A quo dentur executores, et quod sit eorum officium? — 684. Qui sint executores dati a jure? — 685. Quæ sit executorum auctoritas circa mutationem voluntatis testatoris?

668. Duobus præsertim modis Ecclesia acquirit per actus ultimæ voluntatis, scilicet : per *testamentum*, et per *legatum*, qui duo actus præcipui sunt ultimæ voluntatis. Testamentum sic dictum, quasi *testatio mentis*, definitur, *ultima voluntas legitime declarata de eo, quod quis post mortem suam de rebus suis fieri velit* (1). Testamentum dividitur in *solemne*, et *privilegiatum*. Solemne dicitur illud, in quo omnes juris solemnitates fuerint observatæ ; privilegiatum vero illud, in quo ex privilegio quædam juris solemnitates fuerunt omissæ. Solemnitates autem testamenti aliæ sunt *internæ*, quæ consistunt in activa, et passiva testamenti factione, id est in capacitate testandi, et recipiendi ex testamento; et aliæ *externæ*, quæ consistunt in modo testandi, scilicet in scriptura, subscriptione, subsignatione, in præsentia, numero, et habilitate testium, et in officio notarii, vel publici officialis. Solemnitates internæ necessariæ

sunt in omni testamento ad ejus validitatem, etiam in testamento privilegiato ; externæ vero necessariæ sunt omnes in testamento solemni, sed in testamento privilegiato sufficiunt quædam a lege specialiter determinatæ (2). Præterea testamentum dividi potest in *perfectum,* quod validum est etiam de jure civili, et *imperfectum*, quod juris civilis assistentiam non habet; in testamentum ad *causam profanam,* et in testamentum ad *causam piam.* An autem testamentum sit ad causam profanam, vel piam judicandum est ab hærede instituto; hinc testamentum ad causam piam est illud tantum, in quo causa pia hæres instituta est, sive testator sit clericus, sive laicus (3). Neque legatum pium in testamento relictum ipsum testamentum pium reddit : nam si ita res se haberet, omnia fere catholicorum testamenta pia forent, cum fere omnia aliquod pium legatum contineant. Testamentum tunc denique dicitur factum in causam piam, cum hæreditas relinquitur intuitu Dei ad cultum divinum, vel ad alia opera misericordiæ ob animæ bonum (4).

(1) Dicitur *ultima voluntas*, quia testamentum non confirmatur nisi in morte ; unde dispositio in testamento data manet in arbitrio testatoris ita ut nec hæres, nec legatarius, nec donatarius causa mortis aliquod jus consequatur in vita testatoris, qui sine cujuspiam injuria potest ad libitum suam dispositionem mutare. Dicitur *legitime declarata*, quia in testamentis observandæ sunt juris solemnitates. Reliqua vero definitionis verba hujus voluntatis objectum demonstrant. Quidam adjungunt, hanc voluntatem debere esse *propriam* testatoris, quia non potest in alium suam facultatem testandi transferre ; sed Innocentius III manifeste declaravit, *quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* Cap. 13, de testam ; quod maxime intelligendum est de testamentis ad pias causas. — (2) Nos omittimus testamenta ad formam juris civilis, quæ varia sunt juxta speciales cujusque nationis leges. — (3) Si vero testamentum duos designet hæredes, unum pium, et alium profanum, totum testamentum potius profanum, quam pium judicatur, quia nisi ita judicaretur, quota in causam profanam relicta ob defectum solemnitatum omnino periret; et ideo ad utramque quotam tutandam testamentum ad formam testamenti profani condendum est. — (4) Idcirco testamentum est ad piam causam, cum hæreditas relinquetur Ecclesiæ, vel monasterio, vel seminario, pro celebratione missarum, sive pro eleemosynis clericorum, vel monachorum, sive pro constructione ecclesiæ, vel monasterii, vel seminarii, sive etiam pro eorumdem conservatione, et re-

stauratione; cum relinquitur religioso conservatorio puellarum, aut ecclesiasticæ confraternitati etiam sæcularium, pro virginum custodia, aut pro animarum bono; cum relinquitur hospitali, nosocomio, aut orphanotrophio pro infirmorum, et pauperum cura, modo hæc loca sint Episcopi auctoritate erecta, vel saltem sint publica; cum demum relinquitur pro redemptione captivorum, pro pauperibus, vel pro salute animæ. Ultimo duo sunt notanda: 1m quod Episcopo post ejus consecrationem relinquitur, præsumitur potius Ecclesiæ relictum, quam personæ. Arg. Cap. 15 de testam; 2m quod consanguineo pauperi relinquitur, videtur potius ratione pietatis, quam consanguinitatis relictum, et ideo magis pium, quam profanum æstimandum est. A Mostazo de caus. pi. tom. 1, l. 1, cap. 1 et 2.

669. Testamentum ad causam piam ex jure canonico est privilegiatum, ut clare definivit Alexander III, qui super hæreditatibus Ecclesiæ relictis mandat judicium fieri non secundum leges sæculi, sed secundum legem divinam, et canonum statuta; ita ut ad ejus validitatem sufficiant duo, aut tres testes idonei (1). Hæc theorica sub antiquarum legum civilium imperio admittebatur ab omnibus fere juris civilis Doctoribus etiam pro foro civili, quia regula communis erat, in iis, quæ spectant ad spiritualia, aut ad animarum bonum, in utroque foro servandum esse jus canonicum; et ideo ex praxi, ac consuetudine universali etiam in foro civili testamentum ad piam causam tamquam privilegiatum absque controversia habebatur; sed novæ hujus sæculi civiles leges hoc principium sive privilegium cum aliis plurimis Ecclesiæ adimere pro foro civili satagerunt; quod tamen adhuc subsistit pro foro conscientiæ, et in foro Ecclesiæ tam interno, quam externo : nam leges civiles efficere non possunt, quominus in foro Ecclesiæ tale testamentum sit privilegiatum (2).

(1) Cap. 11, de testam. — (2) S. De Ligorio lib. 3, n. 922.

670. Duo autem, aut tres testes, quos citatus Pontifex in testamento ad piam causam requirit, ad ejus formam, et substantiam non pertinent, sed tantum ad probationem. Quare si alia adsit probatio, ex. gr. si testator suum testamentum manu sua scriptum, aut saltem subscriptum reliquerit, vel

verbis aut signis sufficientibus voluntatem suam instituendi causam piam hæredi aperte deelaraverit, testamentum in foro interno validum est, et etiam in foro Ecclesiæ externo, si ipse hæres hoc fateatur, vel probari possit : nam ad hoc testamentum firmandum ea tantum requiruntur, quæ juris naturalis et gentium sunt, seu illud requiritur tantum, nt de voluntate testatoris sufficienter constet (1). Unde hæc probatio fieri potest per duos testes fide dignos, qui ad testimonium ferendum habiles natura sint; nec excluditur parochus, aut confessarius, licet agatur de causa ecclesiæ suæ; nec excluditur fœmina.

(1) Hinc sequitur, quod a testatore causa pietatis relicta potest quis tuta conscientia sibi retinere, et aliis distribuere juxta cognitam testatoris voluntatem, etiam inscio hærede. Sed hæres hujus dispositionis inscius non tenetur bona sic petenti dimittere, licet esset parochus, vel confessarius, qui factam a testatore liberalitatem testaretur, nisi parocho, aut confessario alius contestis accederet, et sic probatio per duos saltem testes haberetur, quia *nulla est causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Cap. 23, de testib.; cum necessarium sit ad fraudes pro bono publico evitandas, ne uni testi credatur. Reiffenstuel, de testam. a n. 143, et S. De Ligorio l. 3, a n. 922; nihilominus Zallinger putat, testimonium solius parochi, aut confessarii facere semiplenam probationem, et locum dare posse juramento suppletorio. De testam. § 292.

671. Activam testamenti factionem habent omnes, qui facultate pollent de rebus suis disponendi, nisi a jure prohibeantur. A jure autem canonico prohibentur etiam ad pias causas testari : 1° ob delictum, usurarii manifesti, excommunicati propter hæresim, et percussores Cardinalium sacræ Romanæ Ecclesiæ, quia de eo disponerent, quod restitutioni, vel fisco, aut Ecclesiæ est obnoxium (1); 2° ob patriam potestatem, filiifamilias absque consensu patris de bonis, in quibus patri competit proprietas, vel usufructus, ut sunt bona profectitia, et regulariter etiam adventitia, quia jus canonicum non patitur testari de rebus alienis, neque patitur in piæ causæ favorem alicui præjudicium inferri (2); 3° ob statum monachalem, religiosi professi etiam Prælati, et Abbatissæ, quia nihil proprium possident (3).

(1) Cap. 2, de usur. in 6, cap. 13, de hæret. et cap. 1, de pœn. in 6.

— (2) Cap. 5, de testament. et cap. 4, de sepult. in 6. Nihilominus filii-familias possunt testari de eorum bonis castrensibus, et quasi-castrensibus. — (3) Hæc regularium inhabilitas eos persequitur, etiamsi habitum, et religionem dimittant. Potest tamen summus Pontifex, et favore Episcoporum solet, Regularibus facultatem concedere testamentum condendi ; sed per hoc indultum non possunt testamentum ante professionem factum mutare. Zallinger de testam. § 300. Hæc insuper inhabilitas durat, etiamsi Religio supprimatur, ex resolutione S. Congregationis Concilii, 25 febuar. 1679, cit. a Richer.

672. Majus in hac re postulatum est, an clerici queant testari? Ita respondemus : 1° Clerici non possunt testari ad causam profanam de iis, quæ propter Ecclesiam, vel ab Ecclesia perceperunt : eo quod hæc bona, quatenus honestæ sustentationi supersunt, non sunt clericorum, sed Ecclesiæ, et pauperum, ut alibi innuimus : unde Alexander III huc respiciens aiebat : *Clerici de his, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum* (1). 2° Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis ex consuetudine admissa a jure novo possunt ad piam causam testari ; nam idem Alexander Pontifex ex consuetudine non improbata permisit, ut per clericorum testamentum de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis *pauperibus, et religiosis locis, et illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur* (2). 3° Clerici de bonis patrimonialibus, et industrialibus libere possunt testarii : hac enim de re interrogatus præfatus Alexander III ait : *Respondemus quod clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant* (3).

(1) Cap. 11, de testam et cap. 1 et 7 eod. — (2) Cap. 12, eod. Cum clerici ex superfluis bonis a beneficiis perceptis debeant in vita eleemosynas largiri, ut alibi vidimus, in morte ab iisdem actibus non sunt prohibendi. Cap. 8, de testam. Ad excludendam tamen malam thesaurizandi speciem præstat magis bona distribuere in vita, quando adhuc retineri possent, quam eadem distribuere in morte, quando omnino deserenda sunt. — (3) Cit. cap. 9 de testam. Inter Doctores controvertitur, an consuetudo queat reddere licitas dispositiones testamentarias etiam de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis.

Reiffenstuel absolute negat, quando agitur de dispositionibus ad causas profanas. De testam. a n. 335 ; sed Giraldus videtur id probare, cum referat potissimum in Gallia talem consuetudinem vigere, per quam Episcopi, et cæteri beneficiati tam inter vivos, quam causa mortis libere de bonis etiam intuitu Ecclesiæ acquisitis testentur, quibus sine testamento decedentibus succedunt hæredes necessarii. Ad cap. 1, de testam. Ego primam teneo sententiam, quia bona ab Ecclesia acquisita in beneficiis sunt bona Christi, et pauperum.

673. Passivam vero testamenti factionem, sive capacitatem capiendi ex testamento, habent omnes tam singulares personæ quam corpora moralia, nisi a jure prohibeantur. A jure autem canonico specialiter prohibentur : 1° hæretici, eorumque fautores, sed probabiliter tantum post judicis sententiam, et in hoc casu etiam quoad causam piam (1) ; at notandum, quod clerici nil penitus relinquere possunt heterodoxis, etiamsi consanguinei illis sint, et quod si Episcopus hoc facere præsumpserit, *saltem post mortem ei anathema dicatur*, *atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur* (2). 2° Percussores Cardinalium, eorumque socii, atque fautores (3). Religiosi S. Francisci, Capucini, Minores de Observantia, eorumque monasteria, quia immobilia possidere non possunt ex dispositione Concilii Tridentini (4), neque etiam mobilia præter conventum, ejus necessaria, eorumque adjunctos hortos, vel areas ex dispositione Clementis V, in concilio Viennensi ; nihilominus si quod moderatum iisdem Religiosis, aut monasteriis relinquatur, quo indigeant, possunt per idoneas personas distrahere, et pecuniam inde redactam ad instar eleemosynæ accipere, quod post Nicolaum III, eisdem concessit idem Nicolaus V (5).

(1) Cap. 13 § *Credentes* de hæret. Reiffenstuel, cit. loc. 297. — (2) Cap. 5 et 6, de hæret. — (3) Cap. 5 de pœn. in 6. — (4) Sess. 25, c. 3, de regul. — (5). Cap. 3, de verb. signif. et Clem. *Exivi*, eod.

674. Cæterum in testamento pio personæ etiam incertæ recte instituuntur, et valide hæreditas in tertii arbitrio distribuenda committitur, licet aliter obtineat de jure civili. Hinc si quis instituat pauperes in genere, vel causas pias, quos, vel quas

Titius elegerit ; item si quis instituat animas Purgatorii, aut animam suam, et suorum, valet testamentum pium, et hæreditas in causas pias, aut in Missarum sacrificia erit applicanda : immo ex communi Doctorum sententia valet testamentum pium, si testator dicat : *Omnia bona mea dispositioni Titii committo :* nam testamentum ita potius interpretandum est, ut valeat, quam ut pereat (1). Cum autem propter solemnitatum defectum valere nequeat ad causas profanas, ita interpretandum est, ut mens fuerit testatoris ad piam causam testandi (2).

(1) Arg. cap. 25, de verb. signif. — (2) Rubr. in cap. 13. de testam. et Reiffenstuel de testam. n. 151.

675. Hoc tamen pii testamenti privilegium non est adeo extendendum, ut præjudicet legitimæ portioni hæredibus necessariis jure naturæ debitæ ; quæ salva semper illis esse debent titulo institutionis, vel saltem legati, aut donationis causa mortis (1). Hoc est enim debitum non juris tantum humani, sed et juris naturæ, quod hæreditatem minuit, quæ reliquitur extraneo, et etiam Ecclesiæ, licet et ipsa loco filii ac matris habeatur. S. Augustinus enim quosdam redarguit clericos hæreditates accipientes ab illis, qui filios exhæredabant, ut Ecclesiam hæredem scriberent, et factum commendat S. Aurelii Carthaginensis episcopi, qui hæreditatem reddidit filiis postea natis ab illo, qui dum viveret absque filiis Ecclesiam hæredem suam instituerat. Unde ita proclamat : *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum ; immo, Deo propitio, neminem inveniet* (2).

(1) Hæredes necessarii sunt filii, iisque mortuis, eorum descendentes, qui ad eorum parentes repræsentandos assurgunt. Si nulli sint filii, ac descendentes, necessarii hæredes sunt ascendentes. Cæteri hæredes appellantur voluntarii. Quantitas deinde portionis legitimæ non invenitur a sacris canonibus determinata ; quare petenda est a legibus civilibus, quæ ob variarum nationum mores, et necessitates in ea definienda apprime non conveniunt. — (2) Can. 43, c. 17, q. 4, et can. 8, c. 13, q. 2, ubi pro norma dicitur : *Unum filium habet, putet Christum alterum : duos habet, putet Christum tertium : decem habet, Christum undecimum faciat.*

676. Testamentum, ut facile deducitur ex ejus definitione, comprehendit legatum quod definitur, *donatio quædam a defuncto relicta, et ab hærede præstanda.* Legatum jure nostro hodierno donationem causa mortis complectitur, licet olim inter illud, et hanc quædam adessent differentiæ. Qui enim causa mortis donat, ita donat, ut tantum post mortem suam donatio effectum sortiatur, et ut donatio maneat per ejus vitæ cursum revocabilis (1); ex quo liquido apparet, eam legatis assimilari. Unde recte aiebat jurisconsultus Romanus : *In legatis quid juris est, id in mortis causa donationibus erit accipiendum.* Legatum uti testamentum dividi potest in legatum ad causam profanam, et legatum ad causam piam, vel simpliciter in *profanum*, et *pium*. Profanum sonat, quod laico, vel clerico tanquam laico, vel personæ morali ex causa profana relinquitur; pium vero, quod relinquitur clerico tamquam Ecclesiæ ministro, vel ipsi Ecclesiæ, aut causæ piæ; de quo postremo ex nostro instituto agimus. Hoc in primis, quemadmodum testamentum pium, est privilegiatum, sicut omnes canonistæ docent : nam ad valorem hujus legati nulla juris solemnitas requiritur; sed sufficit, si de voluntate testatoris quocumque modo constet.

(1) Hinc patent differentiæ inter donationem causa mortis, et donationem inter vivos, quæ per actum donationis perficitur, et fit irrevocabilis juxta suo loco exposita.

677. Propterea validum æstimatur legatum pium : 1° quod factum fuit coram parocho, et duobus testibus, vel saltem coram duobus testibus (1) ; 2° quod factum fuit nudis verbis, vel etiam tantum nutu, modo sufficienter significet testatoris voluntatem (2); 3° quod factum fuit in testamento profano, etiamsi testamentum ob defectum solemnitatum juris civilis sit nullum, dummodo ea contineat, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur (3); 4° quod factum fuit in testamento, cujus hæres noluerit, aut non potuerit hæreditatem adire; nam legatum pium etiam absque testamento, et ab intestato subsistit (4).

(1) Cap. 10 et 11, de testam. — (2) Cap. 4, eod. et Gloss. in cap. 13, verbo *dispositionem* de testam. — (3) Reiffenstuel de testam. n. 164. — (4) Card. Soglia Inst. jur. priv. §. 123.

678. Legari possunt omnes res, quæ sunt in hominum commercio, sive corporales, sive incorporales sint, ut usufructus, et jus piscationis; sive præsentes, sive futuræ ut messis, aut vindemia futuri anni: legari potest species in genere, ut equus, species in individuo, ut equus rufus in stabulo, et quantitas, ut decem cadi olei; sed in legato speciei in individuo notandum, quod damnum, et lucrum post mortem testatoris pertinet ad legatarium, cui res perit, et fructificat; dum in legato speciei in genere, et in legato quantitatis damnum et lucrum usque ad rei traditionem ad hæredem pertinet (1): legari potest nomen debitoris, sive id quod debitor debet testatori, et si debitor sit ipse legatarius, dicitur legatum liberationis: legari demum potest factum honestum, ex. gr. ut hæres tot Missas celebrari faciat, vel talem eleemosynam distribuat (2).

(1) Ideo quantitas panis, aut vini legata semper tradenda est, etiamsi earumdem mercium pretium adauctum, vel imminutum fuerit, ut definivit S. Congregatio Concilii die 13 septemb. 1856. — (2) In eleemosynæ distributione cæteris præferendi sunt pauperes testatoris consanguinei, et inde pauperes patriæ testatoris, quia, ut scribit S. Ambrosius, *perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domesticos fidei*, nisi extraneus indigeat ad mortem, et domestici ita non indigeant. Can. 14, dist. 86, et Gloss. verbo *domesticos*.

679. Pluribus modis legatum fieri potest, nempe *pure, ad diem, ex die, sub conditione, sub demonstratione, sub causa et sub modo*. *Pure* legatum fit, eum a nulla circumstantia, aut eventu pendet, cujus statim post mortem testatoris dies cedit, et venit, id est debetur, et exigi potest, ita ut cito executioni mandetur, vel saltem intra semestre a die mortis testatoris, ut est communior Doctorum sententia (1), vel ad summum intra annum, si agatur de magno opere, ut de construendo monasterio expresse declaravit Gregorius IX (2), nisi testator ipse aliud tempus præfinierit. Eo vero tempore elapso, subintrat Episcopus tamquam omnium piarum voluntatum executor (3).

(1) A Mostazo de caus. pi. l. 1, c. 12, a n. 10. — (2) Cap. 3, de testam. — (3) Cap. 6, eod. et Trid. sess. 22, c. 8, de ref.

680. Legatum dicitur factum *ad diem*, quando dies adjicitur tamquam terminus, ad quem legatum duret, cum ex. gr. aliquid legatur ad decem annos, vel ad vitam legatarii. Dicitur factum *ex die*, vel, ut alii loquuntur, *in diem*, quando dies adjicitur tamquam terminus, a quo legatum incipiat, cum ex. gr. aliquid legatur post decem annos, vel post mortem Sempronii. In primo casu dies statim cedit, ac venit; in secundo vero dies legati statim cedit, sed non venit, nisi adveniente statuto die, qui si sit incertus, dies habetur pro conditione, ut si quis alteri quid leget a die, quo consul factus fuerit, et legatum conditionale evadit, et dies legati nec cedit, nec venit, nisi existente conditione.

681. Efficitur legatum *sub conditione*, quando dependet ab aliquo eventu, qui si contingere queat, vel nequeat, conditio dicitur *possibilis*, vel *impossibilis* (1); si positus sit in potestate hominis, conditio vocatur *potestativa*, si pendeat a casu, dicitur *casualis*, et si pendeat simul a potestate hominis, et a casu, conditio appellatur *mixta;* si demum jam præcesserit, vel in præsenti occurrat, vel in futura lateat, conditio dicitur *de præterito*, vel *de præsenti* (2), vel *de futuro*. Jam vero regulæ in conditionibus quoad hæreditates, et legata observandæ duæ præcipuæ sunt: 1ª conditio impossibilis actibus ultimæ voluntatis opposita rejicitur, et ita pro non apposita habetur, ipsa vitiatur, et hæreditatem, vel legatum non vitiat, quod proinde æstimatur tamquam pure relictum; 2ª conditio possibilis potestativa, casualis, vel mixta de futuro, hæreditatem vel legatum suspendit usque ad eventum designatum, a quo resolvitur positive, vel negative, id est, ut valeat, vel nullum sit; ac proinde ante ejus existentiam legati dies nec cedit, nec venit.

(1) Logice loquendo eventus impossibilis non est conditio, quia cum sit impossibilis, non est eventus. Cnm tamen eventus etiam impossibilis ex humanæ mentis fragilitate, vel malitia possit legato apponi; ideo a Doctoribus conditio etiam impossibilis inspicitur, quæ talis esse potest natura, ut *si digito cœlum tetigeris*, vel legibus, et moribus, ut *si Caium occideris*, vel *si nudus in foro saltaveris*, et in hoc secundo casu conditio dicitur etiam *turpis*, et simul impossibilis, quia quod legibus, et moribus prohibetur, licet fieri possit potentia physica, fieri nequit potentia morali. — (2) Similiter logice loquendo eventus de præterito, vel de præsenti non est conditio, quia vel

jam fuit, vel non ; ideo effectum liberalitatis suspendere non potest ; Nihilominus quando hic eventus ignoratur, recte pro conditione sumitur.

682. Legatum *sub demonstratione* fit, cui rei legatæ, vel legatarii personæ aliqua adjungitur circumstantia, qua melius explicantur, ex. gr. *Lego Titio calicem meum emptum a Sempronio*, vel *lego Titio propinquo meo calicem meum.* Calix ita legatus debetur, licet emptus a Sempronio, vel legatarius propinquus non sit, quia falsa demonstratio legatum non vitiat, modo de re legata, et de persona legatarii aliunde sufficienter constet. Legatum *sub causa* fit, cum testator causam legandi impulsivam, quæ in præterito, vel præsenti fundatur, exponit, ex. gr. *Lego centum Titio, quia tale infortunium passus est,* vel *quia est pauper*. Hoc item legatum regulariter valet, etiamsi causa falsa sit, et ratio petitur ex eo, quod testamentum est veluti lex, quæ adhuc obligat, quamquam legislator falsam causam adduxerit (1). Demum legatum *sub modo* fit, cum testator causam finalem, quæ ad futurum refertur, exponit, ob quam legatum relinquit, ex. gr. *Lego Titio mille, ut capellaniam instituat.* Legatum sic relictum validum est, ejusque dies statim a morte testatoris cedit, et venit; sed legatarius ad recipiendum legatum debet cautionem exigere, se modum impleturum, vel legatum redditurum (1).

(1) Potest tamen hæres hoc legatum nullum reddere, si probet, testatorem legaturum non fuisse, si causæ falsitatem agnovisset, ut communiter Doctores tradunt. — (2) Ex hoc intelligitur differentia inter conditionem, et modum : illa enim actum suspendit usque ad eventum, et si medio hoc tempore legatarius moriatur, legatum evanescit ; hic vero actum perficit, et si legatarius ante modi implementum moriatur, jus ad hæredes transmittit, quod habet in legato, quatenus modus, æque per hæredes, ac per legatarium impleri queat.

683. Actus ultimæ voluntatis solent habere adjunctum executorem, qui defuncti voluntatem adimplere satagat, quique a testatore, vel a jure datur. Executor, vel executores constituti a testatore aliis præferuntur, quia in hæreditatibus, et legatis prima lex dicitur a testatore, secundum cujus voluntatem

omnia procedere necessum est. Qui autem hoc officium susceperint, tenentur consummare; et si id facere renuant, possunt per judicem ad id compelli (1). Si vero unus corum mori contigerit, vel absit, vel agere nolit, alius poterit officium executionis libere exercere, modo testator diverso modo non expresserit (2).

(1) Cap. 17 et 19, de testam. Licet regulariter nemo teneatur officium executoris suscipere, quia continet mandatum, et mandatum debet esse liberum ; Episcopus tamen ob rationabilem causam potest clericum cogere, ut hoc officium suscipiat, si illi sit a testatore delatum. Si vero in causa pia testator nullum executorem designaverit, potest adhuc Episcopus clericum cogere, ut hoc officium tamquam Episcopi commissarius gerat. — (2) Cap. 2, § 1, de testam. in 6.

684. Inter executores datos a jure primum locum tenet hæres institutus, qui adeundo hæreditatem quasi contrahit cum omnibus legatariis de legatis solvendis, et de voluntate testatoris exequenda. Post hæredem in piis hæreditatibus, et legatis venit diœcesanus Episcopus, qui insuper potest executioni se immiscere, si hæres in ea peragenda negligens sit, ut supra jam diximus, et manifeste in jure probatur (1); immo testator nequit cum effectu interdicere, ne Episcopus in piæ dispositionis executione se immisceat: nam sacri canones, qui hanc potestatem Episcopo tribuunt, privata testatoris voluntate auferri non possunt; in quo jus canonicum cum jure Romano concordat, cujus erat principium : *Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant* (2).

(1) Cap. 7 et 17, de testam. Benedictus XIV de Synod. l. 13, c. ult. n. 1. — (2) Cap. 6 et 17, de testam. Quare cit. Benedictus XIV ita concludit « omnibus exequi detrectantibus, tandem fiet devolutio ad « Episcopum, neque hoc prohiberi poterit a testatore. » Ibid.

683. Executores piarum dispositionum eas mutare prohibentur, nam S. Gregorius aiebat : *Ultima voluntas defuncti omnibus modis observari debet* (1) : est enim prima piæ dispositionis lex. Nec ipse Episcopus testatoris voluntatem in aliud pium opus convertere valet, etsi majorem bonitatem, et utili-

tatem evidenter contineat. Solus Papa ex justa et rationabili causa testatorum voluntates commutare potest, quia quævis dispositio ad piam causam tacitam habere debet clausulam, *salva sedis Apostolicæ auctoritate* (2). Nihilominus cum testatoris voluntas juxta modum ab ipso præscriptum exequi nequit, Episcopus cum consensu hæredis, et executoris pium legatum in aliud opus pium convertere potest, ita tamen est, quantum possibile est, voluntas testatoris servetur, quia præsumitur talem fuisse voluntatem testatoris, si casum prævidisset, et talem esse si viveret.

(1) Can. 4, c. 13, q. 2. — (2) Clem. 2, de relig. domib.

TITULUS XXXI.

DE PEREMPTIONE JURIUM, ET OBLIGATIONUM.

SUMMARIUM : 686. Obligatio extinguitur per rei interitum. — 687. Per confusionem. — 688. Per compensationem, si opportunæ observantur regulæ. — 689. Per præscriptionem. — 690. Quæ sint præscriptionis conditiones, et quæ præscribi nequeant? — 691. Præscriptio requirit bonam fidem. — 692. Requirit justum titulum. — 693. Possessionem continuam per tempus a lege statutum. — 694. Quando præscriptio dicatur dormire? — 695. Ex quibus regulis determinetur tempus ad præscribendum necessarium? — 696. Debitum extinguitur per solutionem. — 697 Quando successor in beneficio teneatur solvere debita antecessoris? — 698. Clericorum debita solvenda sunt etiam ex eorum beneficiorum fructibus? — 699. In quo consistat beneficium competentiæ? — 700. Quando, et quot modis fiat novatio? — 701. Quid significet acceptilatio, et quot modis fiat?

686. Jurium et obligationum peremptio ex ipso jure contingit, vel ex facto hominis. Ex ipso jure, jus et obligatio perimitur præsertim : per *rei interitum*, per *confusionem*, per *compensationem*, et per *præscriptionem*. Per interitum rei extinguitur obligatio; nam nemo debitor potest esse rei, quæ in rerum natura amplius non est. Sed huic regulæ exceptio fit, si dolo,

vel culpa debitoris res perierit, si res sit furtiva, et si debitor legitime interpellatus ad tradendum, quod debebat, fuerit in mora culpabili tradendi, quia ex regula juris, *mora sua cuilibet est nociva* (1). Hæc exceptio tunc procedit, cum res æque apud dominum non erat peritura, et tendit ad dandam æstimationem, cum res amplius non exstat.

(1) Cap. 25, de reg. jur. in 6.

687. Per confusionem evanescit obligatio, quando jus creditoris in eamdem personam coalescit, ut in hærede, qui prius erat creditor, vel debitor defuncti. Nisi enim hoc casu extingueretur obligatio, hæres post aditam hæreditatem absque beneficio inventarii (1), sui ipsius creditor, et debitor esset, quod repugnat.

(1) Beneficium inventarii in hoc consistit, quod hæres, qui legitime ante aditionem hæreditatis omnium bonorum defuncti inventarium confecit, erga defuncti creditores ad id tantum teneatur, quod ex hæreditate percepit, non vero ultra ejusdem hæreditatis vires, uti ex jure civili contingeret, si inventarium non confecisset : hinc facto inventario, si hæreditas ad satisfaciendum omnibus creditoribus non sufficiat, hæres jura sua, sicut et cæterorum creditorum, juxta hæreditatis vires salva habet, et illud accipit, quod sibi defunctus debebat, quia confusio non operatur.

688. Per compensationem tollitur obligatio, quia compensatio est debiti et crediti inter se contributio. Proinde si Titius debet centum Caio, et Caius centum Titio, mutuæ actiones eliduntur, nec ulla amplius efficax obligatio remanet. Quædam tamen ad legitimam reddendam compensationem requiruntur conditiones : 1ª ut debitum, et creditum sit utrinque efficax, liquidum, et purum ; 2ª ut compensatio fiat in rebus fungibilibus ejusdem generis, ut pecunia cum pecunia, frumentum cum frumento, etc.: quare ex jure non datur compensatio, si unus debeat pecuniam, et alius equum, vel fundum : ratio enim diversæ æstimationis impedit compensationem, et aliunde aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest (1) ; 3ª ut idem sit debitor, et creditor ; nam nemo potest compensare in eo, quod ex. gr. sui creditoris frater sibi debet ; 4ª ut compensatio

non sit interdicta a lege, ut interdicitur in causa spolii, depositi, aut commodati, et alimentorum (2).

(1) Moralistæ tamen tradunt maxime pro foro conscientiæ, compensationem fieri etiam in alia specie. S. De Ligorio l. 3, n. 521. — (2) Debita etiam inæqualia compensantur, ut si unus debeat centum, et alius biscentum, in centum fit compensatio. Nec refert in contrarium regerere, creditorem non teneri partem crediti acceptare : nam hoc verum est, cum creditor a debitore solutionem habet ; in hoc vero casu creditor solutionem in parte recipit a se, dum pecuniam retinet suo debitori debitam.

689. Per præscriptionem obligatio oritur, vel aufertur : præscriptio enim potest definiri, *medium juris, quo per possessionem certi temporis, aliasque conditiones a lege præfinitas, jus aut res aliena acquiritur, vel propria amittitur* ; quod a legibus humanis positivis tam civibus, quam ecclesiasticis institutum fuit ad publicam utilitatem, ne diutius incerta manerent dominia rerum, et lites augerentur, ac veluti perpetuæ redderentur. Hoc sane remedium in ratione fundatur, qua edocemur dominum rem suam colere, defendere, et petere multo tempore negligentem videri eam pro derelicta habere ; ac proinde dignum esse, qui a lege in pœnam negligentiæ eadem per præscriptionis medium privetur (1). Ideo præscriptio ad formam sacrorum canonum legitime perfecta ipsam afficit conscientiam, ita ut, si sit acquisitiva, tuto retineri queat adeptum rei dominium, et si sit extinctiva, plena detur liberatio. Nec quidquam in contrarium facit regula juris, per quam nemo locupletari potest cum aliena jactura : nam regula intelligenda est de injusta locupletatione, non vero de justa, et a lege probata ex justissima causa, ne in societate dominia rerum maneant incerta, vel perpetuæ adsint bonorum confusiones. Similiter nihil in contrarium facit, quod aiebat imperator Justinianus, præscriptionem esse *impium præsidium, et improbam temporis allegationem* (2) ; nam ibi loquebatur non de legitima, quam ipse probaverat, sed de impia præscriptione, qua perversi homines contra Ecclesiam abutebantur.

(1) Præscriptio initium habuit ab usucapione, qua olim res corporalis mobilis usu-capiebatur, id est per continuatam possessionem

acquirebatur a possessore, et a primo domino amittebatur; sed postea usucapio, et præscriptio fere in omnibus fuerunt æquiparatæ, et nunc a legibus civilibus, et in praxi sola præscriptio nominatur. — (2) Novel. 9.

690. Ut autem præscriptio ad formam sacrorum canonum legitima sit, quatuor requiruntur conditiones: 1ª ut res sit apta præscribi; 2ª ut adsit bona fides; 3ª ut habeat justum titulum; 4ª ut res possideatur tempore a lege statuto. Circa primam conditionem ex jure canonico præscribi nequeunt: 1° quæ sunt de jure naturali, quæque inducunt ad peccatum (1); 2° quæ dependent a potestate ordinis, vel a solo privilegio Apostolico (2); 3° quæ spectant ad obedientiam, et visitationem, cum præscriptio est extinctiva, ita ut nulli debeantur, non vero cum est tantum translativa de uno in alium prælatum (3); 4° quæ spiritualia jura sunt in laicorum favorem (4); 5° quæ spectant ad fines diœceseos, ac parochiarum, quando fines legitima probatione, vel alias indubitata fide constiterit ecclesiastica ordinatione statutos (5).

(1) Cap. 11, de consuet. ubi Gregorius IX hæc habet: *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent obligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri... quacumque consuetudine... posse aliquatenus derogari.* Idcirco contra bonos mores numquam potest præscribi, quia, ut aiebat Tertullianus: *Abusus perpetuo clamat; hoc exigit veritas, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, nec patrocinia personarum, non privilegium regionum.* De velam. virg. in princ. — (2) Cap. 4, de consuet. — (3) Cap. 12 et 16, de præscript. Ratio primæ partis in eo est, quod nemo potest esse acephalus, id est sine capite, cui obediat; ratio vero secundæ partis est in eo, quod libertas, et exemptio ab alicujus Episcopi jurisdictione obtineri licite potest. Cap. 15 et 18, eod. cap. 4, de privil. et cap. 7, eod. in 6. — (4) Arg. cap. 7, de prescript. Laici enim non sunt capaces habendi jura spiritualia; nihilominus laicus contra laicum potest præscribere juspatronatum, et res benedictas ac sacras. — (5) Cap. 4, de paroch. et can. 5 et 7, c. 16, q. 3.

691. Circa secundam conditionem de bona fide regula est, præscriptionem absque bona fide esse nullam, ut aperte sancivit Concilium generale Lateranense his verbis: *Quoniam*

omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definivimus, quod nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis ; cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ (1). Bona autem fides datur, cum quis per errorem facti prudenter judicat, sive credit, rem a se possessam esse suam, ut cum credit rem sibi venditam eum habere dominum, qui vendidit, licet illius vere non sit (2). Cum errore vero juris bona fides esse nequit, nisi error sit vere invincibilis, vel saltem verosimilis, ut si quis rem a jure alienari prohibitam, quod ignorat, judicis auctoritate obtineat. Ex verbis autem citati canonis concilii Lateranensis sequitur, bonam fidem necessariam esse ab initio præscriptionis, et debere esse continuam toto præscriptionis tempore, quod confirmatum fuit a Bonifacio VIII, qui in regula juris sic constituit : *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit* (3). Quare qui dubitat, an res sua sit, non potest inchoare præscriptionem. Si vero hoc dubium post incœptam bona fide præscriptionem suboriatur, per possessorem diligenter investiganda est veritas ; quo facto, si dubium adhuc perseveret, possessor potest continuare, et perficere præscriptionem, quia in dubio melior est conditio possidentis (4). Completa tandem præscriptione, mala fides superveniens non potest amplius nocere, quia præscriptionis effectus jam fuit operatus ; et ideo, qui cognoscit, rem fuisse alienam, non tenetur amplius restituere (5).

(1) Cap. 20, de præscript. et concordat cap. 5, eod. et cap. 2, de reg. jur. in 6. — (2) Error tamen in facto proprio regulariter bonam fidem aufert, ac maxime ignorantia crassa, et affectata. — (3) Cit. cap. 2. de reg. jur. in 6. — (4) Cap. 65, eod. — (5) Gloss. in cit. cap. 20, de præscript. verbo *nulla*, et cap. cit. 5, eod. in 6, verbo *noverit*.

692. Circa tertiam conditionem de justo titulo observamus titulum tunc dici justum, cum per se habilis est ad rei dominium de uno in alium transferendum, uti est donatio, emptio, permutatio, legatum, etc. ; qui, si sit verus et legitimus, rei do-

minium statim transfert, et si sit tantum coloratus, vel præsumptus, vel putativus jus præbet præscribendi. Unde titulus ex. gr. commodati, precarii, depositi, etc., non est justus titulus, et jus ad præscribendum non præbet, quia qui possidet, non possidet ut dominus. Justus autem titulus ex jure in præscriptione requiritur (1), et quidem ad duplicem finem, nempe ad vitium malæ fidei purgandum, et ad præscriptionem breviori tempore complendam.

(1) Cap. 17, de præscript.

693. Ultima conditio præscriptionis duo comprehendit, scilicet possessionem, et tempus, quo possessio debet durare. Possessio definitur, *detentio rei vacuæ in commercio existentis cum animo eam sibi habendi,* quæ in rebus corporalibus dicitur *possessio,* et in incorporalibus *quasi possessio ;* si consistat in facto materiali dicitur *naturalis ;* et si habeat adjunctum animum sibi habendi, *civilis* appellatur. In principio cujuscumque præscriptionis possessio, vel quasi possessio naturalis simul et civilis requiritur, quia possessio est fundamentum præscriptionis, et sine possessione præscriptio non procedit (1). In prosecutione vero et complemento præscriptionis, possessio vel quasi possessio tantum civilis sufficit ; nam potest præscribens possidere per alium, ut per procuratorem, per conductorem, per usufructuarium, etc. Possessio tamen debet esse continua, id est numquam interrupta toto præscriptionis tempore; interrumpitur autem naturaliter, vel civiliter : naturaliter cum deest aliqua ex conditionibus præscriptioni necessariis, u si cesset bona fides, et præscribens agnoscat, rem esse alie nam, vel titulum agnoscat se non habere ; civiliter vero cun præscribens in judicium citatur, ut rem possessam dimittat Sed hoc casu, si in judicio victoriam obtineat, vel lis per trans actionem terminetur, possessio ita continuata putatur, ut s lis mota non esset (2).

(1) Cap. 3, de reg. jur. in 6. — (2) Dubium, an sicut per citatio nem judicialem, ita per extrajudicialem denunciationem interrum patur præscriptio, resolvitur cum distinctione : si denunciatio in

nitatur tantum assertioni alicujus, qui possidentem monet, rem a se possessam non esse suam, præscriptio non interrumpitur, quia possidens non tenetur illi credere ; si vero denuncians quod asserit certis documentis probet, interrumpitur præscriptio, quia per hoc mala fides inducitur.

694. Cursus præscriptionis quandoque suspenditur, et tunc ipsa præscriptio dicitur dormire. cum hoc contingit, tempus medium, quo præscriptio dormivit, subducitur, et tempus anterius cum posteriore conjungitur ad præscriptionem complendam. Ex jure canonico præscriptio dormit : 1° cum fervet bellum, vel hostilitas, quia non datur libertas agendi (1); 2° cum Ecclesia suo est viduata Pastore, quia naturali suo defensore caret (2); 3° cum Prælatus, vel rector Ecclesiæ in hæresim lapsus, vel excommunicatus, vel suspensus, vel captus ab hostibus, vel in exilium pulsus fuit, quia Ecclesia censetur quasi vacare (3), 4° cum prælatus, vel rector, qui Ecclesiæ bona male alienavit, adhuc vivit, quia non præsumitur facile factum suum velle revocare (4); 5° cum agitur de Ecclesia Romana dormit præscriptio tempore schismatis, quia in hoc Ecclesia Romana est privilegiata (5).

(1) Can. 13, c. 16, q. 3, cap. 10 de præscript. quod communiter extenditur ad tempus pestis. — (2) Cap. 1, 4 et 15, de præscript. quod extenditur ad casum, quo Ecclesia Episcopum habeat inutilem. Cap. 2, de transl. episc. — (3) Gloss. in cit. can. 13, c. 16, q. 3. — (4) Arg. can. 10, c. 16, q. 3, et ib. Gloss. — (5) Cap. 14, de præscript. quod in casu speciali ad alias ecclesias extenditur, Cap. 1, eod.

695. Tempus deinde, quo possessio ad præscriptionem perficiendam durare debet, varium est, et a rerum natura, ac circumstantiis dependet. Hac de re secundum canonistarum doctrinam sequentes assignamus regulas.

Regula 1ª *Res mobiles præscribuntur triennio, modo adsit bona fides, et justus titulus.* Dicimus, *modo adsit bona fides,* quia cum mala fide præcriptio non currit : hinc fur numquam præscribit; qui vero a fure emit, potest quidem præscribere, si sit in bona fide; sed cum res sit vitiosa, requiritur spatium triginta annorum etiam in re mobili, et ideo triennium non

sufficit. Dicimus etiam, *modo adsit justus titulus*, quia si desi justus titulus ad ipsam rem mobilem præscribendam requi runtur triginta anni, et si agatur contra Ecclesiam maxime i re mobili pretiosa quadraginta anni (1).

Regula 2ª. *Res immobiles privatorum cum bona fide, et ju sto titulo præscribuntur decem annis inter præsentes, et vi ginti inter absentes.* Hæc præscriptio dicitur *longi temporis* Præsentes autem dicuntur, qui sunt in eadem provincia ; e absentes, qui in aliis provinciis morantur. Sed si quis fueri partim præsens, et partim absens, anni absentiæ duplicantur Hinc in casu, quo quis præsens sit quinque annis, et deincep absens, non poterit prescribere nisi quindecim annis, qui quinque anni ad complendam prescriptionem inter præsentes inter absentes sunt duplicandi. Cæterum in hac etiam præ scriptione, si desit justus titulus, præscriptio nisi triginta anni non completur. Sed hæc præscriptio a modernis civilibus legi bus fuit sublata.

Regula 3ª. *Omnes res et actiones inter privatos eum bona fid præscribuntur triginta annis.* Hæc prescriptio, quæ dicitu *longissimi temporis*, non distinguit inter præsentes, et absen tes, sed adversus omnes æqualiter procedit, nec titulum regu lariter requirit, quia post lapsum adeo diuturni temporis titu lus præsumitur. Diximus tamen *regulariter*, eo quod si præ scribens habeat contrarium jus commune, vel contrarian præsumptionem, quorum utrumque, vel alterum tantum o graves inordinationes inde secuturas præscriptioni resistat titulus non amplius præsumi potest; sed etiam in præscription triginta annorum est necessarius, veluti si agatur de decimi præscribendis in aliena parochia, vel diœcesi, de quo est ca sus a Bonifacio VIII iisdem ferme verbis decisus (2).

Regula 4ª. *Præscriptio contra Ecclesiam in genere in rebu immobilibus, et juribus completur tantum spatio quadraginta annorum.* Decretoria est hac de re dispositio Alexandri III; qu ait : *Illud autem te scire volumus, et tenere, quod adversu Ecclesiæ minorem præscriptionem quam quadraginta annorun Romana Ecclesia non admittit* (3). Dicimus *contra Ecclesiam* quia Ecclesia contra privatos juvatur præscriptione ordinaria dicimus *contra Ecclesiam in genere*, quia contra Ecclesiam Ro

manam sola admittitur præscriptio centenaria, ut hic subjungimus. Sed Ecclesiæ nomine intelliguntur monasteria, aliaque loca religiosa, ad quorum præscribenda bona, etiamsi ex piis legatis, et donationibus obveniant, tempus quadraginta annorum necessarium est, licet præscriptio fiat contra aliam Ecclesiam (4).

Regula 5ª. *Contra Ecclesiam Romanam sola admittitur præscriptio centum annorum.* Ita declaravit Innocentius III, et in utroque antiquo jure fuerat sancitum (5).

Adnotandum tandem, quod præscriptio dicitur *immemorialis* (6), quando adeo antiqua est, ut centum annos excedat, et memoriam seniorum superet, ac ejus ignoretur initium (7). Hæc omnibus præscriptionibus præstat, æquivalet privilegio, et ut dicunt Doctores, meliorem titulum de mundo præbet : nullum requirit titulum, et locum habet, etsi jus resistat (8).

(1) Ratio conclusionis est, quia Alexander III, in cap. 8, de præscript. generaliter loquitur, et, nulla facta distinctione inter res mobiles et immobiles, contra Ecclesiam præscriptionem quadraginta annorum requirit, et præscriptionem triginta annorum ab aliis præcedentibus canonibus admissam reprobat ; sed et alia adest ratio cum de rebus pretiosis agitur : nam res pretiosæ ecclesiarum rebus immobilibus assimilantur, et similiter absque juris solemnitatibus alienari non possunt, ut infra videbimus. — (2) Cap. 5, de præscript. in 6. — (3) Cap. 8, eod. et concordat cap. 4, 6 et 9, eod. — (4) Pirhing de præscript. n. 95 et 96. — (5) Hic Pontifex ita ait : *Tam civili, sive cæsario, quam canonico jure decretum est, ut contra Ecclesiam Romanam, quæ gaudet speciali privilegio, non nisi centum annorum præscriptio locum habeat.* Cap. 14, de præscript. cap. 13, eod. Cap, 2, eod. in 6. et can. 17, c. 16, q. 3, — (6) Cap. 21 et 26, de verb. signif. — (7) Reiffenstuel de præscript. n. 122. Hæc præscriptio probatur per testes senes, qui saltem per quadraginta annos testentur de visu, et sensu proprio, et insuper affirment, se a majoribus suis audisse, talem semper fuisse rei statum, vel ut scribit Glossa in cap. 1, de præscript. in 6, qui testentur, *quod semper viderunt, et audierunt ita esse ; nec unquam viderunt, vel audierunt contrarium ; et quod communis est, et fuit semper opinio, quod sic fuerit, et quod non exstet contrarii, vel initii memoria.* — (8) Cap. 1, de præscript. in 6.

696. Ex hominis facto deinde obligatio perimitur præsertim per solutionem, per novationem, et per acceptilationem, sive

condonationem. Solutio est debiti præstatio legitimo modo, loco, et tempore facta. Ratione legitimi modi requiritur ad regularem efficiendam solutionem, ut qui solvit integrum debitum simul et semel creditori offerat : nam creditor solutionem in parte accipere ordinarie non tenetur, quia solutio per partes incommoda esse solet (1) ; ut solutio fiat in specie debita : aliud enim pro alio, invito creditore solvi non potest (2) ; et ut solvatur prout conventum fuit (3). Ratione loci solutio facienda est in loco convento, et si de hoc nulla sit conventio, regulariter in loco contractus, vel domicilii illius, qui potius incommodum, quam commodum ex obligatione reportat. Demum ratione temporis : si tempus fuit appositum in favorem creditoris, ut posset ex. gr. licitas percipere mutui usuras, solutio ante præstitutum tempus fieri nequit, ne creditor damnum patiatur : sin secus tempus fuit oppositum in favorem debitoris, hic etiam ante tempus solvere potest, quia ex regula juris canonici dispositione debitores fructuum bonorum ecclesiasticorum solutiones anticipatas facere nequeunt, quæ si fiant a Benedicto XIV nullæ declarantur, quia possunt successoribus damnum afferre, aut viventes beneficiatos ad ægestatem imposterum reducere (4).

Omnis qui debet tenetur aut per se, aut per alium debitum solvere : justitia enim requirit, ut detur unicuique suum. Etiam per alium facta solutio ab obligatione liberat ; hinc solutio per procuratorem facta debitorem liberat ; immo solutio facta per tertium, inscio etiam debitore, eum a debito liberat, salva solventi actione contra ipsum, quatenus utile ei non omnino invito negotium gessit. Sed prælatus Ecclesiæ, aut rector, aut beneficiatus ita non potest aliena debita solvere, ut suam obliget ecclesiam, vel beneficium : nam *si quis præsumat ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui, seu sigilla concedere, quibus possent ecclesiæ gravari*, suspensione, et excommunicatione Papæ reservata plectitur, et ecclesia non obligatur (5).

(1) Ex communi tamen Doctorum sententia exceptio fit, si quis debitor sit ex diversis causis, ut si debeat centum ex mutuo, et centum ex empto : hoc enim casu solvere potest tantum centum ex

mutuo, quia debita sunt distincta; sic si debeat capitale, et ejus usuras, potest solvere tantum usuras; immo quod solvit imputatur primum in usuras, quam in capitale. Reiffenstuel de solut. n. 44. — (2) Hinc debitor pro pecunia dare nequit, invito creditore, frumentum, vel equum; neque vicissim: hæc enim solutio emptionis et venditionis speciem continet. — (3) Ratio est, quia ex regula juris *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Cap. 85, de reg. jur. in 6. — (4) Bul. *Universalis Ecclesiæ*. — (5) Cap. 2, de solut. et ib. Giraldus.

697. Etiam successor in prælatura, vel beneficio tenetur solvere debita, quæ pro necessitate ecclesiæ, vel beneficii suus antecessor assumpsit; nam, ut ait Alexander III : *Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus sui prædecessoris pro ecclesiæ necessitate contracta* (1). Quod autem Pontifex hic dicit de debitis contractis pro necessitate, ex communi Doctorum sententia extenditur ad debita pro utilitate ecclesiæ suscepta, quia ipsa ecclesia cum creditoris detrimento locupletari non debet; quæ utilitas præsumitur, si debita fuerint legitime contracta, id est cum consensu Capituli, et Superioris; si vero contracta fuerint a solo Prælato, vel beneficiato, creditor probare tenetur, debitum in ecclesiæ utilitatem versum fuisse (2). At successor non cogitur solvere debita, quæ antecessor contraxit, in quibus nec necessitas, nec utilitas ecclesiæ adfuit, ut si hoc modo ex. gr. mutuam pecuniam accepit (3), vel depositum acceptavit (4) : qui enim hoc modo contrahit, non obligat ecclesiam, sed se tantum, et bona sua.

(1) Cap. 1. de solut. — (2) Can. 2. c. 10, q. 2. §, *Et is creditor*. Sed communiter Doctores tradunt, utilitatem ecclesiæ tunc etiam adesse, cum debitum factum fuit ad subveniendum necessariæ, honestæ, et decenti sustentationi Prælati, vel rectoris, quia ecclesia eos alere debet. Utilitas autem æstimanda est de tempore contractus, ita ut sufficiat illo tempore adfuisse, licet postea defecerit, vel probari non possit. Reiffenstuel de solut. a n. 16. — (3) Cap. 4, de fidejuss. — (4) Cap. 1, de deposit.

698. Clericorum debita, cum patrimonialia eorum bona non suppetunt, solvenda etiam sunt ex eorum beneficiorum redditibus, ut clare disponit Lucius III. Cum enim quidam clericus

pro aliis clericis fidejussisset, et, his non solventibus, solvere coactus fuisset, idem Pontifex mandat, ut debitores principales eidem clerico fidejussori *pecuniam, quam pro eis solvit, restituant, ipsumque servent indemnem; alioquin*, sic subjungit executoribus a se delegatis, *de reditibus eorum præscripta debita faciatis exsolvi; et damna etiam, quæ propter hoc pertulit, resarciri, aut prædictos reditus sibi assignetis tamdiu sine molestia detinendos, donec ipsa damna resarcita fuerint, et debita sine diminutione soluta.* Et Glossa hic nomine redituum intelligit etiam stipendia quotidiana clericis ex beneficio debita (1).

(1) Cap. 2, de fidejuss. et ib. Gloss. verbo *redditibus*.

699. Attamen clericis salva semper esse debet honesta sustentatio, ne in opprobrium proprii ordinis mendicare cogantur; et ideo ex jure canonico eis conceditur *beneficium competentiæ* in eo consistens, quod clerici obærati per carceres, aut censuras non possunt cogi ad eorum debita solvenda ultra quam facere possunt, salva eorum congrua sustentatione, dummodo idonea cautione saltem per juramentum caveant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint (1). Hoc privilegio clerici fruuntur etiamsi bonis cesserint, et probabiliter etiamsi in contrahendo debito huic privilegio renunciaverint: eo quod concessum est in favorem totius clericalis ordinis; sed eodem privantur, ut passim tradunt Doctores, si debita negaverint, si debita descendant ex delicto, vel quasi delicto, si sint suspecti de fuga, et si eorum creditores magis egeant, quam ipsi clerici.

(1) Hoc beneficium, de quo supra jam egimus n. 72 et 699, clericis competit ex sanctione Gregorii IX, in cap. 3 de solut.

700. Alter modus, quo facto hominis obligatio perimitur, est novatio, quæ contingit, cum una obligatio in aliam convertitur, sive iisdem manentibus personis, sive alterutra earum mutata. Fit novatio, iisdem manentibus personis, si ex. gr. inter deponentem et depositarium nova conventio interveniat, per quam

pecunia penes ultimum deposita eidem mutuata habeatur ; fit novatio, mutato creditore, si quod Caius debet Titio per novam conventionem tribuatur Sempronio; et fit novatio, mutato debitore, si quod Caius debet Titio, solvere paciscatur Sempronius : cujus novationis exemplum habemus in D. Paulo, qui promisit, se soluturum, quod Philemoni debebat Onesimus : *Si aliquid*, ait, *nocuit tibi, aut debet* (Onesimus), *hoc mihi imputa: ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam* (1). Post hujus promissionis acceptationem perfecta fuit novatio, quæ a Romanis dicebatur fieri per *expromissionem*. Novationis effectus est, ut per eam prima obligatio perimatur omnino cum juribus sibi adjunctis hypothecæ, aut fidejussionis, aut privilegii, et nova consurgat, ita ut ad antiquum debitorem non detur amplius regressus etiamsi expromissor solvendo non sit (2).

(1) Epist. ad Philem. ℣. 18. — (2) Unde novatio a cessione differt : nam per cessionem non extinguitur prima obligatio ; et ideo cessio fieri potest absque consensu debitoris ; dum novatio talem consensum requirit, quia novam obligationem, veteri extincta, efformat.

701. Ultimus modus, quo facto hominis obligatio perimitur, est acceptilatio, quæ significat *acceptum habere,* et debitum ita remittit, ac si ejus solutio per creditorem accepta fuisset. Unde acceptilatio hodie idem sonat, ac debiti condonatio, sive remissio, quæ fieri potest *expresse* per verba, et *tacite* ex. gr. per restitutionem chirographi originalis ipsi debitori, aut per ejusdem chirographi destructionem, quia ex his factis creditoris voluntas debitum remittendi evidenter resultat. Sed per restitutionem pignoris debiti remissio non præsumitur, cum ex hoc solo facto non arguatur in creditore debitum remittendi voluntas, quia aliis justis causis potest ad pignus debitori restituendum creditor induci (1).

(1) Tam novatio, quam acceptilatio, quatenus alienationem important, a rerum ecclesiasticarum administratoribus fieri non possunt, nisi observentur solemnitates pro rerum earumdem alienatione necessariæ, da quibus infra agimus.

TITULUS XXXII.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ALIENATIONE.

Summarium : 702. Quid sit alienatio, et quotuplex ? — 703. Quæ sint res propter se alienari prohibitæ ? — 704. Quæ prohibitæ propter actum alienationis? — 705. Alienationes prohibitæ sunt irritæ. — 706. Quotuplex actio competat Ecclesiæ contra male alienantem? — 707. Quibus pœnis puniatur male alienans? — 708. Alienari possunt res, quæ servando servari nequeunt? 709. Quæ sunt exigui valoris. — 710. Quando adest necessitas, vel voluntas testatoris. — 711. Quando res sunt ab antiquo alienari solitæ. — 712. Locatio permissa est ad triennium. — 713. Quotuplex sit justa causa alienationis? — 714. In quo consistant solemnitates a jure requisitæ ? — 715. An beneplacitum Apostolicum debeat præcedere actum alienationis ? — 716. Quomodo idem beneplacitum soleat concedi?

702. Alienatio in genere est actus, quo dominium rei de uno in alium transfertur ; sed a Doctoribus hoc loco latiori quodammodo accipitur, et sic accepta potest definiri : *actus, quo dominium, vel possessio rei ecclesiasticæ extinguitur, vel minuitur*. Propterea dividitur : in *propriam*, si jus, quod in ipsam habet Ecclesia, extinguatur, ut in donatione, venditione, etc.; et *impropriam*, si jus, quod in ipsam habet Ecclesia, tantum minuatur, ut in locatione, pignore, etc. Alienatio bonorum ecclesiasticorum generaliter est prohibita : nam publice interest, ut necessaria ad divinum cultum, stipendia clericorum, et subsidia pauperum perpetuo conserventur ad Ecclesiam, quæ perpetua esse debet, conservandam (1) ; sed quandoque est etiam permissa, ut liquet ex ipsa rubrica tituli Decretalium, *De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non*. Quare primum de alienationibus prohibitis, et deinde de permissis agemus.

(1) Bona ecclesiastica ad hunc effectum censentur omnia bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet ex definitione Pauli II in Extrav. *Ambitiosæ* de reb. Eccl. non alien. int.

com. Cum autem adversus hanc bullam Regulares antiquam prætenderent privilegia, Urbanus VIII eam contra Regulares confirmavit per decretum S. Congregationis Concilii 7 sept. 1624, in quo bonorum ecclesiasticorum alienationem absque expressa ejusdem S. Congregationis licentia interdixit omnibus *generalibus, et provincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus generalibus, et quibuscumque aliis superioribus regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti intra fines Europæ existentibus.* Quare huic prohibitioni subjiciuntur omnes Congregationes ecclesiasticæ virorum et mulierum, cum in his emittuntur vota simplicia, vel etiam cum nulla emittuntur vota, ut ex decisionibus S. Congregationis late probat Auctor Anal. jur. Pont. ser. 1, pag. 1136. Immo eadem prohibitio viget etiamsi ageretur de alienationibus unius monasterii cum altero etiam ejusdem ordinis, quia bona monasteriorum sunt realiter separata, quamquam id fieret in utriusque monasterii utilitatem. S. Congregatio 19 mart. 1685.

703. In alienationibus prohibitus duo consideranda sunt, nempe : res, quæ alienatur, et actus alienationis. Propter rem ipsam alienari non possunt. 1° Res immobiles natura, ut templa, monasteria, loca pia ecclesiastica, eorum prædia urbana, vel rustica, domus, agri, etc. (1); item res immobiles ex dispositione legis, ut jura, et actiones ad rem immobilem (2); decimæ, census annui, loca montium, nomina debitorum (3), hypothecæ, servitutes reales ususfructus, piscationis, venationis, pascui, etc.; quæ cum natura sua nec mobiles, nec immobiles absolute vocari queant, qualitatem a lege ob rem, ad quam referuntur, accipiunt : nam *qui actionem habet ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.* 2° Alienari non possunt res mobiles pretiosæ, quæ propter pretium, ut gemmæ, aurum, argentum, vel propter artem, ut insignes picturæ, sculpturæ, ornatus, etc.; vel propter antiquitatem, aut reverentiam Deo, Sanctis, aut etiam benefactoribus debitam, aliquem particularem splendorem, vel utilitatem ipsi Ecclesiæ afferunt, vel afferre possunt (4).

(1) Cap. 1, de reb. Eccl. alien. Extrav. *Ambitiosæ* eod. int. com. — (2) Cap. 2, de reb. Eccl. non alien. in 6, Clem. 1, eod.—(3) Cap. 1, eod. in 6. Clem. 1, § *earumque annui* de verb. signif.—(4) Observamus tamen quasdam res mobiles, et in se non pretiosas, quæ in parte possunt alienari in toto, uti est grex ovium, bibliotheca, et similia, quia hæc ad usum perpetuum conservanda sunt, ad quem sunt destinata. Idem

dicendum de pecunia in arca Ecclesiæ conservata, quia licet Ecclesia aurum habeat, *non ut servet*, ut ait S. Ambrosius, *sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus*. Can. 70, c. 12, q. 2. Non potest tamen alienari illa pecunia, quæ in arca Ecclesiæ detinetur ad rem immobilem, vel mobilem pretiosam emendam destinata, neque illa pecunia, quæ in arca seposita per modum thesauri pro extraordinariis necessitatibus conservatur, quia talis pecunia ex destinatione jam rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosis affecta manet. Cit. Extrav. *Ambitiosæ*, et Zallinger de reb. Eccl. alien. § 152.

704. Actus deinde qui prohibitam alienationem continent sunt: 1° illi, per quos plenum rei dominium ab Ecclesia dimittitur, ut donatio, venditio, permutatio, condonatio, cessio juris vel actionis (1); 2° illi, per quos minus plenum rei dominium ab Ecclesia in alium transfertur, ut est emphyteusis et census (2); 3° illi, per quos utrumque dominium minuitur, uti est locatio diuturna, concessio pignoris, vel hypothecæ, compromissum, transactio, constitutio ususfructus, aut alterius servitutis (3); 4° illi, per quos bona Ecclesiæ laicis subjiciuntur (4): ex quibus apparet, prohibitas esse nedum proprias, sed et improprias alienationes.

(1) Cit. cap. 5, de reb. Eccl. alien. in quo confirmatur constitutio imperatoris Leonis in l. *jubemus* eod. de SS. Eccl. Hic dubitatur an legati, vel hæreditatis repudiatio sit actus Prælato prohibitus. Engel affirmat, de rer. eccl. alien. n. 9, quia vere Ecclesiæ præjudicium affert: De Luca negat, disc. 1, de alien. n. 122, quia prohibitio alienandi respicit quæsita, et non quærenda, ac duo diversa sunt alienare, et non acquirere. At licet Prælatus sic legatum, vel hæreditatem tantum delatam repudiando reus forte non fiat contra leges rerum ecclesiasticarum alienationem prohibentes, reus certe erit gravis omissionis, quatenus damnum Ecclesiæ intulit, quod tenetur reparare. — (2) Cit. cap. 1, et Clem. 1, eod. — (3) Cit. Extrav. *Ambitiosæ*. Observamus locationem esse diuturnam, quando fit ultra triennium, et hypothecam ex probabiliori sententia esse illam tantum prohibitam, quæ specialiter in aliquo prædio constituitur: nam in cit. cap. 5, specialis tantum hypotheca prohibetur, et inclusio unius est exclusio alterius. Quare hypotheca generalis non videtur prohibita, quæ necessaria est Prælato, ut utilem contractum inire queat, cum qui contrahit se et sua obligare debeat. Insuper in generali hypotheca res non manent ita stricte obligatæ, quemadmodum in hypotheca speciali, quæ inchoata alienatio dici potest, nec ita facile in illa, sicut in ista ad rei oppignoratæ distractionem deveniri potest. Unde generalis permittitur, et specialis hypotheca re-

probatur. De Luca de alien. in sum. n. 9. Item observamus compromissum esse tantum prohibitum voluntarium; nam necessarium, sive illud, quod judicis sive legis mandato fit, est permissum. Can. 46, c. 11, q. 1. Demum observamus transactionem illam tantum esse probabiliter prohibitam, in qua ab Ecclesia pro compositione alia res alienari prohibita traditur. Si enim transigendo alienetur tantum res alienari permissa, non videtur transactio prohibita, ut si pro compositione Ecclesia tradat fructus annuos, aut pecuniam pro expensis occurrentibus asservatam, quia hujuscemodi res sub prohibita alienatione non cadunt. De Luca de alien. in sum. n. 10 et 11. — (4) Cap. 2, de reb. Eccl. non alien. in 6, ubi Pontifex quorumdam clericorum agendi rationem damnat, qui bona ecclesiastica a laicis se tenere asserebant, ut ab his defenderentur. Quare irritat omnes actus, quibus Prælati, vel clerici *constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo* ab illis (laicis) *ea tamquam superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem advocando... vel ipsos patronos, vel advocatos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo, vel ad tempus non modicum statuendo* bona Ecclesiæ laicis submiserint. Et Glossa subjicit, *sicut fit hodiernis temporibus*, quod nunc majori jure tenemur lamentari.

705. Alienationes bonorum ecclesiasticorum tam propter rem ipsam, quam propter actum alienationis prohibitæ ita fieri nequeunt, ut si fiant sint nullæ et irritæ ipso jure pro utroque foro saltem post judicis sententiam. Decrevit enim hac de re Gregorius Papa IX, *contractus omnes etiam juramento vel alterius cujuscumque firmitatis adjectione vallatos... et quiquid ex eis secutum fuerit, adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent* (1); et Paulus II pariter constituit, ut alienationes hujusmodi *nullius omnino sint roboris*, vel momenti (2). Hæc tamen nullitas talis est, ut per superioris ratihabitionem possit auferri, et contractus confirmari, quando in utilitatem Ecclesiæ manifeste cedit. Ideo hæ alienationes, ut contractus minorum, claudicare dicuntur, hoc est, qui contrahit cum Ecclesia obligatur, sed ipsa Ecclesia non obligatur, si sit læsa; ex quo sequitur, emptorem rei ecclesiasticæ teneri pretium solvere, quin allegare possit emptionis nullitatem, qui debet sibi imputare, si cum inhabili ad contrahendum contraxit: Ecclesia ex adverso potest, si læsa sit, venditionem nullam habere, et rem venditam, restituto pretio accepto, repetere, vel venditionem per Superiorem ratam habere, si ex ea utilitatem percipiat.

Ratio est, quia Ecclesia fruitur jure minorum, qui legibus tum antiquis, tum modernis hoc privilegium habent (3), quod synodus Ancyrana ab antiquis expresse probavit in alienationibus factis, sede episcopali vacante, quarum constituit in judicio futuri Episcopi pretium recipere, vel res ipsas male alienatas repetere (4).

(1) Cap. 2, de reb. Eccl. non alien. in 6. — (2) Cit. Extrav. *Ambitiosæ*. — (3) Cap. 3, de in integ. restit. — (4) Can. 42, c. 12, q. 2.

706. Ex facta prohibita alienatione duæ pro Ecclesia oriuntur actiones, una scilicet rei vindicatoria contra possessorem, et alia personalis contra male alienantem. Actio rei vindicatoria ad hoc tendit, ut res male alienata a quocumque possessore restituatur Ecclesiæ cum fructibus ex ea perceptis et exstantibus, et si fuerint in mala fide percepti, cum omnibus omnino fructibus etiam consumptis, et cum accessionibus, et melioramentis, salva tamen emptori actione contra Rectorem male alienantem, si ipse in bona fide fuerit (1). Intentari autem potest hæc actio nedum a superiore, vel successore, sed et ab ipso Rectore male alienante, etiamsi rem non repetendi juramentum emiserit, quia tale juramentum est illicitum, et sine animæ præjudicio non potest observari (2) : quin immo intentari potest a patrono, et a quocumque clerico, quia bonorum ecclesiasticorum conservatio omnium interest (3). Actio vero personalis contra male alienantem tendit ad hoc, ut idem bonis suis damnum Ecclesiæ illatum reparet (4), qui si mori contigerit, eadem actio contra hæredes dirigitur : nam et hi, ut auctor eorum, tenentur rem male alienatam Ecclesiæ restituere, vel alio modo Ecclesiam indemnem servare, quia hæres in jure una persona censetur esse cum defuncto, cujus hæreditatem cum adjunctis oneribus suscipit (5). Sed ipsa Ecclesia, ut Doctores tradunt, quam maluerit ex his duabus actionibus eligere potest ; immo, una electa, adhuc potest ad aliam divertere, usque donec rem male alienatam assequatur, qua obtenta per actionem rei vindicatoriam cessat actio personalis, et vicissim.

(1) Can. 13, c. 12, q. 2. cap. 6 et 11, de reb. Eccl. alien. et ibid. Gloss. verbo *sufficere*. — (2) Cit. cap. 6 et ib. Gloss. verbo *alienator*.

Cap. 32, de jurejur. — (3) Can. 35, c. 16, q. 7 et cit. cap. 6, de reb. Eccl. alien. — (4) Cap. 9, eod. — (5) Can. 18, c. 12, q. 2 et cap. 3, de pignor.

707. Principalis pœna contra male alienantes, et recipientes bona ecclesiastica præter nullitatem contractus, et rei restitutionem, est excommunicatio, quæ ab antiquissimis canonibus statuta, postea renovata et confirmata fuit a Paulo II, qui sic sancivit : *Tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat* (1). Hæc tamen excommunicatio reservata non est, nisi cum alienatione conjungatur bonorum ecclesiasticorum usurpatio a Tridentino damnata (2) : non incurritur ab ignorantibus, et ab alienantibus bona fide, nisi ignorantia sit crassa, aut supina, quia idem Pontifex pœnam irrogat contra eum tantum, qui *alienare præsumpserit*, quod importat dolum, malitiam, aut temeritatem. Item non incurritur per alienationis contractum, etiamsi rei traditio fuerit subsecuta ; sed tantum per notabilem rei ipsius retentionem ; nam Symmachus Papa ita ait : *Nisi forte et alienator, et qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint* (3). Aliæ pœnæ contra clericos majores sunt interdictum ab ingressu in ecclesiam, et suspensio ab administratione officii, et beneficii in spiritualibus, et temporalibus, si per sex menses in interdicto animo indurato perseveraverint (4) ; contra clericos minores est privatio officii, et beneficii, ita ut ipso facto vacare censeantur illa beneficia, quorum bona sui beneficiati male alienaverint (5) ; contra Regulares demum est privatio officiorum, et inhabilitas ad illa, et privatio vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda ex decreto generali Urbani VIII (6).

(1) Cit. Extrav. *Ambitiosæ* de reb. Eccl. non alien. int. com. — (2) Sess. 22, c. 11, de ref. — (3) Cit. cap. 6, de reb. Eccl. alien. — (4) Etiam capitula subjiciuntur interdicto. Giraldus d. l. ad cap. 5. — (5) Cit. Extrav. *Ambitiosæ*. Circa hodiernam praxim hujus Bullæ multæ sunt discrepantes Doctorum sententiæ, quas legere quisque poterit penes Giraldum ad cit. cap. 5, de reb. Eccl. alien. ; et præcipua est, an valeat consuetudo in contrarium, quam non valere putamus : tum quia obstat juramentum, quod singuli Episcopi initio episcopatus præstant de rebus Ecclesiæ non alienandis ; tum quia S.

Congregatio declaravit, *non usum dictæ constitutionis allegabilem non esse.* Auct. Præl. jur. can. t. 3, n. 588. — (6) Monacellus part. 2, tit. 16, for. 4.

708. Alienationes bonorum ecclesiasticorum permissæ ex duplici capite probantur ; nam possunt esse permissæ sua natura, et permissæ fieri poterunt per observatas juris solemnitates. Sua natura primo permissa est alienatio rerum, quæ servando servari nequeunt, quemadmodum sunt fructus arborum, vinum, oleum, frumentum, etc.; quæ si clericorum culpa perirent, in eos ad damni compensationem actio daretur. Hujus generis omnes æstimantur res, quæ ad biennium vel triennium non durant, vel quæ usu consumuntur, vel non fructificant, vel, ut ait præfatus Pontifex Paulus II, *quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia* (1).

(1) Cit. Extrav. *ambitiosæ*. Sic possunt alienari arbores arefactæ, inutiles, et nocivæ cum onere tamen alias implantandi, ubi locus sit, quæ fructuosiores esse queant ; sed extra hujuscemodi casus, qui arbores solo cohærentes alienat, vel succidit, in pœnas male alienantium incidit, quia tales arbores pars soli censentur. Ventriglia de alien. bon. eccl. § 2, n. 19.

709. Secundo permissa est Episcopo alienatio rerum immobilium inutilium, aut exigui valoris, cujusmodi sunt domus, *quæ in quibusdam urbibus non modica impensa sustentantur*, ut terrulæ, ac vineolæ, quæ Ecclesiæ minus sunt utiles (1); et hujus facultatis exercitium non impedit juramentum, quod Episcopus coram Papa emisit non alienandi bona Ecclesiæ, quia sic tenent Doctores, sic observatur in praxi universali ipsi Pontifici nota, et aliunde hic actus potius ac necessariam administrationem pertinet, quam ad veram alienationem (2). Sed difficultas in eo consistit, ut agnoscatur, quænam res exigui valoris juxta celebratissimum caput *terrulas* dicendæ sint. Exiguus, aut modicus valor est relativus ad Ecclesiæ facultates, qui proinde vel ex consuetudine, vel ab Episcopi judicio determinandus est. Attamen male non ageret ille Prælatus, qui ex aliqua justa causa rei ecclesiasticæ alienationem per-

mitteret, cujus valor non excedat quadraginta, aut quinquaginta scuta monetæ Romanæ (3).

(1) Can. 20, et can. *terrulas*, 53, c. 12, q. 2. — (2) Ventriglia loc. cit. n. 3. — (3) Monacellus part. 2, tit. 26, for. 15, n. 2. Insuper notandum, quod prædium non potest dividi, ut locus fiat modicitati valoris ad effectum illud in parte saltem alienandi; nam per hanc divisionem manifeste fraus fieret legi.

710. Tertio permissa est alienatio rei immobilis in casu imminentis et præcisæ necessitatis Ecclesiæ, cui alio modo auxilium afferri nequeat, et aliunde tempus non detur recurrendi ad summum Pontificem (1); item in casu, quo res Ecclesiæ fuerunt relictæ sub expressa, vel tacita conditione liberæ alienationis. Tacita conditio est, si res immobilis donata, vel legata sit monachis, ut sunt Fratres Minores, qui nec in communi possunt immobilia possidere: hi enim debent rem immobilem distrahere, pretiumque in monasterii usum convertere. Tacita quoque conditio est, si res immobilis Ecclesiæ donata vel legata sit, sub onere restitutionis, aut retrovenditionis post aliquem determinati temporis lapsum. Expressa vero conditio foret, si donator, aut testator rem immobilem Ecclesiæ concedat ea lege, ut sola auctoritate Ordinarii possit alienari, vel pro occurrentibus necessitatibus vendi (2).

(1) Ventriglia de alien. bon. eccl. § 3, n. 1: cujus exemplum ponit in munienda civitate pro utili communi, in redimendis captivis, et in re Ecclesiæ damnosa ad evitandas expensas; sed Episcopus Astensis beneplacitum Apostolicum petiit, et obtinuit pro alienatione prædiorum ad construendam viam ferream anno 1847. Anal. jur. Pont. ser, 3, pag. 300. — (2) Card. De Luca disc. 1, n. 126 et 128, de alien.; cui contradicit Monacellus part. 1, tit. 5, for. 15, n. 19, qui ad hanc contradictionem firmandam argumentum sumit a cap. 17, de testam.; sed casus longe diversus esse videtur.

711. Quarto permissa est alienatio rei immobilis ab antiquo alienari solitæ quoadusque Ecclesiæ de novo plene incorporata non fuit, ut contingit in emphyteusi, quæ statis temporibus renovatur, quia res semel effecta alienabilis semper talis remanet. Dicitur autem res solita alienari, cum uno saltem so-

lemnis alienatio intercessit, quæ suum sortita est effectum, vel cum plures minus solemnes alienationes per spatium quadraginta annorum factæ fuerunt, quæ suum pariter sortitæ sunt effectum. Sed in novis concessionibus opus est, ut justa concessionis causa, Ecclesiæque utilitas jugiter perseveret, et ut concedendi modus in præjudicium Ecclesiæ non mutetur (1).

(1) Cit. De Luca disc. 1, n. 131 et seqq. de alien.

712. Quinto tandem est permissa locatio conductio rei ecclesiasticæ ad triennium; nam in jure sola locatio conductio ultra triennium reperitur prohibita. Attamen hoc triennium non sumitur simpliciter pro tribus annis solaribus, sed pro tribus fructuum perceptionibus. Quare si agatur de fructibus civilibus triennium tribus tantum annis constat, quia unoquoque anno fructus percipiuntur; sed si agatur de aliis fructibus qui completi non percipiuntur, nisi, altero, vel tertio quoque anno, triennium sex, vel novem annis constabit: et in sylvis cæduis, quæ singulis decenniis, vel vicenniis cæduntur, triennium in triginta, vel sexaginta annorum spatio computabitur, ut tradunt communiter Doctores, quia potius ad fructuum perceptionem, quam ad naturalem anni lapsum respicitur (1).

(1) Quæri hic potest, an locatio facta ultra triennium, ex. gr. ad novennium, saltem sustineatur ad primum triennium? Quidam Doctores affirmant ex eo juris principio, quod utile non vitiatur, et quod tantum irritetur, quantum prohibeatur. Nihilominus vera est sententia contraria ob textum expressum in cit. Extrav. *Ambitiosæ*, in qua locatio facta ultra triennium in toto irritatur. Hic proinde illud viget principium: alienans quod voluit non potuit, et quod potuit, noluit, cum actio non ex potentia, sed ex operantis voluntate dimetiatur. Neque potest admitti illud temperamentum a quibusdam invocatum, quo sustineatur locatio ultra triennium, si singularis pensio pro unoquoque anno sit constituta, et corruat, si unica pensio pro omnibus annis sit pacta, quia in priori casu tempus dividitur, in secundo vero indivisibile est. Neque similiter potest admitti aliud aliorum temperamentum, quo locatio sit invalida simpliciter facta ad novennium, et sit valida, si fiat ad novennium cum pacto illam unoquoque triennio renovandi. Nam in utroque hoc temperamento, vel post triennium locatio adhuc est obligatoria, vel non si secundum, locatio est licita, quia res ecclesiasticæ manent liberæ; si primum, locatio est prohibita, quia res ecclesiasticæ evi-

denter alienantur ultra legis permissionem. De Luca loc. cit. n. 4 et 5. Hæc tamen ita procedunt eo in loco, in quo nulla est consuetudo in contrarium; alias si hæc legitime præscripta adesset, posset observari, ut Mediolani, ubi ex legitima consuetudine, locationes rerum ecclesiasticarum ad novennium licite fiunt. Monacellus part. 1, tit. 5, for. 25, n. 2. Demum hic notandum, quod in rebus modici valoris, in quibus permissa est alienatio, earumdem rerum locatio fieri potest ad novennium, et ultra. Id. ib. for. 15, n. 1.

713. Deinde ob observatas juris solemnitates permissa est alienatio, in qua justa intervenit causa, et solemnitates observantur a jure præscriptæ; sed ad hunc effectum duæ prædictæ conditiones regulariter copulative requiruntur. Causa triplex a Doctoribus designatur: prima est necessitas ecclesiæ, ut si ære alieno gravata, vel subita reparatione indigens aliter nequeat creditoribus satisfacere, vel ruinam avertere (1); secunda est utilitas ecclesiæ, veluti si ejusdem res immobilis distrahatur ad aliam meliorem, et utiliorem comparandam; sed hæc utilitas debet esse certa in præsens, et evidens, ut ecclesia plus percipiat alienando, quam retinendo (2); tertia est pietas, ut si res ecclesiæ venumdentur ad redimendos captivos, aut ad alendos pauperes in extrema, sive extraordinaria necessitate constitutos, quia, ut ait S. Ambrosius, *melius est vasa viventium servare, quam metallorum* (3).

(1) Arg. cap. 1, de pignor. et Clem. 1, de reb. Eccl. non alien. Hæc causa, ut supra innuimus, quando non datur tempus recurrendi ad summum Pontificem, sola potest sufficere. — (2) Can. 52, c. 12, q. 2 et cap. 8, § fin. de reb. Eccl. alien. — (3) Can. 70, c. 12, q. 2.

714. Solemnitates a jure in rerum ecclesiasticarum alienatione præscriptæ consistunt in consensu, et subscriptione Capituli, sive Rectoris illius ecclesiæ, cujus bona distrahuntur (1), in consensu Episcopi diœcesani, et maxime in beneplacito S. Sedis (2). Hoc S. Sedis beneplacitum est omnino necessarium, et ab antiquo usu fori etiam civilis receptum (3), quod alios defectus sanat. Unde ad formam hujus beneplaciti alienatio componenda est et non ad formam capitularis, vel episcopalis consensus, neque etiam ad formam supplicationis S. Sedi præsentatæ. Neque regulariter hoc beneplacitum pot-

est præsumi, sed debet probari, nisi tempus excedat centum annorum, vel saltem hominum memoriam superet. Quando vero contractus fuit ecclesiæ favorabilis, vel inter diversas ecclesias stipulatus fuit post lapsum quadraginta annorum potest præsumi, modo tamen ex scripturis, et instrumentis non appareat, prædictas solemnitates non fuisse servatas (4).

(1) Can. 52, c. 12, q. 2. Attamen hic consensus, et subscriptio dari debet capitulariter, et præcedente tractatu. Cap. 1, de reb. Eccl. non alien. in 6. — (2) Profecto ad hunc finem *Apostolicæ Sedis licentiam specialem* requirit Gregorius IX, in cap. 2, de reb. Eccl. non alien. in 5, et Paulus II gravissimas pœnas pronunciat contra bona ecclesiastica alienantes, *inconsulto Romano Pontifice*. Cit. Extrav. *Ambitiosæ* eod. int. com. — (3) Richeri jus univer. lib. 2, § 312, cum Fabro, et Thesauro ib., cit. — (4) Monacellus part. 2, tit. 14, for. 4, n. 15.

715. Doctores hac occasione quærunt, an beneplacitum Apostolicum debeat alienationem præcedere, vel sufficiat, si subsequatur? Respondemus debere precedere rei alienatæ traditionem; alias pœnæ male alienantium incurruntur, quia hoc beneplacitum constitutum est ad formam, et complementum alienationis, sine quo alienatio foret attentata, et nulla. Sed potest præcedere, vel etiam subsequi alienationis contractum, modo hoc secundo casu in ipso contractu apponatur clausula, *salvo beneplacito Apostolico, nec alio modo,* vel alia similis, et rei possessio ante obtentum beneplacitum in acquisitorem non transferatur; si ita fiat nullæ incurruntur pœnæ, quia alienatio perfecta non fuit (1). Ita sæpius in praxi observatur in Liguria nostra, ut alienatio fiat sub clausula: *Si superioris auctoritas intercedat*, vel, *salvo beneplacito S. Sedis, et non aliter,* ut habemus expressum in concilio Provinciali Archiepiscopi Pallavicini anni 1567 (2). Idem quoad alias regiones confirmat Ventriglia, dum sic ait: Videmus quotidie in praxi stipulari instrumenta concessionis rei Ecclesiæ ante assensum Apostolicum, cum clausula tamen, *reservato dicto assensu, nec aliter, nec alio modo,* et retenta possessione rei per Ecclesiam (3).

(1) Hic pariter Doctores inquirunt, an pœnæ male alienantium in

currantur, quando in instrumento contractus apponitur clausula *Constituti possessorii*? In hujus quæstionis resolutione adnotamus, constitutum posessorium, cujus ex stylo Notariorum frequens est usus in instrumentis conventionum, esse actum, quo vendens, vel aliter contrahens declarat, vel constituit, se rem possidere imposterum non nomine suo proprio, sed precario nomine illius, qui emit, ita ut hic possit quocumque tempore veram rei possessionem sola sua auctoritate capere. Hinc per hujusmodi clausulam venditor ponit emptorem in locum et jus suum, vel eum constituit procuratorem in rem suam. Quo præmisso, respondemus cum Ventriglia, non videri hoc constitutum pœnas male alienantium inferre, quia hæc non est vera, sed tantum ficta traditio, et possessio, et quia ante veram adeptam per acquisitorem possessionem rei alienatio perfecta non censetur. De alien. bon. eccl. § 3, n. 10. — (2) De reb. eccl. tuend. etc.; et hoc concilium in hac parte probatum fuit ab Urbano VIII, bul. *Cum nobis.* — (3) Cit. loc. n. 12.

716. Beneplacitum autem Apostolicum concedi solet in forma commissoria, nimirum Dataria Apostolica, sive S. Congregatio Concilii, sive alia Congregatio Episcoporum et Regularium Ordinario diœcesano facultates opportunas et necessarias concedit, ut tamquam S. Sedis delegatus alienationem permittere et probare possit; sed ut plurimum facultatem continet conditionalem ob clausulas rescripto insertas, quæ per executorem, causa cognita, verificandæ sunt (1). Hujus causæ cognitio sumi potest extrajudicialiter; at necessarium est, ut executor bona alienanda verificet, causas alienationis serio et sollicite examinet, testes et probationes diligenter discutiat: nam si commissarius, sive exęcutor ob gratiam, timorem, spem, vel lucrum alienationi injustæ consenserit, incurrit in suspensionem ab officio per annum, si sit Episcopus, et in excommunicationem, si sit clericus minor; quam excommunicationem etiam ille contrahit, qui *dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuravit, aut per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit*; atque insuper omnes tenentur ad damnum Ecclesiæ illatum reparandum, ut idem Paulus II in alia bulla sancivit (2).

(1) Clausulæ, quæ pro casus qualitate beneplacito Apostolico inseri solent, sunt præcipue sequentes, nimirum : *bonis prædictis prius coram vobis specificatis; si in evidentem ecclesiæ utilitatem*

etc.: *vocatis vocandis* etc.: in quibus aliqui Doctores tradunt judicialiter procedendum esse; sed in praxi contrarium observatur, et sola accurata extrajudicialis informatio, modo certa et indubitata sit, videtur sufficere. Nostrum revera jam citatum concilium provinciale monet quidem executores, ut diligenter hujuscemodi Apostolicas litteras per se exequantur, omnia per se etiam per personalem rei inspectionem diligenter scrutentur, et ut abstineant a substituenda in hac re vicaria scribarum opera; sed nullibi formam judicialem requirit. Cit. loc. Clausula autem, *si in evidentem*, etc. pendet ab arbitrio judicis, cujus est judicare de evidenti utilitate, et Doctores tradunt evidentem esse utilitatem, si pro decem dentur quindecim, vel saltem quatuordecim pro duodecim Ventriglia cit. loc. § 3, n. 22, Clausula vero, *vocatis vocandis* importat, ut vocentur, et audiantur omnes, quorum interest, cujusmodi est Rector ecclesiæ, beneficiatus, administrator, et etiam patronus, nisi quis horum supplicationem pro alienatione obtinenda porrexerit, quia hoc casu per se esset in causa. Hoc rescriptum, ut cætera, vitio obreptionis, vel subreptionis obnoxium esse potest, et consequenter nullum ex hac causa reddi : nam voluntas Papæ alios defectus solemnitatis, ut jam innuimus, sanat, nòn causam, quæ si apponatur simul necessitatis. et utilitatis, Papa ad hanc solam postremam ita respicit, ut, ea subsistente, rescriptum valeat, licet cætera non subsistant. Ventriglia cit. loc. n. 32. — (2) Bul. *Cum in omnibus*, in qua decernitur, ut si Episcopus dictam suspensionem violaverit, ab irregularitate liberari non possit, nisi a S. Sede. Cæterum excommunicatio contracta a clerico minore propter solum factum alienationis non apparet reservata, dum expresse reservatur excommunicatio contracta ab eo, qui dolo, vel fraude alienationis decretum extorsit.

Hic illud præterea notamus, quod summus Pontifex alienationes bonorum ecclesiasticorum etiam sacrilegas ad religionis necessitati succurrendum, et ad fidelium conscientias tutandas quandoque clementer sanavit. Sic Pius VII, in conventione inita cum Napoleone I, Italicæ Reipublicæ Præside declarat, *eos, qui bona ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.* Conv. anni 1803, art. 16, ut in Bull. nov. tom. 12, pag. 61. Hoc ipsum prius declaraverat idem Pontifex in alia conventione cum eodem Napoleone primo Reipublicæ Gallicæ consule anno 1801, art. 13, ut in Bull. nov. tom. 11, pag. 175; ac demum confirmat in litteris datis Victorio Emmanueli Sardiniæ Regi anno 1816, 20 decemb. ut in eod. Bull. tom. 14, pag. 261; in quibus dispositio præcitati articuli 13 conventionis Gallicæ cum primo ejusdem nationis consule ad statum ejusdem Regis extendit.

TITULUS XXXIII.

DE PECULIO CLERICORUM.

SUMMARIUM : 717. Peculium quid significet? — 718. Quot generum sint bona clericorum? — 719. Quotuplex sit clericorum peculium? — 720. Quot generum sunt bona ecclesiastica? — 721. Quæ sustentationi necessaria, quæ superflua? — 722. Quæ industrialia? — 723. Quæ parcimonialia? — 724. Regulæ observandæ in assignatione fructuum beneficiorum? — 725. Reditus superflui quando et quomodo distribuendi? — 726. Quomodo dividendi inter antecessorem, et successorem? — 727. Quid sentiendum de inexactis?

717. Post datam rerum sive bonorum ecclesiasticorum enucleationem ad clericos sermo noster tantisper revertitur, qui fructus eorumdem bonorum colligunt, et in suo peculio condunt. Peculium sic dictum, quasi sit *pusilla pecunia* juxta Romanorum leges significat pecuniam, quam filius-familias a paternis rationibus separatam retinebat (1). Hoc ipsum nomen adoptavit Ecclesia ad illam pusillam pecuniam, aliamve rem denotandam, quam clericus habuit ab Ecclesia, vel fructibus bonorum ecclesiasticorum sibi comparavit, cujus, ut, servus, aut filius-familias, non est dominus absolutus, cum debeat, quod suæ superest honestæ sustentationi in pauperes erogare, aut Ecclesiæ restituere (2).

(1) L. 3, ff. de pecul. — (2) Tot. tit. de pecul. cler.

718. Clericorum tamen bona duorum generum esse possunt, nempe : *patrimonialia*, quæ in privato clerici patrimonio sunt, et *ecclesiastica*, quæ illi ab Ecclesia proveniunt. Idcirco bona patrimonialia sunt, quæ clericus ante clericatum habebat, quæ in eum deinde hæreditaria intestata, vel testata successione, aut donatione pervenerunt, quæque ipse tamquam civis ex contractu, vel fortuna, vel ex suo privato peculio assequutus

est. Quando tamen clerico testamento, vel donatione aliquid relinquitur, videndum est, an ei relictum sit contemplatione suæ personæ, vel contemplatione suæ ecclesiæ. Si enim verum sit primum, hæreditas, legatum, vel donatio inter bona patrimonialia clerici computantur, ita ut de his libere possit disponere; et sic res esse præsumitur, eum largitio a consanguineo, vel propinquo, vel amico provenit, quia ex prædilectione personæ id contigisse supponitur. Si autem secundum sit verum, bona relicta in Ecclesiæ dominium pertranseunt, et inter bona ecclesiastica computantur, de quibus clericus disponere nequit; et ita res esse præsumitur, cum largitio procedit ab extraneo, quia ex prædilectione Ecclesiæ provenire censetur (1).

(1) Cap. 9, 12 et 15, de testam. Illud hic præterea notandum, quod clericus de bonis acquisitis ex illicita negotiatione non potest per testamentum, vel donationem causa mortis disponere, licet hæc referantur ad temporale ejus patrimonium : quia ita constitutum est in pœnam peccati, et quod sic acquisitum est olim in morte adjiciebatur spolio Cameræ Apostolicæ : dicimus *in morte*, nam contractus de eisdem rebus inter vivos acti in foro externo validi habebantur. Soglia Inst. jur. priv. § 119, ubi citantur correspondentes bullæ Benedicti XIV, Clementis XIII et Pii IV.

719. Ex data divisione bonorum in patrimonialia et ecclesiastica sequitur, clericos duo posse habere peculia, unum nimirum *patrimoniale*, et aliud *ecclesiasticum*. De peculio patrimoniali nostrum non est agere : tum quia de eo non agit titulus Decretalium, *de peculio clericorum*; tum quia remanet sub dispositione juris civilis, salvis exceptionibus a jure canonico inductis (1). Peculium verum ad mentem sacrorum canonum acceptum nedum indicat illam pecuniam, quam penes se habet filius-familias, ut fert propria vocabuli significatio, sed omnem comprehendit pecuniam, et omnia bona, quæ clericus habet ab Ecclesia, ad cujus respectum semper consideratur ut filius-familias, quia bonorum sibi ab ea provenientium absolutus dominus numquam fit, ut ex dicendis manifeste apparebit.

(1) Juxta leges Romanorum peculium est quadruplex, nempe :

castrense, quod ex militia armata, vel ex castris militaribus; *quasi castrense*, quod ex militia togata, sive ex exercitio liberalium artium est jurisprudentiæ et medicinæ; *adventitium*, quod ex bonis maternæ successionis vel alterius personæ; et *profectitium*, quod ex bonis paternis, vel patris contemplatione acquisitis provenit, sive componitur. Jam vero peculium castrense, et quasi castrense pleno jure etiam ex modernis legibus civilibus pertinet ad filium; adventitium vero pertinet ad filium quoad proprietatem, et ad ejus patrem quoad usumfructum; denique profectitium tam quoad proprietatem, quam quoad usufructum ad patrem pertinet, quod verificatur in acquisitis per industriam filii sub directione patris, et in traditis filio a patre absque expressa dictorum jurium renunciatione. Ex jure canonico res eodem modo procedit in peculio castrensi, et quasi castrensi; in peculio vero adventitio Episcopi plenum jus habent independenter a patre, quia Episcopi per consecrationem a patria potestate solvuntur. Cap. 13, qui fil. sint legit; clerici autem inferiores in eodem peculio adventitio ex privilegio plenum jus similiter habent, si sit acquisitum post sacerdotium, si vero sit acquisitum ante sacerdotium, in eo pater suum usumfructum conservat, quia sacerdotium patriam potestatem non solvit, nisi in spiritualibus. Fagnanus ad cap. 3, de ætat. et qualit. etc., a n. 17, Card. Soglia Inst. jur. priv. § 119; demum in peculio profectitio idem dicendum videtur, ut de jure Romano, quia in profectitiis patriæ potestatis effectus conservantur etiam in sacerdote. Fagnanus cit. loc. n. 41.

720. Bona vero ecclesiastica clericorum sunt ut jam diximus, quæ illi ab Ecclesia proveniunt; sed inter hæc alia dicuntur *mere ecclesiastica*, alia *industrialia*, et alia *parsimonialia*. Mere ecclesiastica dicuntur, quæ ab Ecclesia, sive a beneficio ob beneficii ipsius titulum percipiuntur, cujusmodi sunt reditus ipsius beneficii, fructus annui, fructus naturales, quos ipsa natura fert, ut fœnum, lignum, castaneæ, fructus industriales, quos natura simul et hominum cultura producit, ut sunt segetes, vina, olea, et fructus civiles, quos occasione beneficii ratio civilis instituit, ut sunt pensiones ecclesiasticæ, pensiones domorum, et prædiorum urbanorum, vecturæ navium, et pecuniarum usuræ (1), ut sunt quoque fructus censuum, loca montium, et similia (2).

(1) Fagnanus in cap. 11, de restit. spoliat. a n. 18. — (2) De Luca de benef. disc. 100, n. 21.

721. Inter bona mere ecclesiastica alia sunt necessaria ad

sustentationem beneficiati, et alia superflua. Sustentatio comprehendit victum, vestitum, habitationem, et hospitalitatem ad normam sacrorum canonum non solum erga pauperes, et peregrinos, verum quoque erga alios extraneos etiam consanguineos, vel amicos juxta statum et conditionem beneficiati, ac regionis consuetudinem (1). Quæ ad hæc requiruntur dicuntur sententationi necessaria, reliqua vero superflua; sed hæc bonorum distinctio parum relevat, quæ potius a Doctoribus emergit, quam a jure : nam beneficiatus ex jure æque facit suos fructus, qui ad necessitatem pertinent, quam fructus, qui superflui appellantur; unde hæc distinctio solum prodest ad indicandum finem partialem, quia fructus superfluos tenetur beneficiatus juxta juris regulas in alios erogare.

(1) Hæc tamen liberalitas numquam potest extendi ad luxum, et ad ostentationem, vel superbiam : nam, ut aiebat S. Bernardus, in epist. 42, ad Henricum Sen. Archiep. *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt : nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, quiquid accedit vanitatibus vestris.*

722. Bona industrialia sunt, quæ clericus ex sua industria, ex ecclesiasticis functionibus sine beneficio, ex concionibus, ex Missarum elemosynis, ex administratione Sacramentorum, ex stipendiis funerum, ex officio Vicarii generalis, ex artificio, et doctrina sibi comparavit (1). Hæc quidem bona, quæ intuitu personæ clerico obveniunt communiter *quasi patrimonialia* appellantur (2).

(1) Cap. 12, de testam. — (2) Disputatur inter Doctores, an distributiones quotidianæ in canonicis, et jura stolæ in parochis accensenda sint bonis mere ecclesiasticis, vel industrialibus? Doctores recentiores communiter industrialibus accensent, quia dantur ut pretium, et stipendium laboris ; sed veteres non ita sentiebant, quia vere et proprie ex beneficio proveniunt. Reiffenstuel de pecul. cler. n. 4 et seqq.

723. Bona parcimonialia denique sunt, quæ resultant ex parcimoniis a clerico factis parcius vivendo, quam suus ferebat status. Clericus profecto, ut supra notavimus, ex bonis mere ecclesiasticis illam sibi adscribit partem, quæ est suæ

sustentationi necessaria. Jam vero si in hac parte parcius vivendo aliquid sibi reservet, quod juste poterat in sua sustentatione insumere, tale residuum ab bona parcimonialia pertinet, ut si honesta sustentatio secundum loci et personæ conditionem, ac gradum bis mille libellas annuas requirat, et clericus expendat tantum mille quingentas, aliæ quingentæ in parcimoniali peculio erunt.

724. In horum bonorum assignatione sequentes sunt regulæ observandæ. 1ª. Bona mere ecclesiastica propriæ sustentationi necessaria pleno jure ad beneficiatum spectant eodem modo ac si propria et patrimonialia forent : beneficium enim ideo principaliter tam a fundatore, quam ab Ecclesia beneficiato datur, ut dum servit altari, de altare vivat (1). 2ª. Bona mere ecclesiastica et propriæ sustentationi superflua ad beneficiatum spectant cum onere ea impendendi in pauperes, et in usus pios ; nam, detracta honesta beneficiati sustentatione, remanent Christi patrimonium, et pauperum, et ita sacri canones, et institutorum voluntates requirunt (2). 3ª. Bona demum industrialia, et parcimonialia pleno jure ad beneficiatum pertinent, cum illa indepedenter a beneficio clerico tradantur, ut merces laboris, qua nemo privandus est, et hæc ex titulo honestæ sustentationis jam sint clerico addicta (3). 4ª. Utensilia sacra Archiepiscorum et Episcoporum post eorum mortem spectant ad Ecclesiam Metropolitanam, vel Cathedralem ; et si Prælatus duas successive, vel simul unitas habuerit Ecclesias, proportionaliter dividenda sunt inter eas, nisi constet ex bonis propriis Prælati, vel ex bonis unius tantum Ecclesiæ fuisse comparata (4) : in dubio autem, an hæc fuerint acquisita ex bonis propriis Prælati, vel ex bonis ecclesiasticis, ex his bonis comparata præsumuntur (5).

(1) Cap. 16, de præbend. ubi Innocentius III mandat, *ut clerici vivere debeant de matrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur... dignum est, ut ecclesiæ stipendiis, in qua, et per quam divinis obsequiis adscribuntur.* Propterea sacri canones declarant, beneficiatos suos facere beneficiorum fructus, quibus, si non adimpleant beneficiorum onera, privandi sunt, et privantur ; at hæc privatio supponit, fructus saltem quoad honestam sustentationem ad beneficiatos pertinere. Trid. sess. 23, c. 1, et sess. 24, c. 12, de ref. — (2) Omnes Theologi, et canonistæ docent, beneficiatos sub gravis-

sima obligatione teneri superflua in pauperes, vel usus pios erogare. Unde S. Hieronymus illud beneficiato commemorat, quod *aliena rapere intelligitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur ;* et S. Bernardus sic acriter beneficiatum compellat : *Quidquid præter necessarium victum, et simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Gonzalez ad cap. 5, de pecul.; controversia tamen est inter Doctores, quam refert Benedictus XIV, de Synod. l. 7, c. 2, a n. 6, an talis obligatio oriatur ex justitia, vel tantum ex charitate : et in eo fundatur, quod quidam Doctores beneficiatos statuant fructuum superfluorum beneficiorum suorum tantum administratores ; dum alii dominos eos etiam constituant. Si enim sunt solum administratores ex justitia tenentur ad superfla eroganda, et ad restituenda veris dominis, id est pauperibus, piisve locis ; si vero sunt etiam domini, ad id non tenentur, nisi ex charitate, vel ex virtute religionis ; et quando ea bona in profanas causas insumant, graviter quidem peccant violantes legem Ecclesiæ, quæ superflua in pauperes, vel pios usus erogari mandat ; sed nulla ligantur restitutionis lege, quia rebus suis, et non alienis abutuntur. Nostra tamen persuasio est, beneficiatos ad erogationem et restitutionem teneri tam in prima quam in secunda hypothesi : nam etiamsi beneficiati habeant verum superfluorum dominium, adhuc ex lege Ecclesiæ, et ex prævia institutorum intentione, ac proinde ex justitia obligantur ad ea pauperibus, vel usibus piis eroganda, et iisdem restituenda, uti hæres, qui quidem dominus est, ad hæreditatis debita, et legata solvenda obligatur. Et profecto *parum interest*, ut ait Cardinalis Bellarminus, *utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, aut quia peccavit contra charitatem.* Benedictus XIV, cit. loc. — (3) S. de Ligorio lib. 3, a n. 490. — (4) Nuperrime enim Pius noster Papa IX, sancivit dictis ecclesiis deberi *mitras, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirotecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia ; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon Missæ ; item calices, palenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus, et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras, sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata : exceptis annulis, et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata.* Bul. *Quum illud* anni 1857. — (5) Ideo Prælati tenentur conficere inventarium omnium utensilium, in quo exprimatur quando acquisita fuerint, et an ex reditibus ecclesiæ sint comparata, vel non.

725. Cum reditus beneficiorum honestæ sustentationi superflui distribuendi sint, quæritur quando, et quo ordine hoc fieri debeat? Quoad primum respondemus, consultius esse id facere per assignationes in vita, quam per testamentum in morte: hoc enim secundo casu verendum est, ne remaneant confusi cum aliis bonis beneficiati propriis, de quibus poterat disponere. In vita quidem, si nulli sint pauperes in imminenti necessitate positi, beneficiatus ex superfluis potest prædia emere, vel thesaurum conflare pro necessitatibus futuris (1): in morte autem de iisdem testari debet in favorem pauperum, vel piorum locorum (2), et si nullum condat testamentum, vel condat cum dispositione eorumdem superfluorum bonorum in causas profanas, ex jure canonico Ecclesia succedit, exclusis hæredibus, et testamentum est irritum (3). Quoad secundum, scilicet quoad ordinem a beneficiato in superfluorum distributione servandum, observamus, primo beneficiatum licite posse a superfluorum cumulo ea detrahere, quæ forte prius de bonis propriis expendit, ut in beneficio viveret: nam cum jus habeat vivendi ex beneficio, non tenetur vivere de propriis bonis, et proinde potest se compensare (4); deinde respondemus bona superflua esse distribuenda: 1° pauperibus in gravi vel extrema necessitate temporali, vel spirituali constitutis, quos Episcopi, et Parochi debent perquirere, et ceteri beneficiati solum venientes excipere (5); 2° inter ipsos pauperes seligendos esse magis indigentes ex consanguineis (6), ex justis, ex erubescentibus, et senibus (7); 3° non extantibus pauperibus, superflua relinquenda esse ecclesiæ, a cujus beneficio fuerunt percepta (8), vel si hæc satis abundet, alteri pio loco, vel ecclesiæ magis indigenti (9).

(1) S. De Ligorio lib. 3, n. 491. — (2) Cap. 11, de testam. — (3) Tot. tit. de pecul. cler. et cap. 7 et 9, de testam. si tamen clericus plura habuerit beneficia in pluribus Ecclesiis, reditus superflui dividendi sunt favore ecclesiarum pro rata fructuum ab iisdem perceptorum; similiter si reditus clerici in morte relicti partim ex bonis propriis provenerint, partim ex bonis ecclesiasticis, justa proportione dividendi sunt inter ecclesiam, et clerici hæredes. Card. Soglia met. jur. priv. § 119. Attamen ex jure reditus præsumuntur ecclesiastici, quando clericus ante assumptionem ad beneficium nulla possidebat bona propria. Cap. 1, de pecul. cler. Nihilominus hoc

etiam casu beneficiatus juste sibi retinet ad vitam, et fruitur meliorramentis factis in beneficio, ut si in eo agellum, vel vineolam construxerit ad suam sustentationem, etiamsi postea beneficio renunciaverit. Cap. 5, de pecul. cler. Hæc sane ita procedunt ad juris canonici præscriptum; sed hodie in foro externo nullus clericus contradictionem patitur, si de reditibus ab Ecclesia acquisitis disponat inter vivos, vel causa mortis etiam ad profanas causas: immo hi contractus, et testamenta in externo foro executionem ex consuetudine consequuntur, quod ab Ecclesia toleratur, tum ad vitandas lites cum hæredibus ob difficultatem discernendi in clerici hæreditate reditus ecclesiasticos a patrimonialibus; tum quia accurate dignosci nequit, an beneficiatus in vita sua reditus ecclesiasticos recte ad normam sacrorum canonum insumpserit. Unde Ecclesia in his difficultatibus, et pro foro externo negotium conscientiæ beneficiati remittit; sed videat ipse, et attente consideret, an ex reditibus sibi superfluis ad pauperes et Ecclesiam ea perveniant, quæ sua sunt; aliter coram Deo posset esse fur, et latro, licet ab hominibus nullam habeat contradictionem. Giraldus ad cap. 26, de testam. et Card. Soglia loc. cit. — (4) S. De Ligorio l. 3, n. 491. — (5) Id. S. De Ligorio ib. Hæc adeo vera sunt, ut ad pauperes sublevandos ipsæ causæ piæ debeant concurrere can. 70 et 71, c. 12 q. 2. Reiffenstuel ad hoc refert locum epistolæ Isidori Pelusiotæ ad episcopum Eusebium, in qua sic eum reprehendit: *Aiunt te ecclesiam Pelusii ædificare arte, atque operé quidem pulcherrimo, sed iniquis rationibus, perque summam injuriam, ac magno pauperum malo, quorum impensis opus facis; quod profecto nihil aliud est, nisi Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitatibus ædificare.* De pecul. cler. n. 66. — (6) Consanguinei et familiares vere pauperes possunt præferri aliis pauperibus etiam gravius egentibus. S. De Ligorio cit. loc. Nam *Dei traditio est*, aiebat S. Ambrosius, *ut prius pascas parentes.* Can. 20, dist. 86. Hi enim ad misericordiam duplicem habent titulum, paupertatis, et sanguinis, vel familiaritatis; sed caute vitandus est scopulus, in quem multi impingunt, ne scilicet consanguineos, et familiares reditibus augeant contra decretum Tridentini in sess. 25, cap. 1, de ref. quia ex hoc fonte ortus est exitiosissimus *nepotismus*, studium scilicet augendi nepotes, circa quod sæpissime beneficiati cæci sunt, ut repetebat Barbosa; unde in vulgus illud diffamatum est, nepotes esse presbyterorum filios. — (7) Quod justi et timorati, cæteris paribus, præferendi sint improbis docet S. Ambrosius dicens: *Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domesticos fidei... nam etsi omnibus debeatur misericordia, tamen justo amplius.* Can. 14, dist. 86, qui similiter docet, senes, et verecundos, ob conditionem vel naturam emendicare erubescentes esse aliis præferendos, dum scribit: *Consideranda est etiam in largiendo ætas, atque debilitas, nonnumquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris.* Can. 17, dist. 86. An autem indigenæ, et cives sint cæteris

præferendi communiter negatur, quia jus præcipiens superfluorum distributionem in pauperes non distinguit inter cives et exteros; sed congruentius videtur indigenas exteris præferre, quia canon 31, causæ 12, quæstione 2, sancivit, distinctionem esse faciendam inter pauperes, et advenas; et quia in superfluis relictis sola succedit ecclesia beneficii; et demum quia fundatorum voluntas ea esse videtur, ut superflua ecclesiam, et cum ea ejus præsertim pauperes sequantur. — (8) Cap. 3 et 5, de pecul. cler. et cap. 7, de testam. — (9) Reiffenstuel de pecul. n. 75.

726. Si vero beneficiatus mori contingat, vel beneficio renunciet, facit suos omnes fructus naturales, et industriales, quos collegit, a solo separavit, et cum reliquo suo patrimonio commiscuit, dum pendentes et in solo extantes ad Ecclesiam, vel successorem pertinent, licet jam sint maturi; fructus vero civiles suos facit usque ad diem mortis, vel dimissionis beneficii, quia lex fingit, hujusmodi fructus singulis diebus, et momentis percipi. Hoc definivit Alexander III archiepiscopo Cantauriensi scribens, eum debere fructus ecclesiarum vacantium, *aut in utilitatem Ecclesiarum expendere*, *aut futuris personis fideliter reservare* (1). Hoc ipsum confirmavit S. Congregatio Concilii, quæ in una *Fabrianen.* 19 decemb. 1801, declaravit, fructus beneficii inter resignantem et resignatarium esse dividendos pro rata temporis (2).

(1) Cap. 4, de offic. jud. Ord. cap. 9, eod. in 6, et cap. 40, de elect. in 6. — (2) Richter ad sess. 21, c. 2, de ref. n. 9.

727. Sed dubitatio oritur, an fructus inexacti ad hæredes beneficiati, vel ad successorem in beneficio pertineant? Pro successore quippe facit sententia Alexandri III, qui bona omnia intuitu Ecclesiæ acquisita, et ab antecessore relicta adjudicat Ecclesiæ, vel successori, non beneficiati hæredibus (1), et sententia Julii III qui fructus inexactos quorumcumque beneficiorum ad successorem in beneficio, non ad ejus hæredes declarat pertinere: quia quoadusque non sunt cum beneficiati patrimonio incorporati, fructuum ecclesiasticorum naturam servant (2). Pro hac sententia adest etiam ratio, quia fructus, quos suo tempore beneficiatus non exegit, tamquam suæ sustentationi superflui, tacite remissi, et successori relicti videntur, ut

juxta sacrorum canonum dispositionem pro suis necessitatibus vel in pauperum levamen a novo beneficiato insumantur. Pro hæredibus vero beneficiati militat dispositio Concilii provincialis Mediolanensis VII, in quo hæc leguntur : *Fructus omnes a solo separatos, etiamsi nondum exacti fuerint, aut reconditi, modo illos beneficiati hæredes priusquam maturati essent in successoris præjudicium a solo minime separaverint, et parte colonica dumtaxat excepta, hæredibus ipsis; pendentes autem successoribus in beneficio, excepta item parte colonica, adjudicamus; quod si fructus omnes, cum beneficiatus obiit a solo separati fuerint, omnes quidem hæredum sint; hi tamen oneribus beneficii satisfacient* (3). Militat similiter decisio S. Congregationis Concilii, in qua declaratum fuit, fructus, quos quidam canonicus Moguntinus vivens non potuerat exigere, post ejus mortem non Capitulo Ecclesiæ, sed canonici hæredibus esse attribuendos (4). Illud etiam accedit, quod beneficium datur propter officium, cujus vi beneficiatus fructus suos facit; ex quo sequitur, eum, vel ut dominus, vel ut mercenarius fructus inexactos ad hæredes suos transmittere (5).

In praxi putamus hujus dubitationis solutionem a consuetudine regionum, et a prudentis judicis arbitrio petendam esse. Consuetudo profecto specialis locorum hac in re magnam habet vim, cum juri non adversatur. Propterea Sacra Congregatio Concilii mandavit servandam esse Capituli Gradicensis consuetudinem dividendi fructus antiquatos, vel restitutos inter canonicos præsentes (6); item decrevit servandam esse Poloniæ consuetudinem, per quam fructus vacantium episcopatuum per quatuor menses attribuuntur successori in episcopatu, et reliqui Fabricæ Ecclesiæ (7). Arbitrium pariter prudentis judicis magni æstimandum est, ut damna reparentur, et justitia secundum circumstantias servetur. Ideo ex reditibus etiam inexactis succurrendum est hæredibus, vel ipsi beneficiato ad solvenda debita, quæ in beneficio contraxit (8), et ad habendum justam indemnitatem, si per notabile tempus beneficio servitium exhibuisset, nullosque percepisset fructus, quorum dies forte venit tantum in fine anni. Justitia enim non patitur, ut qui per primos undecim ex. gr. anni menses beneficio servivit, deque suo privato patrimonio vixit, adveniente

sub anni finem retributionis tempore, nihil de fructibus habeat, quos solus percipiat successor, qui ad breve tempus beneficio servivit, cum Tridentinum concilium congruam ex fructibus beneficii etiam temporario œconomo jubeat esse assignandam (9).

Quæ hucusque de inexactis beneficiorum fructibus exposuimus ad distributiones quotidianas, et ad emolumenta incerta ex. gr. anniversariorum, exequiarum, ex omnium Doctorum, et Tribunalium sententia non extenduntur. Hujusmodi profecto distributiones sive exactæ, sive inexactæ ad eum pertinent, qui personale servitium exhibuit, aut ad ejus hæredem : nam vere non sunt fructus, aut emolumentum beneficii, sed purum præmium operis, aut pura merces laboris, nisi sint in locum præbendæ substitutæ (10).

(1) Cap. 12, de testam. — (1) Bul. *Cum sicut nobis.* — (3) Tit. de fruct. eccl. § *Si vero.* — (4) Thesaur. resol. tom. 2, pag. 311. Huc etiam pertinet jam citata resolutio S. Congregationis Concilii in *Fabrianen.* de fructibus dividendis pro rata temporis inter resignantem, et resignatarium. — (5) Dignus est enim operarius mercede sua, et qui acquirit, sibi et hæredibus suis acquirit. — (6) Thesaur. resol. tom. 30, pag. 268. — (7) Richter ad sess. 7, c. 2, n. 1. Item in diœcesi Januensi ex antiqua consuetudine fructus inexacti cujuscumque generis non parochi prædefuncti hæredibus, sed successori in beneficio adjudicantur, ut fert attestatio curiæ ejusdem diœcesis, quæ inserta reperitur in sententia supremi senatus in collectione facta a jur^to^ Gervasoni sub anni 1827 die 2 jun. pag. 382. — (8) Videnda allegatio in causa Spirensis canonicatus § *Affirmat* prout in Thesauro resolutionum S. Congregationis Concilii tom. 28, pag. 28, pag. 162, et cit. concilium Mediolanense l. c. — (9) Similiter non videtur fructibus inexactis privandus beneficiatus, qui in vita litem movit, ut fructus in quæstione obtineret juxta jam citatam decisionem S. Congregationis in *Mioguntina.* Quoad parochias vero, et alia beneficia residentialia hæc disposuit citatum concilium provinciale Mediolanense VII, tit. de fruct. benef. « Si parochialis ecclesia sit, « vel beneficium requirat residentiam personalem, successori eam « partem relinquere (hæredes) tenebuntur, quæ Ordinarii arbitrio « definienda ad ipsius victum, et reliqua onera sustinenda usque ad « novos fructus sufficiat, habita temporis, et quantitatis annui redi- « tus ratione. » — (10) De Luca in annot. ad Trid. disc. 15, n. 14.

LIBER TERTIUS.

TITULUS I.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM: 728. Ratio judiciorum. — 729. Ecclesia potestatem habet judicandi. — 730. Potestatem coercendi pœnis spiritualibus, et temporalibus. — 731. Definitio judicii. — 732. Personæ judicio intervenientes. — 733. Controversia quotuplex, et quomodo causa distinguatur a lite, ab actione, et ab instantia? — 734. Qui sint actus ad judicium pertinentes? — 735. Quid sint judiciorum solemnitates, et quotuplices? — 736. Quomodo judicium quoad materiam dividatur? — 737. Quomodo componatur possessorium competitorio? — 738. Quomodo judicium dividatur quoad formam?

728. Binos præmissos libros *de personis* et *de rebus* nectit ac complet hic tertius *de judiciis*. Res profecto in genere fuerunt conditæ pro personis; sed in specie per occupationem, aliumve legitimum titulum, personæ ita quasdam sibi devinxerunt res, ut cæteris nefas esset eas invadere. Hinc ortum est illud *Meum* et *Tuum*, quod quisque potest propria auctoritate sibi habere; sed non potest violatum sibi propria auctoritate vindicare, neque de violatore pœnam sumere : nam requiritur ad hoc publica persona prædita jurisdictione, sive illa coactiva potestate, qua societas regitur, et justum cuique per legitimorum judiciorum vim, et auctoritatem tribuitur.

729. Hanc jurisdictionem, sive potestatem Ecclesiæ Catholicæ competere nemo inficiabitur umquam, qui recte sapiat. Satis enim clare loquuntur sacrarum Scripturarum documenta, quæ aperte demonstrant ab Adam usque ad Moysem solos summos sacerdotes a Deo constitutos utramque summam habuisse potestatem religiosam, et politicam, et utrumque judicium in

spiritualibus, et temporalibus. « In lege naturæ, ait Pater Al-
« varez, et in lege Moysis in summis Sacerdotibus fuit apex
« utriusque auctoritatis : igitur multo magis in summis Sacer-
« dotibus sub lege Christi (1). » Hanc veritatem D. Paulus plu-
ribus in locis prædicat : *Adversus presbyterum*, ait ipse, *accu-
sationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus* (2);
et alibi : *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?...
Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcula-
ria* (3)? Unde minatur Corinthiis se habere in promptu ulcisci
omnem inobedientiam ex potestate, quam dedit illi Dominus (4).
Constat præterea ex traditione, historia usuque perpetuo, ab
exordiis suis ad hæc usque tempora Ecclesiam per pastores
suos de personis et rebus suis judicia exercuisse nedum pro
foro interno, sed et pro externo (5). Neque aliter res se habere
potest, cum ipsa Ecclesia sit hominum societas a civili socie-
tate distincta ob diversitatem objectorum, mediorum, et finis,
cumque habeat ex jure divino proprium summum Principem,
propriosque magistratus legislativa, et executiva potestate or-
natos, ut facile patet ex demonstratis in primo superiore libro.
Ad quid sane essent constitutæ ecclesiasticæ leges, si possent
impune violari? Necesse itaque est, Ecclesiam judiciariam ha-
bere potestatem pro rebus et personis suis, quam eidem non
denegant civiles Romanorum leges (6).

(1) Ita abunde probat auctor Analect. juris Pontificii in ser. 8, pag. 405 et seqq. qui memorat, Hæbræos solum post 400 annos a Moyse petiisse sibi primum regem dari more gentium infidelium, quod non solum Samueli displicuit, sed et ipsi Deo, qui alloquens Samuelem dixit : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* I Reg. cap. 7. Electus autem est primus Rex Saul, qui propterea regno privatus postea fuit, quia sacrificium offerre præsumpsit. Ib. cap. 13, sive jura Pontificis sibi usurpavit : non enim reges sanctas attingere res absque divina indignatione queunt, qui judicium sæculi habent, ut aiebat S. Ambrosius, non judicium Ecclesiæ, qui terrena, et sæcularia, non spiritualia, et ecclesiastica dijudicare possunt. Ideo judicium Pontificum nobilius, et independens a Regibus, quia illud a potestate a Deo data provenit, hoc autem a potestate hominum, qui sibi in tempore Regem constituunt. — (2) Ad Timoth. I, c. 5. — (3) Ibid, c. 6. — (4) Ad Timoth. II, c. 10. — (5) Devoti Inst. Can. l. 1, t. 1, et Bouix de judic. eccl. tom. 1, sect. 2, c. 3. — (6) Tot. tit. eod. de episc. audient.

730. Hæc Ecclesiæ judicandi potestas coercitionem comprehendit : nam foret inutile judicium, si judex vim non haberet judicatum exequendi. Judex autem ecclesiasticus judicatum suum exequitur decernendo pœnas nedum spirituales, sed etiam temporales, et corporales ; spirituales quidem, ut est excommunicatio, suspensio, interdictum, inhabilitas ad ordines et officia, depositio, et degradatio (1) ; temporales etiam, ut sunt mulctæ (2), privationes, subtractiones fructuum ; et corporales quoque, ut sunt jejunia, et alii pœnitentiæ actus (3), verbera (4), carceres (5), et exilium (6). Ultra non progreditur Ecclesia, neque mutilationem, aut pœnam sanguinis umquam protulit, quia Christi servans lenitatem ita semper abhorruit a sanguine, ut non sinat, eum ad altaris ministerium recipi, qui quocumque modo manus sanguine maculatas habeat. Sed cum fidelis in profundum iniquitatis dilapsus est, eum derelinquit, et in laicæ potestatis manus tradit (7).

(1) Hoc intelligitur pro ea parte, qua dictæ pœnæ privant jure ecclesiastica ministeria exercendi ; nam pro alia parte, qua fideles bonis temporalibus privantur, aut ex catholicorum familia, vel de eorum gradu dejiciuntur, temporales etiam sunt. — (2) Mulctas pecuniarias potest judex ecclesiasticus imponere. A primis enim Ecclesiæ temporibus, et deinceps usque ad hæc tempora reperimus fuisse mulctas impositas, et hoc jus probavit Tridentinum ita statuens : *Liceat* (Episcopis), *si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ piis locis ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignantur... procedere, et causas definire.* Sess. 25, c. 3, de ref. Mulctæ tradendæ sunt mulctarum depositario, et in citatum usum citissime expendendæ ; neque Capitulum, neque Vicarius, neque judex quicumque, neque ipse Episcopus potest eas sibi adscribere, nisi hic ultimus tantum propter veram necessitatem temporarium habeat a S. Sede indultum. Benedictus XIV de Synod. l. 10, c. 9 et 10. Devoti loc. cit. l. 4, t. 17. Quando autem possit judex pœnam pecuniariam imponere notat Glossa in cap. 3, de pœn. his verbis : « Cum jus statuit pœnam pecuniariam infligendam, quicumque cognoscit de crimine illam potest infligere... ; si vero jus solam pœnam spiritualem, vel corporalem super crimine statuit, judex non potest, nec debet illam in aliam commutare... et cum de pœna criminis nihil de jure cautum est, an pecuniariam, vel aliam infligat judicis arbitrio committitur. Cum judex super crimine dispensare potest, bene potest infligere pœnam pecuniariam vel aliam. » — (3) Habemus hujus rei exem-

plum in canonibus pœnitentialibus, et in Concilio Remensi anni 9
in quo ad longum jejunium damnati fuerunt milites, qui in bello i
justo militaverant. Benedictus XIV de Synod. l. 10, c. 9, n. 1.
praxi vero dicti actus pœnitentiæ solent præscribi contra deli
quentes clericos in exercitiis spiritualibus in aliqua religiosa do
peragendis. — (4) Posse judices punire reos verberibus clare
monstrant plura juris, et historiæ loca. Revera S. Gregorius III d
claravit S. Augustino, quem tamquam Apostolum miserat in A
gliam, eum posse fures verberibus corrigere. Can. 11, c. 12, q.
modo id non faciat manibus suis. Can. 25, dist. 86; et modo id n
faciat, ut timeatur, sicut idem Pontifex scribit Episcopo Constan
nopolitano. Can. 1, dist. 45. Insuper concilium Agathense edixit,
Monachi, quos verborum increpatio non emendaverit, possent etia
verberibus coerceri. Can. 3, c. 20, q. 4. Demum S. Augustinus
Marcellinum modum coercitionis per virgarum verbera probat, qui,
ipse fatetur, *a magistris artium liberalium, ab ipsis parentibus, sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Can. 1, c. 23. q.
Id ipsum probatur ab historia; nam verberationis pœna utebat
S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, ut patet ex ejus actis a suo dis
pulo Cypriano conscriptis, utebantur Regularium Institutores, ut
regula S. Isidori Hispalensis, S. Macarii, et S. Benedicti. Dev
Inst. Can. l. 4, t. 17, § 2, in not. Hæc pœna in Ecclesia adhibeb
tur, cum etiam in tribunalibus laicorum in usu erat: nunc dimis
et absoleta facta est. — (5) Ecclesia olim pro carceribus habel
Decanicas, vel *Diaconicas*, id est loca conclusa, in quibus clerici i
morigeri, veluti in carcere asservabantur. Devoti l. 3, t. 1, § 21,
not. Gonzalez ad cap. 27 de verb. signif. Inde in monasterium l
carceris clerici criminosi detrudebantur. Conc. Agathense can.
apud Labeum tom. 5. Posteriore autem ætate Episcopi vincula,
ve carceres proprios habere cœperunt; unde Clemens III Episc
Parisiensi scripsit: *Pro illo falsario clerico scelerato, quem ad m
datum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut e
in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includas pane
loris, et aqua angustiæ sustentandum.* Cap. 27, de verb. signif.
S. Congregatio Episcoporum pluries modum, et locum carcerum
finivit. Pellegrinus in Pract. crim. part. 4, sect. 8, n. 37. — (6) G
zalez ad cap. 1, de calum. n. 14. Can. 9, c. 3, q. 4 et can. 3, q
et cap. 3, de crim. fals. — (7) Cap. 27, de verb. signif. et Trid. s
13, c. 4, de ref.

731. Judicium sic appellatum, quasi sit *jus dictum* duo p
cipue significat, nempe: sententiam a judice latam, et met
dum ferendæ sententiæ, quæ a pragmaticis juris civilis *Pr
dura* vocatur. Nos, seposita ad alium titulum primæ signifi
tionis explicatione, hic de secunda tantum agimus. Judici

utem pro methodo ferendæ sententiæ acceptum nihil est liud, quam processus judicialis, et potest definiri : *Legitima isceptatio controversiæ inter actorem, et reum coram judice ompetente causa litis finiendæ aut malefici puniendi suscepta.* rima hujus definitionis verba demonstrant, modum procedendi in causis non esse judici, aut partibus arbitrarium, sed a egibus statutum ; cætera vero demonstrant personas in quolibet judicio necessarias, et insimul objectum, finemque judicii n causa civili, aut criminali (1). Quare in quolibet judicio duo præcipue possunt considerari, nempe materia, et forma : ad nateriam pertinent personæ, et controversia ; ad formam perinent actus, et solemnitates a legibus statutæ.

(1) Monemus tamen interdum has personas non esse vere in judicio, sed tantum per quamdam earum repræsentationem. Si in inquisitione generali fama, quæ præcedit, habetur loco actoris et in inquisitione speciali notorietas delicti vices supplet accusatoris, ut ex ure probat Pellegrinus in Pract. civ. præmis. 1.

732. Personæ, quæ necessario debent ad judicium concurrere unt : *judex*, *auctor*, *reus ;* quæ vero solent præterea adhiberi, unt plures aliæ, ut ex parte judicis : *assessores, auditores, pronotores*, sive *procuratores fiscales*, *cancellarii*, sive *notarii* ive *secretarii*, *cursores*, et *executores ;* ex parte vero actoris et ei : *advocati*, *procuratores* et *testes*.

733. Controversia, sive quæstio, quæ in judicio proponitur, luplex esse potest, *juris* nimirum, aut *facti*, prout de jure, aut le facto quæritur, quæ in judicium deducta *causa* appellatur. Causa tamen distinguitur a *lite*, quæ tantum post contestatas n judicio diversas partium opiniones oritur ; distinguitur ab *ctione*, quæ nihil aliud est, quam jus persequendi in judicio, uod nobis debetur; et distinguitur ab *instantia*, quæ nihil liud est, quam excitatio judicii per litis contestationem facta, t usque ad sententiam perseverans, ita ut, si appelletur, nova nascatur instantia, quæ secunda vocatur. Prima instantia diitur perpetua, id est durat ad 30 annos, licet concilium Trientinum jubeat intra biennium causas terminari, quod in raxi accipitur uti consilium, non uti præceptum (1) ; secunda

instantia durat ad biennium, ita ut primus annus detur ad cau sam committendam, secundus ad eam terminandam : at judex ex justa causa majorem sæpe concedit dilationem (2).

(1) Trid. sess. 24, c. 20, de ref. De Luca in annot. ad cit. cap. n 28. Ratio est, quia postquam Concilium edixerat, ut causæ *saltem infra biennium a die motæ litis terminentur*, statim subjunxit, *ut post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, in quo fuerit, assumant, et quam primum terminari curent.* Hinc apparet Concilium non statuisse hoc tempus peremptorium, cum post hoc tempus liceat adhuc judices superiores adire : quod si partes non fecerint, ut causa quam primum terminetur, debent sibi imputare, si usque ad annos 30, instantia perseveret, uti est praxis Rotæ Romanæ. Duo tamen sunt casus, in quibus instantia, etiam prima prius perimitur. Unus est, si accesserit sententia litem desertam declarans ; aliter est, si elapsum sit decennium, simulque indubie constet de malo jure ejus, qui litem instituit. Giraldus ad cap. 20 de judic.

734. Actus, qui ad judicium pertinent, sunt actoris petitio, negatio rei, probatio actionis, sive judicis instructio, sententia, et ejus executio, ac generaliter illi omnes actus, qui ex legis dispositione debent in judicio ab actoris petitione usque ad sententiæ executionem fieri. Idcirco hujusmodi actus appellantur *judiciales*, ut ab *extrajudicialibus* secernantur, qui fiunt extra judicium, licet habeant judicis, aut alterius publici ministri assistentiam, et quamdam extrajudicialem constituant proceduram.

735. Solemnitates denique sunt illæ cautelæ, sive regulæ a jure sancitæ pro recto judiciorum ordine, ut breviori, quo fieri potest, tempore, et minoribus expensis judex ad veritatis et justitiæ cognitionem deveniat, et liti finis imponatur, quarum aliæ ita sunt essentiales, ut omissæ proceduram vitiosam, nullam, ac frustatoriam; aliæ vero essentiales non sunt, et omissæ proceduram non vitiant (1).

(1) Primus, qui fecit judicium in terris, fuit Deus in paradiso terrestri, cum ob originale peccatum, ipso accusante scelere, Adam, et Evam citavit, eorum defensionem audivit, et gravissimam sententiam protulit. Gen. c. 3. Pellegrinus in sum. præm. n. 1. Deus pariter per jus naturale substantiales judiciorum formas præstituit,

quæ in eo consistunt, quod judex actoris petitionem, reique defensionem audiat, quod dilationes ad probandum et respondendum necessarias concedat, quod de causa cognoscat, sententiamque ferat. At formæ judiciorum legitimæ, sive solemnes a jure positivo fuerunt constitutæ, in quo præcellit jus canonicum, quod primum telam judiciariam in secundo Decretalium libro contexuit, a qua deinde quæcumque civilis procedura deducta fuit, ut uno omnes testantur Doctores, et specialiter Fleury in suis Inst. jur. eccl. p. 3, c. 6, his verbis « Omnis procedura curiarum sæcularium a canoni- « stis deducitur, et qui voluerit eam studiose addiscere, ejusdem « origines debet in Decretalibus perquirere. » Simili modo suam aperit sententiam nuperrimus Gallicanæ civilis proceduræ explanator Carré in introd. l. 1, t. 2, n. 15, ubi ait, « præcipuos proceduræ « fontes in regulis ecclesiasticis esse, quæ possunt juste considerari « tamquam complexio elementorum, quæ ingenium et ratio inde in « legibus, et procedura evolverunt. » Et sane a jure canonico civilem, et criminalem proceduram deprompsit Italia, quam summus Pontifex Clemens V, transvexit Avenionem in Galliam, a qua hujus sæculi initio, quod dederat, debuit reformatum accipere in Gallicanis codicibus de procedura civili, et instructione criminali, qui, ut omnes norunt, parum mutati in Italia in foro civili etiamnunc observantur. Insuper procedura canonica nedum in totam Italiam schola Bononiensis perduxit, sed in mundum universum. Legislatores profecto diversarum nationum ab ea substantialia judiciorum desumpserunt, quæ propriis moribus, et necessitatibus accommodarunt; sed meritum inventionis, et perfectionis nemo juste potest Ecclesiæ negare.

736. Judicium multis modis dividitur: et primo quidem quoad materiam in *ecclesiasticum*, quod coram judice ecclesiastico, et circa personas, resque ecclesiasticas versatur, et *sæculare*, quod coram judice laico, et circa personas, resque sæculares exercetur; in *civile*, in quo causa civilis, et *criminale*, in quo criminalis causa vertitur. Causa civilis ea dicitur, ubi principaliter agitur ad commodum privatum, sive actio proveniat ex contractu, sive ex delicto; criminalis vero, ubi principaliter agitur ad publicam vindictam, cum actio ex delicto descendit. Hinc si ex delicto pœna pecuniaria, aut interesse in favorem actoris petatur, causa est civilis; si vero pœna afflictiva corporis ad publicam vindictam, aut etiam pœna pecuniaria in favorem fisci reo imponatur, causa est criminalis. Illud tamen potest evenire, quod judicium ex civili, et criminali mixtum sit, ut cum ad vindictam, ac simul ad privatum commodum

accusatio proponitur. Insuper judicium civile dividitur in *personale* et *reale,* in *simplex* et *duplex,* in *possessorium* et *petitorium.* Personale est, quod in personam; et reale, quod in rem principaliter instituitur. Simplex dicitur, ubi unus actoris, et alius rei personam sustinet; et duplex, ubi uterque simul actoris, et rei personam gerit, uti in judiciis divisoriis. Possessorium demum vocatur, in quo de possessione, aut quasi possessione adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda disputatur; petitorium vero, in quo de dominio, et proprietate, aut quocumque jure in re lis movetur. Similiter judicium criminale subdivitur in *capitale*, et *non capitale;* illud intendit in mortem, hoc vero in pœnam tantum corporis afflictivam.

737. Circa petitorium, et possessorium judicium illud hic adnotamus, quod utrumque in eadem instantia, et coram eodem judice regulariter potest proponi, et cumulari, unaque sententia terminari (1). At si partes de possessorio contendant, quod facilioris est probationis, prius de hoc ferenda est sententia (2), qua pronunciata, victus potest adhuc in petitorio agere : non enim repugnat, victum in causa possessionis posse vincere in causa proprietatis, cum quis possit esse dominus, licet non sit possessor. Sed ex adverso non licet victo in petitorio ad possessorium regredi, quia petitorium absorbet in se possessorium; neque licet actori post conclusionem in causa a petitorio ad possessorium declinare, quamquam liceat ante conclusionem, quia per eam litigantium manus ligantur, et clauditur os, nisi judex aliud decernat (3).

(1) Cap. 1, 4 et 6, de caus. posses. et propr. — (2) Cap. 2, eod. — (3) Cap. 5, eod.

738. Deinde quoad formam judicium dividitur : in *ordinarium,* et *summarium.* Ordinarium, sive solemne appellatur illud, in quo omnes judiciorum solemnitates a legibus positivis præscriptæ sunt observandæ ; summarium vero appellatur illud, in quo tantum substantiales formæ a jure naturali præscriptæ observantur, et de plano, ac sine strepitu, vel figura judicii, ut dicunt, proceditur; de quo videndus est infra titulus de judiciis summariis.

TITULUS II.

DE JUDICIBUS.

SUMMARIUM : 739. Quis sit judex ? — 740. Imperium in quo consistat ? — 741. Quotuplex sit jurisdictio ? — 742. Quot sint judicum species? — 743. Quomodo judex ordinarius, et delegatus queant jurisdictionem suam delegare? — 744. Quas ob causas queat uterque tamquam suspectus recusari? — 745. Quomodo recusatio sit proponenda ? — 746. Quid observandum, quando delegatio pluribus facta fuit ? — 747. Quot modis cesset officium delegati? — 748. Quis, et quotuplex sit arbiter? — 749. Quæ sit arbitrorum potestas ?

739. Judex ita vocatus quasi *jus dicens* potest definiri, *persona legitima, et vir bonus juris et æqui peritus de negotiis, et controversiis litigatorum cognoscendi, et decidendi potestate præditus.* Dicitur *persona legitima* quia debet esse persona a legibus probata : non enim omnes queunt judicis officio defungi : prohibentur sane infames (1), excommunicati vitandi (2), minores annis XVIII (3), laici in causa spirituali (4), et regulariter fœminæ (5). Dicitur *vir bonus,* id est prudens, ne nimia notetur severitate aut clementia, constans, ne scelerum turpitudine, aut calamitosorum lacrimis moveatur, et incorruptus, ne odio, aut amicitia, aut muneribus judicium ferat (6). Dicitur denique *cognoscendi et decidendi potestate præditus*, sub qua continentur *imperium* et *jurisdictio* (7).

(1) Can. 1, c. 3, q. 7. — (2) Cap. 24, de re judic. — (3) Cap. 41. de offic. deleg. — (4) Cap. 2, de judic. Novissime S. Congregatio Immunitatis die 3 octobr. 1832, auctorante summo Pontifice, definivit, neminem laicum, vel clericum conjugatum, posse processus criminales contra clericos construere sub nullitatis pœna, licet id fiat solum usque ad sententiam, nec etiam posse testes examinari a cancellario laico ; quod si fiat prætextu cujuscumque consuetudinis nullum declaratur, et solum remedium, quod restat, est recursus ad summum Pontificem pro sanatione processus, et pro absolutione a censuris.

— (5) Can. 17, cap. 33, q. 5. — (6) Etiam judices collegiales viri boni esse debent, quia judicis officium, et potestatem exercent. Hoc sæculo in aliquibus Episcopis desiderium excitatum fuit proprias componendi curias ad exemplum majorum tribunalium sæcularium, quæ collegio plurium judicum constant, et S. Sedes provisiones hujusmodi non semel probavit, aut ipsa constituit, ut in Ordinatione organica anni 1831, pro statu Romano, et concordato cum Austriæ Imperatore anni 1855. Verum in hoc novo rerum ordine, licet detur major conformitas inter sæcularia, et ecclesiastica tribunalia, non multam perspicimus utilitatem : nam quo augetur intelligentia, eo forte diligentia imminuitur, cum nemo sit absolute responsabilis, et evanescere videatur actio judicis rem suam facientis. Insuper verendum forte est, ne hujusmodi tribunalia Episcopi potestatem, et libertatem restringant, cum facile sit invisum mutare Vicarium. sed difficile mutare tribunal collegiatum. Anal. jur. Pont. ser. 7, pag. 443.— (7) Hic observamus triplicis esse generis oblationes, quæ judici fiunt, scilicet : *stipendium*, *expensæ* et *munera*. Stipendium licite datur, et accipitur, immo ex justitia debetur, quia nemo cogendus est impensis propriis militari ; si tamen judex beneficium ecclesiasticum habeat, cui sit adnexa jurisdictio, ipsum beneficium stipendii locum tenere Doctores tradunt. Expensæ pariter moderatæ, quas judex facere coactus est, ut si oporteret pro visitatione rei aliquod iter suscipere, aut curiæ familiam alio transferre, licite dantur, et accipiuntur, quia judici debentur. Munera vero ex jure numquam licite dantur, et accipiuntur, quia excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum, Deuter. 16 ; unde qui ea acceptat videtur justitiam vendere. Can. 66, c. 11, q. 3. Sportulæ demum, sive propinæ, quæ consistunt in taxata cibi, vel pecuniæ quantitate pro actibus judicialibus et sententiis, ex jure recipi nequeunt a judice habente stipendium, sive beneficium. Cap. 10. de vit. et honest. cler. cap. 11, de rescript. in 6. Pellegrinus in pract. crim. part. 4, sect. 16, n. 11 ; sed ex consuetudine in praxi communi absque ullo scrupulo recipiuntur propinæ et salarium. Ventriglia part. 1, adnot. 36, n. 1

740. Imperium consistit in jure puniendi, et judicatum legemque exequendi, quod dicitur *merum*, si nullam involvat causæ cognitionem, et *mixtum*, si cum causæ cognitione conjunctum sit. Jurisdictio vero consistit in jure cognoscendi, et pronunciandi absque puniendi, et exequendi facultate. At cum cognitio accurata absque saltem modica facultate coercendi inobedientes dari nequeat; hinc cujuscumque judicis etiam delegati jurisdictio cum imperio saltem mixto conjuncta esse solet (1).

1) Engel de offic. jud. n. 20.

741. Jurisdictio dividitur in *voluntariam* et *contentiosam*. Voluntaria inter volentes sine strepitu judicii etiam extra proprium territorium exercetur; contentiosa vero inter invitos cum causæ cognitione, sed tantum in proprio territorio. Hinc ubique fieri a judice potest adoptio, et beneficii collatio; sed tantum in territorio possunt partes litigantes audiri, et sententia proferri : quia illi actus ad voluntariam, hi vero ad contentiosam jurisdictionem referuntur, de qua ultima habemus juris effatum: *Extra territorium jus dicanti impune non paretur* (1).

(1) Jurisdictio insuper alia est *ordinaria*, et alia *delegata*. Illa descendit ex lege, et competit judici ordinario ratione officii; hæc vero provenit ex homine, aut a jure ratione commissionis ab homine, ut patet ex numero sequenti.

742. Judex triplex est, nempe *ordinarius*, aut *delegatus*, aut *arbiter*. Ordinarius dicitur ille, qui in suo territorio ratione officii, aut magistratus, jure sibi proprio ex lege, vel consuetudine jurisdictionem habet, ut est Episcopus, ejusque Vicarius generalis, Capitulum cathedrale, sede vacante, ejusque Vicarius capitularis, et inferior Prælatus *nullius*, qui in territorio separato jurisdictione quasi episcopali fruitur (1) Judex delegatus est, qui aliena jurisdictione utitur, et habet potestatem judicandi in causis sibi specialiter commissis. Dicimus *specialiter*, nam si sit delegatus ad universitatem causarum etiam alicujus generis tantum, ex. gr. matrimonialium, aut beneficialium, non est simpliciter delegatus, sed ordinarius, quia ordinaria, aut mandata utitur jurisdictione (2), Judex denique arbiter est ille, qui a partibus eligitur, ut de re inter ipsas partes controversa judicium ferat; quod si fiat ex legis præscripto arbiter *juris* sive *necessarius* appellatur; si vero ex libero ipsarum partium consensu fiat, arbiter *voluntarius* dicitur (3).

(1) Tot. tit. de offic. jud. ord. — (2) Tot. tit. de offic. jud. deleg. — (3) Tot. tit. de arbitr.

743. Judex ordinarius potest suæ jurisdictionis partem, non autem totam jurisdictionem delegare (1); ideo vero partem, et non totam, quia hoc posteriori casu alium crearet judicem or-

dinarium, quod absque Principis, vel legis auctoritate fieri nequit. Ex adverso judex delegatus non potest suæ jurisdictionis partem subdelegare, nisi sit delegatus a summo Principe in casu, in quo electa industria personæ non appareat (2): si enim electa esset industria personæ, neque ipse delegatus a summo Principe posset subdelegare, ut omnes Doctores tradunt (3).

(1) Cap, 7. de offic. jud. ord. in 6. — (2) Cap. 62. de appell. — (3) Electa vero censetur industria personæ ubi delegatio fiat ratione confidentiæ, quam delegans de delegato concepit, ubi delegati proprium exponitur nomen, ubi ejus votum et consilium requiritur, ubi grave negotium delegatur, quod hominis peritiam requirit, et in aliis casibus similibus. Rescriptorum clausulæ hoc sæpe commonstrant, ut si dicatur *personaliter cognoscas*, *per te ipsum*, vel *solus cognoscas*, *arbitrio tuo determines*, etc. Arg. cap. ultim. de offic. jud. deleg.

744. Uterque judex tum ordinarius, tum delegatus tamquam suspectus potest interdum a litigantibus recusari (1); attamen facilius, et ex leviori causa delegatus, quam ordinarius : quia hic jurisdictionem habet veluti sibi connaturalem, dum ille jurisdictionem habet tantum accidentalem. Justæ suspicionis causæ plures a Doctoribus numerantur (2), quarum præcipuæ sunt sequentes: 1ª si judex sit consanguineus, vel affinis uni ex ligitantibus (3); immo hoc casu ex quarumdam nationum legibus intra proximiores gradus ipso jure recusatus habetur; 2ª si judex prius in eadem causa fuerit advocatus, vel patrocinium in eadem præstiterit ejus filius, aut gener, aut pater, aut socer (4); 3ª si judex sit commensalis, aut dominus, aut donatarius, aut hæres præsumptionis, aut curator, aut tutor alterius ex litigantibus (5); 4ª si judex sit inimicus per litem declaratus, aut intimus amicus, vel socius alterutrius ex litigantibus (6); 5ª si judex ejusve descendentes, vel ascendentes judicium agant super eadem quæstione etiam in alio tribunali, aut sint litigantis creditores, aut debitores (7).

(1) Cap. 4, de for. comp. — (2) Maranta in prax. part. 6. act. 2. n. 26 et seqq. — (3) Cap. 36 de appel. et recusat. — (4) Cap. cit. — (5) Cap. 4, ut lit. non contest. Cap. 25, de offic. jud. deleg. — (6) Cap. 35, eod. — (7) Cap. 18, de judic. Unde si ex diffamatione aut accusatione contra Vicarium generalem, aut cancellarium Curiæ

episcopalis quis agere velit, S. Congregatio non diœcesanum Episcopum, sed viciniorem in judicem solet deputare. Anal. jur. pont. ser. 2, pag. 2563.

745. Judicis suspecti recusatio fieri debet ante litem contestatam, secus judex censeretur probatus (1), nisi post litem contestatam causa suspicionis detegatur, quo casu recusatio fieri potest, cum primum causa suspicionis agnoscitur, dato juramento, quod prius non innotuerit (2). Ex jure canonico causa suspicionis in scriptis proponenda coram judice recusato, et intra statutum terminum probanda est coram arbitris a partibus electis: qui si declarent, eam frivolam esse, judex in causa procedit; si vero justam decernant, judex supersedet in causa, quia *suspecti et inimici judices esse non possunt* (3).

(1) Cap. 20, de sent. et re judic. — (2) Cap. 25, de offic. deleg. Cap. 4, de except. — (3) Cap. 4 et 61, de offic. deleg. Electio arbitrorum fieri potest hoc modo. Data allegatione suspecti judicis, et adducta causa, judicis jurisdictio manet in suspenso. Partes intra breve, et congruum tempus ab ipso judice assignatum debent suum arbitrum respective eligere ad cognoscendum de justitia, vel injustitia recusationis. Si electi arbitri in sententia proferenda conveniant, ea servanda est; si vero non conveniant, tertium arbitrum debent sibi adjungere, et resolutio duorum ex his tribus quæstionem resolvit. Cap. 1, de arbit. Cap. 2, eod. in 6, et cap. 61, de appell. Si causa suspicionis justa declarata fuerit, ad superiorem recursus fieri debet, ut ipse de causa cognoscat, vel alium judicem deputet; si vero injusta, vel frivola fuerit declarata, primus judex procedit ad ulteriora in causa eodem modo ac si recusatio proposita non fuisset. Carol. Targa direct. prax. civil. cap. 13. Quando tres, aut plures sunt judices, et unus tantum allegatur suspectus, reliqui duo de causa suspicionis cognoscunt, eamque resolvunt. Quod si omnes allegentur suspecti, ad medium arbitrorum est recurrendum, ut supra dictum fuit, vel ad aliud remedium confugiendum, quod in praxi observatur in judicibus synodalibus, qui cum sint plures, quibus rescriptum causæ præsentari potest, si unus, vel plures allegentur suspecti, præsentatur aliis, et reus adigitur ad dandum indicem, vel catalogum judicum synodalium confidentium et non suspectorum, a quibus negotium terminatur, modo alia pars non habeat recusationis causam.

746. Cum causæ delegatio pluribus facta exhibetur, videndum, an pluribus sit simpliciter facta an cum clausula, *si non omnes, duo, vel unus mandatum exequatur*, an cum alia clau-

sula, *quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant.* Nam primo casu omnes debent ad judicium concurrere, ac proinde si tres, ut solet, dati sint judices delegati, omnium concursus requiritur ad quemlibet actum judicialem, et etiam ad sententiam, quam debent omnes subscribere, licet unus fuerit repugnans; aliter actus esset nullus (1). Secundo casu duo, vel unus potest processum inchoare, et sententiam ferre, nec alii in decursu processus amplius admittuntur, nisi qui inceperat procedere, moriatur, aut infirmetur, aut alia detineatur justa causa (2). Tertio casu duo possunt procedere postquam constiterit, tertium per nuncium vocatum non posse, aut nolle interesse (3).

(1) Cap. 16, de offic. deleg. — (2) Cap. 8, eod. in 6. — (3) Cap. 21 de offic. deleg.

747. Officium judicis delegati variis modis cessat: ut morte delegantis, re integra; morte delegati, si delegatio facta sit personæ, non dignitati; revocatione delegationis; lapsu temporis in delegatione concessi; recusatione suspecti; et finito negotio, ut si delegatus sententiam definitivam jam pronunciaverit, et executione mandaverit, vel per sententiam interlocutoriam, si se incompetentem dixerit (1). Verum de hoc illud est adnotandum, quod delegatus Apostolicus potest usque ad annum per se suam sententiam exequi, nisi velit eam pro executione judici ordinario committere (2). At delegatus judicis inferioris, ubi datus est ad certam causam, suam sententiam exequi regulariter nequit, quam debet deleganti pro executione remittere (3).

(1) Engel. eod. tit. n. 17. — (2) Cap. 7 et 26, eod. — (3) Cap. 4, de for. comp.

748. Arbiter ita definitur a Devoti, scilicet, *Arbiter est judex ad cognoscendam, finiendamque controversiam litigantium voluntate constitutus, sive id legis imperio fecerint, sive sponte sua* (1). Ex postremis hujus definitionis verbis oritur arbitrorum divisio in *necessarios* et *voluntarios*, qui postremi etiam

compromissarii appellantur. Arbitri necessarii deputantur a jure, ut in dicto casu judicis suspecti, in casu Episcopi, qui eum subdito controversiam habet, et in casu, quo plures judices delegati super revocatione litterarum Apostolicarum non consentiant (2). Arbitri vero voluntarii a partibus deputari possunt in omni causa non prohibita ; at prohibentur causæ matrimoniales (3), criminales (4), et beneficiales, ne detur vitiosus ingressus ad beneficia ; causæ majores summo Pontifici reservatæ (5) ; et causæ quæ nullum continent dubium : nam compromissum in arbitros transactionis actum imitatur, quæ de re dubia tantum fieri potest, ut supra jam vidimus (6).

(1) Inst. Can. lib. 3, t. 17, § 2. — (2) Cap. 12, de rescript. — (3) Cap. penult. de in integ. restit. — (4) Cap. 9, eod. — (5) Cap. 5, de arbitr. — (6) N. 664.

749. Cum arbitri referant judicum imaginem, illorum arbitria a legibus dicuntur ad formam, et similitudinem judiciorum instituta. Sed hæc imago, et similitudo in aliis est perfectior, et in aliis minus perfecta. Sic arbiter necessarius ad instar judicis dari potest invitus, jurisdictionem, et coercitionem habet, ut partes citet, contumaces puniat, testes ad ferendum testimonium adigat, et inobedientes debita pœna plectat (1) ; insuper sententiam profert obligatoriam, a qua appellatio admittitur ad Papam (2). Sic arbiter voluntarius habet causæ sibi ex compromisso assignatæ notionem, licet jurisdictione, et coercitione careat ; in causa procedit, servato juris ordine, sed invitus non cogitur ad compromissum acceptandum ; sententiam profert, sed ab ea appellatio non datur (3). Horum ea ratio est, quia arbiter necessarius constituitur a lege, sive auctoritate publica ; voluntarius vero a partium consensu, sive auctoritate privata (4). Sententia arbitrorum appellatur *Laudum*, quod etiam in casu arbitrorum voluntariorum est observandum, nisi pars læsa infra decem dies laudum coram judice ordinario curet ad boni viri arbitrium reduci ; alias laudum haberetur uti *homologatum*, sive approbatum. Hoc quidem procedit in vero arbitro, non autem in *arbitratore*, qui constituitur non ut judicet, sed ut æstimet ex. gr. quid sit æquum retribuere, vel quænam sint vera pretia rerum (5).

(1) Cap. 39, de offic. deleg. — (2) Cap. 11, eod. in 6. — (3) Can. 33, c. 2, q. 6. — (4) Compromisso facto in arbitros potest adjungi juramentum de arbitrio servando. Cap. 2 de arbit.; potest etiam adjungi pœna, sed qui pœnam requirit regulariter non amplius juvatur exceptione rei judicatæ. Cap. 9, eod. — (5) Doctores ad tit. de arbit.

TITULUS III.

DE ACTORIBUS, ET REIS, ALIISQUE JUDICII PERSONIS.

SUMMARIUM : 750. Quis sit actor, et quæ ejus partes? — 751. Quis sit reus, et quomodo se defendat? — 752. Qui et quales procuratores, qui advocati? — 753. Quæ sint discrimina inter procuratorem, et advocatum? — 754. Procurator debet exhibere mandatum? — 755. Quis possit esse procurator? — 756. Qui dicantur syndaci, et a quibus constituantur? — 757. Quomodo cesset procuratoris officium? — 758. Quid agere, et cavere debeat advocatus? — 759. Quæ prohibeantur advocato, et procuratori pacta cum cliente? — 760. Quis sit assessor? — 761. Quis promotor fiscalis, et quale ejus officium? — 762. Curiæ cancellarius quis, et quale ejus officium? — 763. Cursor, et ejus officium?

750. Qui in judicio civili aliquid ab alio petit, judiciumque provocat, *Actor* ab agendo dicitur, dum in judicio criminali dicitur *Accusator*. Actor intentionem suam in judicio ordinario per libellum suum proponit; propositam autem intentionem tenetur probare : nam juris principium est, *ei qui dicit onus probandi incumbit*; aliter, actore non probante, reus absolvitur, licet nihil ipse præstiterit (1) : tenetur quoque litem prosequi; secus enim, si non compareat in termino partibus a judice assignato, condemnatur in expensas a reo factas (2), et nova citatio non conceditur, nisi caveat, quod comparebit in termino; quo adveniente, si iterum contumax sit, judicium, reo instante, vertitur, et sententia fertur (3).

(1) Cap. 3, de caus. posses. — (2) Cap. 1, de dot. et contum. in 6. — (3) Cap. 5, eod., cap. 1 eod. in 6. Agere in judicio regulariter

prohibentur impuberes et minores. Cap. 3, de judic. Horum tamen prohibitio respicit tantum causas temporales : nam in causis spiritualibus, et eisdem adnexis, etiam minores agere permittuntur. Cap. 3, de judic. in 6.

731. Ille, a quo aliquid in judicio petitur, aut judicatur, ut pro scelere pœnam luat, *Reus* a re, quæ per actorem petitur, appellatus fuit. Reus se negatione defendit, ubi nullam habeat contrariam probationem ; ubi vero similis probatio adsit, si contra probationem excipiat, sic excipiendo fit actor, suamque exceptionem probare omnino tenetur. Condemnari autem non potest, nisi in suo foro, et postquam fuerit legitime convictus (1) ; et si jura partium fuerint obscura, ipsi magis favendum, quam actori (2).

(1) Cap. 11, de rescript. in 6, can. 5 et 6, c. 3, q. 9 — (2) Cap. 11, de reg. jur. in 6. Proinde si actor suam intentionem non probet, reus absolvendus est. Si autem actor suam intentionem probet, reus tenetur hanc probationem per contrariam exceptionem elidere, in qua fit actor. Attamen reus in sua responsione alios lædere nequit, et per suam exceptionem neminem potest accusare : accusatio enim novum requirit judicium. Pellegrinus in prax. civ. part. 2, præmis. 3. n.

732. Actor, et reus sibi congruentes in judicio partes implent per *Procuratores*, a quibus repræsentantur, et per *Advocatos*, a quibus defenduntur. Procuratores sunt, qui aliena negotia mandato domini in judicio, sive extra administrant : quare alii sunt procuratores *extrajudiciales*, qui extra judicium alterius vices gerunt ; et alii *judiciales*, qui in judicio alterius partes sustinent, quique simpliciter procuratores *ad lites* appellantur, de quibus tantum hic agimus. Advocati vero sunt legis periti, qui facta legibus comparantes, tum lege, tum ratione, quid in quaque causa justum sit demonstrant, et jura rationesque reorum, vel actorum exponunt, unde *justitiæ sacerdotes* appellantur (1).

(1) Advocati melius describi non possunt, quam fuerint descripti ab imperatore Leone, et Anthemio in l. 14. Cod. de adv. judic. ubi hæc leguntur. « Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, « suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis, ac priva-

« tis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano « generi, quam si prœliis, atque vulneribus patriam, parentesque « salverent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, « qui gladiis, clypeis, thoracibus nituntur, sed etiam advocatos : « militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi mu- « nimine laborantium spem, vitam, et posteros defendunt. » Sed temporibus nostris vehementissime dolendum, quod plurimi inter advocatos sacerdotium justitiæ deseruerint, et ministri impietatis, et Ecclesiæ ac societatis carnifices facti sint.

753. Inter procuratorem et advocatum hæc sunt præcipua discrimina : 1° procurator debet exhibere mandatum, quod non requiritur in advocato; 2° procurator post litem contestatam fit dominus ipsius litis, quod non contingit in advocato; 3° si procurator delinquat in suo officio tenetur actione mandati, advocatus vero tantum actione doli; 4° procuratoris officium est onerosum et privatum, illud autem advocati honorificum et publicum. Hinc jure canonico procurator invitus non cogitur acceptare mandatum (1); advocatus vero per judicem compelli potest ad patrocinium illius suscipiendum, qui non habet defensorem (2). Diximus ex jure canonico; nam ex jure civili curator, uti procurator absentibus, et hæreditati jacenti dari potest etiam invitus.

(1) Arg. cap. 1, de procurat. in 6. — (2) Arg. cap. 1, de offic. judic.

754. Procurator debet exhibere mandatum, quod si laboret vitio, nullum reputatur judicium, quia falsi procuratoris exceptio tum ante, tum post sententiam objici potest (1). Mandatum autem ex jure canonico potest esse *expressum*, vel *præsumptum :* illud litteris efformatur; hoc ratione propinquitatis inter mandantem, et mandatarium ab ipsa lege præsumitur, ut in casu patris pro filio, tutoris pro pupillo, mariti pro uxore; facilius tamen præsumitur pro reo, quam pro actore, quia jura facilius concedunt defensionem, quam actionem. Item potest esse *generale* ad omnes causas, vel *speciale* ad aliquas tantum (2). Nihilominus procurator cum generali mandato non potest quædam graviora in causa regulariter peragere, uti foret juramentum deferre, vel delatum ac-

ceptare, aut emittere ; uti foret compromittere, aut transigere, etc. Ad hæc quidem mandatum speciale requiritur (3).

(1) Cap. 4, de procurat. — (2) Procuratores generales quandoque dantur *cum libera*, sive cum libera facultate omnia peragendi tamquam domini. Procurator sic constitutus fit *tamquam alter ego*, ut dici solet in civilibus, et potest omnia facere, sed non potest donare, quia donare potius est perdere, quam administrare. — (3) Cap. 4 et 5, de procurat. in 6, et ib. Gloss.

755. Procurator ad agendum, et defendendum quilibet constitui potest etiam filius-familias, et laicus in causis spiritualibus (1), modo causa procuratorem non repellat, qualis est regulariter causa criminalis (2), et non repellat lex. Lex autem civilis repellit minorem ; lex vero canonica regulariter repellit monachos excommunicatos, et infames (3) ; repellit quoque minores annis XVII in negotiis, et minores annis XXV in judiciis (4) ; repellit denique etiam mulieres, quia indecorum est, eas virorum cœtibus se immiscere (5).

(1) Cap. 1 et 5, de procurat. in 6. — (2) Diximus *regulariter*, quia causa criminalis non repellit procuratorem, quando civiliter ad damni reparationem agitur, cap. 5, de procurat. et cap. 16, de accusat. ; quando reus vult excipere. cap. 15, eod. ; quando vult allegare absentiæ causam. cap. fin. de dilat. ; et quando agitur contra monialem, quæ de monasterio egredi non potest. Cap. 1, de stat. monach. in 6. — (3) Can. 1, c. 3, q. 7. — (4) Cap. 14, de procurat. — (5) Cap. 2, de judic. in 6.

756. Sunt præterea quidam procuratores, qui appellantur *Syndaci*. Hi constituuntur procuratores a monasteriis, Capitulis, collegiis, et universitalibus. Cum enim quælibet universitas, utpote persona moralis, per se nequeat in judicio agere, necesse est, ut ad hoc sibi deligat procuratorem (1). Deputatio hæc fieri debet a collegio, servatis regulis, quæ ad validitatem deliberationum sunt adhibendæ.

(1) Cap. 7 de procurat. cap. unic. de syndic. et cap. 2, de postul.

757. Procuratoris officium cessat per ejus mortem ; per ejus

vero renunciationem, aut mandati revocationem tunc cessat, cum alius procurator legitimus in causa comparet, qui litigantium partes sustineat (1). Libera quidem ab initio est mandati acceptatio, qua posita, et lite contestata, ejus executio fit necessaria, ita ut etiamsi mandatum revocaverit, adhuc acta per procuratorem revocatum sint valida (2).

(1) Cap. 8 de procurat. — (2) Cap. 13, eod. Hinc sequitur, mandantem non posse post litem contestatam procuratorem revocare, nisi ex justa causa, veluti si esset suspectus, aut impeditus, aut morbo teneretur. Cap. 2, eod. in 6; et similiter non posse procuratorem officio suscepto renunciare, nisi ex justa causa, et salvo mandantis interesse, et judicii cursu.

758 Advocatus debet sincere et prudenter causam tractare, ne falsa proferat jura, instrumenta, testes, probationes et rationes, alias teneretur de crimine falsi; ne superfluas petat dilationes, aut superstitiosis utatur cavillationibus; ne causæ secreta sibi commissa parti adversæ prodat, aut utrique parti simul patrocinetur, aut alterutri, postquam pro alia fuit consultus; ne injuriis, aut conviciiis decertet; ne se in collusionem, tergiversationem, et prævaricationem abripi patiatur; neve quid omittat studii, artis et diligentiæ. Causam tantum potest suscipere veram et justam, aut vere probabilem, quæ spem victoriæ contineat, etsi pars adversa potiori jure, ac spe videatur gaudere, modo clientem de statu talis causæ commonefaciat (1); causam vero improbam, et desperatam, injustam, et calumniosam aggredi, aut persequi nequit, aliter in omnes partium expensas, et damna ex judicis sententia obligari potest, et etiam ante sententiam in conscientia obligatur (2).

(1) Zallinger ad tit. *de postul.* § 553, in not. — (2) S. de Ligorio l. 4, n. 223. Qui non potest procuratoris officio defungi, neque potest advocatus fieri. Clericus sacerdos in causis pecuniariis neque coram judice ecclesiastico advocare, sive postulare potest, nisi pro se ipso, aut sua ecclesia, vel si necessitas imminet, pro personis conjunctis, aut miserabilibus. Cap. 3, de postul. Et si quis clericus etiam non sacerdos in munere advocati, aut procuratoris pro extraneis contra ecclesiam, in qua habet beneficium, postulet, tamquam ingratus potest suo beneficio spoliari. Cap. cit.

759. Advocatus et procurator nequit eum cliente pacisci de quota litis, ne per nefas in victoriam nitatur ; item nequit cum eodem contractum emptionis et venditionis, vel permutationis aliumve similem inire, ne timor litis justitiam commutativam lædat (1) ; hoc ipsum quidam extendunt ad pactum circa honorarium, quod mea sententia tunc tantum posset habere locum, cum post litem contestatam, et ante conclusionem in causa fieret, non vero alio tempore : nam primo casu cliens est veluti coactus ad consentiendum in honorarium etiam æquo majus, ne advocatus, vel procurator agnita causæ secreta in clientis præjudicium prodat ; altero autem casu hæc ratio cessat ; et aliunde juxta S. Augustinum, *licet advocato vendere justum patrocinium, et jurisconsulto rectum consilium* (2).

(1) Can. 2. c. 3, q. 7. — (2) Can. 71, c. 11. q. 3, et can. 15, c. 14, q. 5.

760. Judicium quandoque ex convenientia, quandoque ex necessitate alias quoque præter enumeratas requirit personas, uti est *Assessor, Promotor fiscalis, Cancellarius* et *Cursor*. Assessor est vir jurisperitus, quem judex ad recte judicandum tamquam consiliarium sibi associat (1), et dicitur assessor, quia penes judicem assidere solet. Datur a superiore, vel assumitur ab ipso judice, quando vel ob juris imperitiam, vel ob negotiorum multiplicitatem omnia per se judex expedire nequit (2). Ex veriori sententia nulla pollet jurisdictione (3), nec judicum prærogativis fruitur, nec publicum gerit officium (4), sed privatum tantum, per quod tamen judicem instruere, et in omni judicii parte diligenter adjuvare tenetur (5).

(1) Cap. 11, § *Assessorem* de rescript. in 6, et l. 1, eod. de assessorib. — (2) Capitulum tamen non potest dare assessorem suo Vicario electo ; sed ipse Vicarius eum potest sibi assumere. S. Congregatio Episcoporum 22 novemb. anni 1604. — (3) Abbas in cap. *Super quæstionem* de offic. deleg. n. 16. Sed cum consilio quo in judicium influat, ex causa potest allegari suspectus ; et judex debet hanc allegationem suscipere, alias fieret ipse suspectus. Pellegrinus in cit. pract. part. 2, præmis. 3, n. 26, Verum si datus esset assessor in causa de consensu partium, non posset amplius allegari suspectus, quia per factum exceptio suspicionis excluditur. — (4) Ideo clericus

posset esse assessor judicis sæcularis, excepta causa sanguinis, et laicus assessor judicis ecclesiastici. Pellegrinus loc. cit. et in pract. crim. part. 4, sect. 16, n. 24. Annal. jur. pont. ser. 6, pag. 448. — (5) Assessoris officium sapienter exponit Pellegrinus, et in hoc reponit. « 1° Ut invigilet ad veritatem indagandam, quid juris sit, judi- « cem instruat. Hinc fit, quod postquam judex illum elegerit, et ipse « acceptaverit, tenetur de injustitia judicis, nisi protestationem in « actis fecerit, quod ipse non consentit, cum videt judicem injuste « agere. 2° Ut admittat, vel rejiciat libellos, prout juris fuerit, in- « spiciendo an bene confecti fuerint, vel de re illicita. 3° Ut perpen- « dat petitionem partis, an illi competat actio, et an juris ordinem « in petitione servaverit. 4° Ut consideret, et bene disponat decreta « interponenda in causis coram eo judice, cui assistit, vertentibus. « 5° Ut videat, et diligenter consideret edicta, et alia, quæ a judice « promulgantur, an juridica fuerint ; et si contra, vel præter jus esse « cognoverit, prohibeat, ne publicentur. » Part. 4, sect. 16, n. 20.

761. Promotor, sive procurator fiscalis est vir jurisperitus, fidelis, zelo religionis, et animæ fortitudine conspicuus, quem Episcopus in sua curia eligit, et juramento adstringit, ut jura Ecclesiæ defendat, tum in bonorum ecclesiasticorum conservatione, quam in procuranda reorum punitione (1). Dicitur autem *Fiscalis*, quia jura fiscalia curat ; sunt vero jura fiscalia ea, in quibus agitur de publica pecunia, vel vindicta (2). Hinc patet qualis, et quanti momenti sit ejus officium : non solum enim tamquam solers procurator in causa Ecclesiæ debet bona curare, instrumentis, et hypothecis tuta reddere, deperdita vindicare, et omni modo providere, ne pereant; sed ut augeantur ; verum etiam tamquam accusator impavidus criminum reos ad tribunal adducere, de delictis convincere, proque eorum condemnatione instare (3) ; immo in criminalibus ejus officium adeo necessarium est, ut citandus sit in omnibus actis, qui fiunt contra reum, et si feratur sententia contra reum, ipso non citato, sententia sit nulla (4).

(1) Promotores fiscales possunt esse plures, et possunt revocari. — (2) Pellegrinus cit. part. 4, sect. 1, n. 19. — (3) Ex praxi tamen multarum curiarum Promotor fiscalis ea tantum peragit, quæ ad criminum coercitionem spectant ; et utinam saltem in hac parte recte suum impleret officium ! Hoc plane dolendum, quod officium adeo pro bono Ecclesiæ necessarium negligatur, sive id fiat ex defectu competentis honorarii, sive quia non putatur necessarium. Porro ex

hoc etiam hodierna disciplinæ ecclesiasticæ deformatio, et morum corruptio repetenda videtur, quod Ordinarii curent quidem monere, et hortari frequenter, sed raro punire, et damnare ; quod sine promotoris fiscalis concursu regulariter fieri non potest. Diximus *regulariter*, quod refertur ad processum criminalem regularem : nam Ordinarius extrajudicialiter etiam absque promotore recte procedit. — (4) Pellegrinus loc. cit.

762. Cum non sufficiat processus fieri, et sententias edi ; sed cum requiratur ulterius, processus, et sententias publicam obtinere fidem, ac perpetuam gestorum conservare memoriam ; ideo in judicio debet intervenire Cancellarius, qui acta in publica instrumenta convertat, ac perpetuo ad fidem faciendam servet. Cancellarius, sive Actuarius, est Notarius Curiæ addictus ad acta curialia conscribenda, et servanda ad exemplum notariorum sæcularium. Cancellarius a cancellaria, et actuarius ab actis nuncupatus simplicibus notariis, præstat, quia nedum officium exercet in actibus privatis, et extrajudicialibus ; sed etiam in ipsis actibus publicis, et judicialibus. Licet autem notariatus, et tabellionatus officium regulariter sit clericis interdictum (1), exceptis causis fidei, in quibus clerici possunt hoc officium exercere, si id prius in sæculo exercuerint (2) ; nihilominus ex inveterata curiarum praxi, et legitime præscripta consuetudine, clerici etiam presbyteri ad officium cancellarii in curia ecclesiastica admittuntur (3) : immo magis expedire videtur, ut clericus in cancellarium assumatur : tum quia in pluribus casibus soli clerici possunt officium cancellarii gerere, tum quia clericus magis quam laicus clero acceptus est, ac magis arcanis rerum ecclesiasticarum negotiis convenit. Opera cancellarii tenetur Ordinarius uti in omni judicio ordinario (4) ; neque debet cancellarium admittere, quem non probaverit idoneum (5), quemque jurejurando non perstrinxerit ad fideliter officium suum implendum (6).

(1) Cap. 8, ne cler. vel monac. etc. ; quod nonnulli tamen intelligunt de curiis sæcularibus, ne clerici a divino abstrahantur officio. — (2) Cap. 11, de hæret. in 6. — (3) Hoc late, et solidis rationibus probat Bouix. De judic. eccl. part. 2. sect. 2, c. 15, § 4, prop. 8. Monacellus. Part. 1, tit. 5, for. 5, adnot. 6 ; et Devoti Inst. can. l. 3, t.

4, § 7, in not. 3. — (4) Cap. 11, de probat. — (5) Trid. sess. 22, c. 10, de ref. — (6) Notarius et cancellarius cum creatur jurare solet : « 1° quod conficiet instrumenta, de quibus fuerit rogatus, nil veri- « tatis tacendo, vel falsitatis miscendo ; 2° quod non revelabit, quod « sibi secreto commissum fuerit, nisi justa de causa ; 3° quod non « conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu usurario, « nec de alio quovis illicito ; 4° quod retinebit de omnibus instru- « mentis... quæ dederit, regestum, seu protocollum ; 5° quod erit « fidelis ei, a quo fuit creatus notarius, et admonebit eum de iis, « quæ sciverit in ejus damnum vergere ; 6° quod nullo odio, vel amo- « re, spe, vel timore officio suo abutetur. » Ferraris verbo *Notarius* n. 1. Sed in genere satis est, si juret, se officium suum fideliter impleturum.

763. Ad judicium denique concurrit Cursor, sive Nuncius sive Apparitor, quod idem sonat. Cursor est qui citat partes, ut ad judicium veniant, qui processus, et actus judiciales exequitur, quique judicis jussa facit. Propterea consideratur ut persona publica, et publico instrumento constituendus est, ut promotor fiscalis, et cancellarius (1). Quare regulariter cursoris relationibus scripto factis, et in processu insertis credendum est, maxime si juramento sint vallatæ.

(1) Formulæ constituendi cancellarium, promotorem fiscalem, et cursorem, aliosque curiæ episcopalis ministros, et officiales inter antiquos Doctores reperiuntur penes Monacellum in suo Formul. part. 1, tit. 1 ; item penes Bouix de judic., eccl, part. 2, sect. 6.

TITULUS IV.

DE FORO COMPETENTI.

SUMMARIUM : 764. Qualis sit forus competens? — 765. Quis judex competens? — 766. Ob quas causas judex fiat competens ex persona rei? — 767. Quando fiat competens ex natura causæ? — 768. Quæ sint causæ ecclesiasticæ? — 769. In causis civilibus solus judex competens est sæcularis. — 770. In causis mixtis competens est ecclesiasticus et sæcularis. — 771. Quando judex fiat competens ex prorogatione, ex continentia causæ, et ex reconventione? — 772. Cum plures sunt judiçes competentes locus est præventioni.

764. Forus, sive Forum a *fando*, sive *ferendo* dictum, est judicii locus, ad quem actor suam fert actionem. Competens autem est forus proprius, ad quem actori competit vocare reum, ut suas experiatur actiones. Ex regula generali actor forum rei sequi debet : nam cum reus ad judicium trahatur invitus, potestas, et jurisdictio super reo necessaria est in judice trahente, ne queat ejus mandatum sperni (1). Idcirco reus ad comparendum coram judice incompetente citatus sui copiam facere absolute lequendo non tenetur, si illius incompetentia certa et evidens sit ; sin secus tenetur comparere, et incompetentiæ exceptionem componere, de qua ipse judex primum pronunciat (2). Eadem ratione sententia a judice incompetente lata non valet (3), et acta judicii pereunt, uti est libellus, citatio, litis contestatio, etc., licet non pereant acta causæ, uti sunt probationes. Si vero in aliquo casu plures judices competentes sint, in actoris facultate est eligere, quem maluerit.

(1) Cap. 5 et 8, de for. compet. — (2) Cap. 7, de privil. in 6. — (3) Cap. 4, de judic.

765. Judex competens potest esse tum *ordinarius* tum *de-*

legatus ; similiter ordinarius potest esse *competens in prima*, aut *secunda instantia :* qui quidem omnes onus gerunt audiendi causas, et dirimendi lites eorum jurisdictioni obnoxias; aliter rei efficiuntur criminis denegatæ justitiæ. Nihilominus fas est Principi causam ab inferiori judice in eo statu, in quo reperitur, ad se avocare (1) ; hoc jure ex Doctorum sententia fruitur quoque Episcopus quoad Vicarium suum, et quilibet judex ordinarius quoad suum delegatum; non vero Archiepiscopus contra suos suffraganeos, nec S. Sedis Legatus contra Episcopos (2).

(1) Cap. 56, de appell. — (2) Trid. sess. 24, c. 20, de ref.

766. Competentia ex duplici præsertim fonte fluit, nempe ex *persona rei,* et ex *natura causæ*. Ex persona rei judex fit competens in quintuplici casu. Primo *ob domicilium* ejusdem rei : hic intelligitur domicilium habitationis, quod consistit in loco, ubi quis habitat cum animo ibi perpetuo manendi, et ubi quis summam bonorum suorum habet, vel saltem instructam domum (1) ; intelligitur etiam domicilium privatum (2), quod quis prædicto modo habitando servat, aut sibi ad alicujus contractus executionem elegit (3). In hoc domicilio quisque suum habet competentem judicem ordinarium, coram quo conveniri, et a quo damnari potest, quamquam post legitimam citationem domicilium et forum mutet (4). Secundo *ob contractum* judex fit competens in eo loco, in quo contractus initus fuit, quia contractus sunt nedum juxta solemnitates et leges loci celebrandi, sed etiam judicandi : ibi enim faciliores sunt contractuum probationes : hinc, ut dicunt Doctores, locus contractus est etiam locus distractus; hoc tamen tunc procedit, cum in ipso loco contrahentes inveniuntur (5). Tertio *ob rem sitam* judex fit competens in loco, in quo res controversa sita est, quia ibi facilior est possessionis, vel dominii probatio, et sententiæ executio (6). Quarto *ob delictum* fit competens judex loci, in quo delictum patratum fuit, non solum quia ibi facilior evadit delicti probatio, sed etiam quia justum est, reum exemplo pœnæ prodesse, ubi obfuit exemplo delicti (7). Quinto denique *ob statum clericalem* solus judex ecclesiasticus

competens est in causis clericorum, et solus Papa in causis majoribus Episcoporum : ratio est, quia clericorum personæ ab jurisdictione judicis sæcularis exemptæ sunt, et dignitas episcopalis nulli nisi summo Pontifici subjicienda est (8).

(1) Domicilium solum originis non sufficit, ut quis in eo legitime conveniatur, nisi in eo quoque habeat domicilium habitationis. Cap. 5, de paroch.; solum autem quasi domicilium similiter judicem competentem non facit, quia alienigena eidem non subjicitur, nisi quoad observantiam legum, statutorum, et consuetudinem, quæ in loco vigent, prout exigit bonum publicum, et societatis ordo. — (2) Adest etiam domicilium commune, quod ut olim omnibus civibus Romanis, ita nunc omnibus christianis Romæ competit. Can. 17 et 18, c 9, q. 3. Unde clericus, qui Romam advenerit, potest ibi conveniri, et compelli, ut suis adversariis respondeat, et judicari. Cap. 20, de for. compet.; quod Doctores extendunt ad laicos in rebus temporalibus tantum. Schmalzgrueber ad tit. de for. compet. n. 28. Ratio est, quia Roma patria communis est omnium clericorum, et christianorum, ut olim erat omnium civium Romanorum, l. 23, ff. Ad municip.; et Romanus Pontifex Ordinarius Ordinarorium est, cum quibus omnibus habet concurrentiam. Exceptio tamen ab hac regula fit, si Romam veniens ex juxta et necessaria causa necessitatem alleget, remittendi in patriam, et domum suam, quo casu liber relinquitur, ut domum suam revertatur. Cit. cap. 20, de for. compet. Bouix de judic. part. 1, sect. 4, c. 4. art. 2, § 1. — (3) Cap. 17, de for. compet. — (4) Cap. 19, de for. compet. — (5) Cap. 1, eod. in 6. Hoc idem observatur, cum quis contraxit in uno loco, et promisit se soluturum, vel contractum se executurum in altero, quia a legibus fingitur, ibi contraxisse, ubi se soluturum promisit, ibique fingitur adesse, licet realiter absit. Quare si quis in aliquo loco administrationem alicujus gesserit, in eodem conveniri potest, rationem reddere tenetur, quia per gestionis factum aut contraxit, aut quasi contraxit de foro non declinando. Cit. cap. 17 de for. compet. — (6) Cap. 3, de for. compet. Quod dicimus de re sita ex communi Doctorum sententia locum habet in re immobili, et mobili, modo hæc postrema in loco permanenter existat. Schmalzgrueber loc. cit. n. 52 ; et competentia hujus judicis videtur vigere, etiamsi reus in loco præsens non sit : nam theorica supra expressa de contractu non recte aptatur rei sitæ ; cum longe major securitas habeatur in re, quam in contractu. Judex quidem rei sitæ non habet aliquam jurisdictionem in reum alibi morantem, ac proinde non potest eum convenire actione personali ; sed habet jurisdictionem in ejus bona in suo territorio posita ; unde potest eum convenire actione reali ; et si contumacem se faciat, actorem in bonorum possessionem mittere. Pirhing ad tit. de for. compet. n. 48. — (7) Cap. 13, 14 et 20, de for. compet. Hoc certum est, si criminosus reperiatur adhuc in territo-

rio, vel ante egressum fuerit legitime citatus ; aliter expediendi negotii melior videtur via, ut a proprio Ordinario ad effectum judicium subeundi requiratur. Ordinarius autem delicti juxta probabiliorem sententiam potest criminosum etiam beneficio ecclesiastico privare, quod in alia diœcesi possidet ; sed executio hujus sententiæ ad Ordinarium beneficii spectat. Cap. 14, de for. compet ; ratio est, quia delictum privat criminosum jure ad beneficium, sed expulsio de beneficii possessione est factum ab Ordinario loci complendum. — (8) De his supra jam diximus, ubi de privilegio fori.

767. Ex natura causæ judex fit competens, quando causa talis est, ut cujusdam determinati judicis cognitionem requirat. Hic primum observamus, causas majores Ecclesiæ de fide, moribus, et disciplina in genere judicio summi Pontificis reservari, sicut omnis Ecclesiæ historia testatur. Ipse enim solus tamquam Christi Vicarius, et centrum unitatis catholicæ sui virtute primatus harum omnium causarum judex est supremus, a quo non datur appellatio (1).

(1) Devoti Inst. Can. lib. 3, t. 4, § 8.

768. Deinde vero in specie observamus, causas triplicis esse generis, *ecclesiasticas* nimirum, *civiles* et *mixtas*. Ecclesiasticæ sunt, ut nomen sonat, quæ ad Ecclesiam referuntur ; civiles, quæ ad civilem societatem ; et mixtæ, quæ sub diverso respectu Ecclesiam, et civilem societatem referuntur. Jam vero in causis ecclesiasticis judex competens est tantum ecclesiasticus, et laicus de iisdem non potest neque licite, neque valide cognoscere, quia jurisdictione caret (1). Tales autem sunt : 1° causæ spirituales de fide, de religione, de cultu, de sacris ritibus, de censuris, de moribus, et ecclesiastica disciplina : nam harum causarum dissolvendarum potestas manat ex virtute clavium, quæ solis sacerdotibus sunt a Christo commissæ (2) ; 2° causæ, quæ spiritualibus necessario connectuntur, uti sunt causæ beneficiales de institutione et collatione beneficiorum (3), et causæ decimarum (4), ac funerum, in quibus quod temporale est ita cum spirituali conjungitur, ut ab eo separari nequeat, et consequenter secum illud necessario trahit ; 3° causæ sacramentales, quæ Sacramentorum, ac præser-

tim matrimoniorum administrationem, et validitatem respiciunt (5) : sunt enim hæ causæ ex natura sua spirituales (6).

(1) Cap. 2, de judic. cap. 8. de hæret. in 6. Si de criminalibus agatur, eadem tenenda est ratio, quam supra in libro primo indicavimus, ubi de delictis ecclesiasticis, civilibus, et mixtis egimus. Hic tamen notamus, laicum in causis ecclesiasticis esse judicem ex speciali, et expressa summi Pontificis delegatione, non vero ex delegatione alterius judicis, quia solus summus Pontifex potestatem habet dispensandi in jure communi. — (2) Devoti Inst. can. loc. cit. § 2. — (3) Cap. 21, de jurepat. et cap. 3, de judic. De connexis enim et accessoriis idem ferendum judicium, ut dicitur cap. 3, de constit. Jus quidem beneficiorum spirituale comprehendit etiam bona; quoad hæc tamen si quæstio esset in judicio possessorio retinendæ, vel recuperandæ possessionis, ex Concordatis, vel diuturna consuetudine, ut alibi notavimus, posset etiam judex laicus cognoscere. Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 9, n. 7. — (4) Cap. 5, de decim. Trid. sess. 25, c. 12, de ref. — (5) Quod causæ matrimoniales ad judicem ecclesiasticum pertineant definivit Concilium Tridentinum sess. 24, c. 12, de ref. matr., ubi anathema intorsit in eos, qui contrarium auderent affirmare; quod intelligendum de omnibus causis matrimonialibus, ut explicavit Pius VI in suo brevi ad Motulensem Episcopum, quando ejus naturam, vim, et firmitatem attingunt, et quando ad vim sponsalium, et ad divortium referuntur juxta expressam sanctionem in cap. 10, de sponsal. et in cap. 3, de divort.; quam confirmavit pluries Pius Papa IX : in allocutione consistoriali 27 septemb. anni 1852, cum deplorans propositum Neogranatensis Reipublicæ, quæ matrimoniales causas judicibus sæcularibus adscribere nitebatur, declaravit, *a conjugali fœdere sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere*; ac similiter in epistola ad Regem Sardiniæ 19 septemb. 1852, declaravit, veram adesse usurpationem juris Ecclesiæ, *si lex civilis auderet cognoscere, et judicare casus, ubi sacramentum matrimonii fuit, aut non fuit regulariter coram Ecclesia celebratum* ; et demum in Syllabo prop. 74, absolute damnavit, causas matrimoniales, et sponsalia ad forum civilem suapte natura pertinere. Et recte quidem : nam matrimonium a legibus civilibus regulatum, non potest esse nisi matrimonium paganorum; consequenter jus civile causas matrimoniales juste nequit attingere, quod extenditur ad causas natalium et legitimitatis filiorum. Cap. 3, de ord. cognit. Cap. 4 et 5, qui fil. sint legit.; aliter charitas divina matrimonia coagmentans fiet devia scortatorum cupido. Excipiuntur tamen a prælicta regula causæ omnino politicæ, et temporales de dote, de donatione propter nuptias, de hæreditaria successione, et cæteræ ejusdem generis, quæ, ut alibi diximus, ad judicem civilem pertinent. — (6) Sic causæ educationis, et insti-

tutionis fidelium nedum in religione, sed etiam in litteris et scientiis ad magisterium Ecclesiæ referendæ sunt, quatenus nec utiles litteræ, nec sanæ scientiæ absque religione possunt esse. Porro nemo est, qui possit ambigere, bonas artes, et disciplinas ab Ecclesia catholica, et ab ejus clero esse profectas. Capitula Ecclesiarum cathedralium ab antiquis temporibus ex S. Sedis mandato instituerunt officium canonici *Scholastici*, ut Episcopi nomine scholas fundaret, ubi deessent, statis temporibus viseret, et ad omnem profectum extolleret. Primus Innocentius III *Universitates* nominavit, et opportunis regulis communivit, quas postea alii Pontifices Romani per se, vel per Legatos suos constabilire, et augere curarunt, quod de ipsa universitate Parisiensi evenisse, testis est Fleury in inst. jur eccl. tom. 1, c. 20, quodque ad totum orbem catholicum postea extensum fuisse satis ex historia constat. Bouix de judic. eccl. part. 1, sect. 3, c. 6. At vero respublica civilis Ecclesiæ nimium ingrata est, et continuo vias justitiæ subvertere nititur : unde Romani Pontifices primum per Concordata educationi, et institutioni in scholis, collegiis, et universitatibus consulere studuerunt; ac deinde hanc educationem et institutionem a civilibus guberniis *sæcularizzatam*, et *paganizzatam* solemniter damnavit Syllabus prop. 47 et 48.

769. In causis civilibus, quales sunt politicæ, temporales, et profanæ laicorum competens tantum est judex sæcularis ; nec ecclesiasticus potest in his se immiscere : nam quæ Cæsaris sunt, danda sunt Cæsari. Propterea Alexander III in causa cujusdam matrimonii mandavit Episcopis, ut cognoscerent de ejus validitate, et ut quæstionem possessionum temporalium potestati sæculari remitterent (1). Item Clemens XIII Curiæ episcopali Tuderti præcepit, ut laicum furti reum ab eadem inquisitum laico tribunali, nulla interposita mora, judicandum traderet (2).

(1) Cap. 7, qui fil. sint legit. — (2) Bul. *Præstat Romanum*, anni 1767.

770. In causis denique mixtis competens esse potest uterque judex, ecclesiasticus et sæcularis, propter relationem, quam habent ad Ecclesiam, vel ad civilem societatem. Juramentum ex. gr. est actus religionis, et simul vinculum, quo magis obstringuntur contractus : unde contractus juramento firmati subjiciuntur judici ecclesiastico propter religionem juramenti,

et judici sæculari propter obligationem stipulationis (1). Similiter crimina falsi, perjurii, sacrilegii, fornicationis, adulterii, stupri, blasphemiæ, et alia hujuscemodi, persequuntur ab Ecclesia propter peccatum, et a civili societate propter publicam vindictam (2). Quare in his causis uterque judex competens est, et ille sententiam dicit, qui alium in judicio prævenit, dummodo de clericis non agatur, quorum causæ a solo judice ecclesiastico, ut jam diximus, cognosci debent (3).

(1) Cap. 13, de judic. et cap. 3, de for. compet. Benedictus XIV, de Synod. l. 9, c. 9. — (2) Giraldus catalogum exhibet harum causarum, quæ mixtæ dicuntur, in appendice ad tit. de for. compet. quarum præcipuæ sunt sequentes : 1° contractus inter laicos initi, et juramento firmati ; 2° causæ viduarum, pupillorum, aliarumque miserabilium personarum, ubi certæ interveniant conditiones ; 3° executio legatorum piorum in testamento sæculari ; 4° causæ decimarum, et jurispatronatus, si agatur de nuda possessione ; 5° restitutio dotis in causa divortii ; 6° incessus clerici in habitu sæculari ; 7° injuria a laico irrogata clerico per violentiam ; 8° violatio dierum festorum ; 9° ludus damnatus ; 10° matrimonium contractum cum secunda, vivente prima uxore ; 11° perjurium ; 12° sacrilegium ; 13° reatus usurarum ; 14° concubinatus ; 15° reductio uxoris ad maritum, ipso petente ; 16° adulterium ; 17° stuprum ; 18° delictum falsi testis ; 19° falsificatio litterarum Apostolicarum a laico facta ; 20° blasphemia ; 21° convicium, seu maledictum contra superiorem ecclesiasticum. — (3) Cap. 20, de judic. et cap. 12, de for. compet.

771. Præter hucusque expositos modos, quibus judex fit competens, alii velut extraordinarii possunt numerari, uti est *prorogatio*, *continentia causæ*, et *reconventio*. Prorogatio, quæ licita erat ex jure Romanorum, et adhuc licita est ex jure canonico, tunc fit, cum partes mutuo consensu judicem cæteroquin incompetentem adeunt, ut exortam inter eas controversiam sua sententia dirimat ; sed non aliter admittitur, quam si in alium judicem ecclesiasticum de proprii Episcopi licentia fiat (1). Continentia autem causæ tunc datur, cum in quæstione principali alia incidit quæstio, quæ suapte natura ad alium judicem pertinet ; hoc casu judex in quæstione principali competens ob causæ continentiam, vel connexionem etiam in quæstione incidente competens fit, et de utraque cognoscit, ne causa dividatur, modo tamen capax sit exercendæ

jurisdictionis in ipsa quæstione incidente, non aut secus ; quare si inter agendam causam coram judice sæculari quæstio incidat de validitate matrimonii, aut de alia re spirituali, in qua non est jurisdictionis capax, nequit judex sæcularis ob causæ continentiam de quæstione istiusmodi cognoscere; sed eam debet judici ecclesiastico dimittere (2). Reconventio denique tunc habet locum, cum reus in judicio aliquid vicissim ab actore petit ex eadem, vel diversa causa, ut si compensationem, vel aliam proponat petitionem a legibus non improbatam : per reconventionem quidem in ipsa rei petitione judex fit competens, quia juris est principium : *Cujus in agendo eligimus arbitrium, ejusdem nequimus contra nos in eodem negotio judicium recusare* (3).

(1) Cap. 12 et 18, de for. compet. — (2) Cap 5 et 7, qui fil. sint legit. — (3) Can. 1, c. 3, q. 8. Quare ubi clericus laicum coram judice sæculari conveniat, nequit in causa temporali, et civili laici reconventionem effugere fori privilegium allegando : est enim reconventio quædam defensionis species, quæ reo convento, salva æquitate, adimi non potest ; aliter vero obtineret in causa spirituali, de qua judex sæcularis nequit cognoscere. Zallinger de mut. petit.

772. Postremo illud est notandum, quod ubi plures sint judices competentes, vel quæstio in judicio controvertenda sit mixti fori, ut pragmatici dicunt, locus est præventioni, ita ut ille debeat judex de causa cognoscere, sub cujus jurisdictione prima citatio perfecta fuit : nam per citationem perfectam jurisdictio in judice citante fit perpetua, et facile alia posterior etiam judicis competentis citatio facta, præventionis, aut litis pendentis exceptione, eliditur (1).

(1) Cap. 19, de for. compet.

TITULUS V.

DE LIBELLO, ET CITATIONE.

SUMMARIUM : 773. Libellus quotuplex sit, et qui conventionalis? — 774. Qui accusatorius? — 775. Quæ esse debeant conditiones libelli? — 776. Quando mutari, aut emendari queat? — 777. Citatio quid, et quæ ejus necessitas? — 778. Quomodo dividatur? — 779. Quæ debeant in ea observari? — 780. Quomodo judex ecclesiasticus eam emittat? — 781. Quando nulla sit? — 782. Quos effectus citatio legitima producat?

773. Judicium ordinarium a libello inchoatur. Libellus duplex est, *conventionalis*, vel *accusatorius*. Conventionalis definitur, *brevis scriptura, qua actoris petitio de facto, et de agendi fundamento clare, et distincte judici proponitur ad obtinendum quod sibi debetur;* et tribus constat partibus, nempe *narratione*, *causa petendi*, et *conclusione*. Narratio continet facti propositionem, rem, sive quantitatem petitam, nomen, cognomen, et patriam actoris atque rei; et insuper ex jure canonico nomen, sive officium judicis. Causa petendi indicat actionem, quæ tamen necessario exponenda non est proprio nomine, ut in jure Romano, sed sufficit allegare jus in particulari specie actori competens cum momentis rationum, et expressione titulorum, die, anno, ac auctore sufficienter determinato, ut reus de re a se petita recte certior fiat (1). Denique conclusio refert actoris supplicationem, ut reus citetur, et quatenus opus sit, damnetur ad aliquid dandum, aut faciendum, vel non : nam sententia inde proferenda debet esse libello conformis (2).

(1) Cap. 6, de judic. — (2) Solent præterea in libello quædam adjici clausulæ, quæ persæpe sunt inutiles, aut ex ipso jure supplentur ; illæ tamen de fructibus, interesse, usuris, et expensis utiliter apponuntur. Pellegrinus part. 2, sect. 1, subsect. 1, n. 8.

774. Libellus vero accusatorius *est delatio criminosi ad judicem in scriptis* (1) *ab accusatore facta, et continens propositum probandi delictum* (2) *ad criminis punitionem;* et constare debet duabus partibus, scilicet narratione, et obligatione probandi delictum : nam conclusio non est necessaria, quia pro pœna concludit lex, quæ nec augeri, minuive potest, in quo libellus accusatorius differt a conventionali. Narratio autem debet continere nomen accusatoris, accusati, et judicis, speciem delicti, locum, et tempus, quo patratum fuit. Obligatio autem probandi oritur tum ex eo, quod qui dicit tenetur probare, tum maxime ex eo, quod nisi accusator probaret, calumniator appareret, et ut calumniator foret damnandus (3).

(1) Can. 1, c. 2, q. 8. Scriptura redigenda est ab accusatore, vel saltem a Cancellario, quod ex communi consuetudine permittitur, nisi de levioribus accusatio fiat, in quibus scriptura absolute necessaria non est, uti communiter tradunt Doctores, quia in his proceditur de plano, ut dicunt, et non servato juris ordine. — (2) Ex hoc onere probandi delictum fluit differentia inter accusationem, et denunciationem, quia simplex denunciator non tenetur probare. — (3) Ex veteri Hebræorum lege, ex jure Romano et canonico accusator debebat ad acta se inscribere, vel subscribere, per quam inscriptionem se obligabat ad pœnam talionis, scilicet ad perferendam eamdem pœnam, vel similem, qua puniendus erat accusatus, si delictum probasset, et ad perseverandum in causa usque ad finem. Inscriptio, et pœna talionis instituta, ut calumniatores ab accusando absterrerentur. Sed hodie vera inscriptio, et pœna talionis non est amplius usitata : tum, quia ita retrahuntur homines ab accusando, et crimina manent impunita, cum pauci sint, qui velint in se recipere onus probandi cum periculo talionis ; tum quia judices ecclesiastici in criminum coercitione potiusquam per accusationem, soleant hodie per denunciationem, vel inquisitionem procedere, ita ut promotor fiscalis sustineat partes accusatoris. Pellegrinus part. 4, sect. 3, n. 8.

775. Libellus debet esse *clarus:* nam si sit obscurus, vel ineptus judicis officio rejicitur, et ex jure canonico non tenetur reus illi respondere (1) ; debet esse *simplex,* ne sua prolixitate cavillandi ansam præbeat, aut loquacitate injurias inferat; debet esse *justus,* ne plus, quam debitum sit, petatur (2). Hujusmodi conditiones requiruntur etiam, in memo-

riali, quod in causis minimis pro libello quandoque judici porrigitur.

(1) Cap. 2 et 3, de libel. oblat. et cap. 15, de judic. — (2) Plus petitio quatuor modis contingere potest : *re*, cum petuntur 30, et tantum 20 debentur ; *tempore*, cum petitur ante tempus, vel ante adimpletam conditionem ; *loco*, cum petitur extra locum, in quo quis debet ; et *causa* cum petitur res certa, quam reus non tenetur reddere. Cap. unic. de plus petit. Olim plus petens diversimode plectebatur ; hodie plus petens tempore condemnatur in expensas, et reus pro ea vice absolvitur, ita ut possit condemnari, actore instante, pro debito tempore ; plus petens re, loco, et causa debet acceptare, quod illi offert reus ; quod si nolit accipere, et judex nil aliud intelligat debitum, damnatur in expensas. Devoti l. 3, t. 5, § 5, seqq.

776. Post litem contestatam libellus mutari amplius nequit, nisi expensis omnibus solutis, quia per litis contestationem inter actorem et reum quidam fit quasi contractus de lite super proposito libello agenda. At emendari, aut declarari usque ad conclusionem in causa regulariter potest, quia emendatio ejusdem substantialia non attingit. Mutatur autem libellus, cum nova proponitur actio, aut nova petendi causa ; emendatur vero, cum resecantur superflua, aut dubia declarantur, aut petitio restringitur (1).

(1) Devoti 1, cit. § 7. Hinc qui aliquid in libello petit actione personali ; non potest in decursu judicii illud sibi vindicare actione reali, et qui petit fundum jure proprio, non potest illud obtinere jure hæreditario ; et vicissim qui petit, ut sibi solvantur centum, potest ad quinquaginta petitionem restringere.

777. Accepto libello, si nihil obsit, judex decernit citationem, quæ definitur, *actus legitimus, quo quis mandato judicis juris experiendi causa in judicium vocatur*. Propterea citatio quandoque etiam *in jus vocatio* dicitur; sed stricte loquendo altera ab altera differt : nam citatio reo, aliisque personis in qualibet judicii parte judicis tantum auctoritate fieri potest; in jus autem vocatio habet locum in solo judicii exordio, et veteri Romanorum jure privata auctoritate fiebat. Ad legitimum efficiendum judicium ex juris naturalis præscripto omnino

necessaria est citatio : nam jus naturale vetat, quempiam inauditum, et indefensum damnari. Hac de causa defectus citationis a pragmaticis dicitur insanabilis, et nullum, eo præexistente, redditur judicium. Facta tamen legitima citatione, ex jure canonico liberum est reo comparare, ac respondere per suum procuratorem, nisi fuerit ad personaliter comparendum citatus, quod judici non licet edicere nisi in quibusdam casibus ex rationabili causa (1). Propterea danda est reo citato copia libelli actoris, ut rite cognoscat petitionem (2), et concedendus est terminus deliberatorius, qui ex jure canonico est viginti dierum, et in praxi arbitrarius.

(1) Cap. 1 et 2, de judic. in 6. — (2) Cap. 1, de libel. oblat.

778. Citatio multis dividitur modis, nempe in *publicam*, sive *edictalem*, quæ ex aliqua justa causa publice fit per vocem præconis aut edictum, et *privatam*, quæ fit per nuncium, aut cursorem in personam, aut ad domum citandi ; in *verbalem*, quæ fit verbis per oblationem decreti judicialis, et *realem*, quæ facto constat in rei captura ; in *simplicem*, quæ tribus vicibus est repetenda, ut reus tamquam contumax possit ex jure canonico puniri, et *peremptoriam*, quæ licet sit unica ad dictum effectum æquivalet tribus ; ac denique in *generalem*, cum citantur omnes habentes in causa interesse, et *specialem*, cum unica, aut plures personæ singillatim, et specialiter citantur.

779. Ut citatio reum non comparentem reddat judicialiter contumacem debet esse prius per judicis decretum sancita, deinde per cursorem reo legitime denunciata, ac etiam quoad suam executionem ad acta debet esse transcripta, ut de eadem semper sufficienter constet ; debet etiam referre nomen et cognomen actoris et rei, nomen vel officium judicis, ex jure canonico, naturam causæ, locum judicii, ac terminum congruum et certum ad comparendum assignatum (1).

(1) Solent ex praxi canonica in fine citationis duæ apponi clausulæ : *item quod, etc.*, cujus effectus est, ut citatus a jurisdictione judicis non recedat, nisi relicto procuratore ; et alia : *alioquin, etc.* ; cujus est effectus, ut si recedat, non relicto procuratore, possit citari

per edictum, ac citatio ita facta perinde habeatur ac si fuisset reo personaliter tradita. Procurator autem relictus debet esse per judicem reperibilis ; nam licet prima citatio fiat in personam rei, cæteræ posteriores in personam procuratoris fiunt, quam ipse reus ad sua jura tuenda legitimo mandato instructum reliquit.

780. Judex ecclesiasticus citationi reali per se non utitur : non enim habet ministros, a quibus fiat ; edictalem vero citationem, nisi ex justa causa, quemadmodum supra monuimus ; nam inchoandum non est judicium a citatione edictali, nisi sit necessaria, et fieri nequeat in personam rei, vel ad ejus domum. Justa autem causa foret, si citandus cursoris perquisitioni malitiose se subduceret ; si locus, in quo facienda est citatio non esset satis tutus ; si citandus esset vagus et incertus ; et si citandi generaliter forent omnes habentes in aliqua causa interesse (1). Ubi autem citandus habeat domicilium in diœcesi alterius Episcopi, aut Principis, rogatoria datur epistola, ut per cursorem illius Curiæ, aut per officialem illius decretum citationis reo denuncietur (2).

(1) Clem. *Dudum* de judic., et Extrav. *Rem non novam* de dol. et contum. — (2) In civilibus nunc ex consuetudine unica tantum fit citatio, quæ debet esse peremptoria ; in criminalibus vero una regulariter non sufficit citatio ; et si reus non compareat secunda et tertia peremptoria facienda est. Nihilominus valet unica citatio pro tribus, quæ sit peremptoria, ut si dicatur in citatione : *Citamus peremptorie, ut intra terminum novem dierum compareat, etc., ita ut primi tres dies sint pro prima, alii tres dies pro secunda, et alii tres dies pro tertia citatione.* Pellegrinus part. 2, sect. 1, subsect. 2, n. 12, et part. 4, sect. 6, n. 6.

781. Tam actor provocans, quam judex citationem decernens ad actionem in libello propositam, et ad capacitatem standi in judicio sedulo debet advertere. Nam si actio nulla competat, vel sit omnino præscripta, vel nomine alterius absque mandato proposita, vel sit alia de causa inefficax, item si actor personam non habeat standi in judicio, vel reus nequeat conveniri, citatio non habet locum, quæ etiam facta nullius est juris.

782. Legitima citatio præter onus standi in judicio usque ad

finem litis ex parte actoris, et comparendi in judicium tempore statuto ex parte rei, tres veluti præcipuos parit effectus : 1° inducit præventionem favore judicis citantis adversus alios judices concurrentem habentes jurisdictionem, ita ut queat ille solus de causa cognoscere, et sententiam ferre (1) ; 2° infert litis pendentiam, cum in citatione ea omnia sunt expressa, per quæ reus plene potest instrui de iis, super quibus in judicium convenitur, et ideo in re controversa nihil potest amplius innovari (2) ; 3° interrumpit præscriptionem triginta annorum, quia per citationem reus constituitur in mala fide, ita ut ex eo tempore possit etiam cogi ad solvendum interesse. Effectus tamen hujusmodi non tribuuntur citationi illegitimæ ; nam illegitima citatio neque citatum constituit in mora, neque alios producit effectus, cum juxta Doctorum adagium : *Paria sint non citari, et non legitime citari* (3). Nihilominus si nulliter citatus sponte in judicium veniat ; ipsa citatio ita per ejus comparitionem confirmatur, ac si rite facta fuisset : quia citatio fit, ut citatus ad judicium veniat, et per consequens ubi reus præsens adest, cessat citandi necessitas. Quare post suam comparitionem nequit amplius reus de nullitate citationis excipere ; sed tenetur respondere libello, vel terminum ad comparendum petere (4).

(1) Cap. 19, de for. compet. — (2) Clem. *Cum lite* ut lit. pend. nil innov. — (3) Clem. *Causam* § fin. de elect. — (4) Citatione decreta, et oblata reo copia libelli, judex per decretum debet reo statuere terminum ad proponendas omnes exceptiones tam fori declinatorias, quam dilatorias, et omnes alias quascumque habuerit. Pellegrinus part. 2 sect. 1, subsect. 5, n. 22 ; et Devoti. l. 3, t. 10, §, 9, et in fin. tit. de except.

TITULUS VI.

DE LITIS CONTESTATIONE, ET CONTUMACIA.

SUMMARIUM : 783. Quid sit litis contestatio? — 784. Quotuplex sit? — 785. An ante litem contestatam testes possint examinari? — 786. Terminus probatorius et contumacia, et quando quis contumax fiat? — 787. Qui sint effectus contumaciæ actoris? — 788. Qui contumaciæ rei? — 789. Quomodo contumacia purgetur? — 790. In quo consistat personarum legitimatio? — 791. In quo juramentum calumniæ, et malitiæ?

783. Si reus citatus coram judice compareat, seque actoris petitioni opponat, litis contestatio fit; sin secus comparere recuset, fit contumax, vel in contumaciam incidit. Litis contestatio potest definiri *actus legitimus, quo actor coram judice proponit petitionem suam, reus autem negat, se cessurum petitioni, judicium, et litem in se recipiens* (1). Quare litis contestatio, quæ fundamentum est judicii, per actoris petitionem, eique contradictionem perficitur, et quasi contractum inter actorem et reum inducit, per quem uterque tenetur in judicio manere, et judicatum præstare. Hinc ex jure canonico nulla est litis contestatio: ubi reus coram judice comparens fatcatur pure se debere juxta principium: *Qui paratus est solvere, non cogitur judicium suscipere;* ubi actoris petitionem elidat aliqua exceptione litis finitæ, aut exceptione fori declinatoria (2), vel dilatoria; ubi factum judici narret, ut cum de negotio instruat cum protestatione de non contestanda lite: quo tamen ultimo casu adhuc erit videndum, an justam habeat litis non contestandæ causam, an non: nam si nulla sit litis non contestandæ causa, insulsa protestatio rejicitur, et litis pro contestata habetur (3).

(1) Devoti l. 3. t. 7, § 1. — (2) Cap. unic. de lit. contest. et cap.

1 et 2, ut lit. non cont. etc. — (3) Litis contestatio in criminalibus fit per interrogationem judicis, et responsionem rei, si citatus comparuerit ; secus ter citatur juxta jam dicta, et quarto etiam citatur ad contestandam litem. Pellegrinus part. 4, sect. 9, n. 55.

784. Litis contestatio potest esse *expressa* vel *tacita, pura* vel *conditionalis*. Expressa est, cum reus expresse contradici actori, et negat per actorem narrata esse simpliciter vera, au esse vera prout narrantur, ut si utatur hac formula : *Nego narrata, prout narrantur, et dico petita fieri non debere.* Tacita est, quæ inducitur ex facto, ut si, non obstante protestatione de qua supra, judex mandet procedi ad ulteriora. Pura dicitur cum fit simpliciter absque ulla conditione, aut protestatione Conditionalis denique dicitur, quæ fit, apposita aliqua conditione, aut protestatione ; ut si reus actori contradicens declaret, se nolle litem contestari, nisi actoris procurator prius se mandato legitimet.

785. Ante litem contestatam regulariter non licet testium depositiones recipere, aut sententiam definitivam ferre quod probatur ex rubrica tituli Decretalium, *ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.* Probationes quidem, et sententia omni debent carere effectu, cum litis contestatio fundamentum sit judicii, cumque ante litis contestationem nullum sit judicium, nulla lis. Dixi mus *regulariter*, nam actor in causa civili, etiam lite non contestata, potest producere testes senes, valetudinarios, et eos quorum est imminens diuturna absentia a patria, ne ob fortuitos eventus copia probationis subtrahatur ; quo casu judex tenetur horum testium depositiones recipere, quæ probationem afferunt, modo actor conveniat adversarium infra annum ex quo conveniri poterat, vel saltem illi testium receptionem denunciet (1). Sed reus potiori fruitur jure ; ipse profecto potest ad sui defensionem, atque securitatem a judice petere, ut omnes a se producti testes examinentur, ut dici solet, *ad perpetuam rei memoriam*, ne in casu inquisitionis illi desit defensio, aut exceptio in casu actionis contra ipsum propositæ (2).

(1) Cap. 5, ut lit. non contest. etc. — (2) Cit. cap. 5, et cap. 41, de testib.

786. Litis contestatione facta, judex ad instantiam partium, el ex officio terminum probatorium præscribit, qui in causis ivilibus communis est utrique parti, actori scilicet ad actio- em, et reo ad defensionem probandam. Hic terminus ex ure canonico est in arbitrio judicis, habito respectu ad loco- um distantiam, ad qualitatem personarum, et causæ. Cum uit statutus est peremptorius, etiamsi hæc qualitas non expri- natur. Nihilominus ex justa causa potest concedi secundus, et ertius terminus, præstito in secundo a petente juramento de usta impedimenti causa, et data pro tertio probatione adhuc najore; ultra vero tertium terminum ex eodem jure nova di- atio concedi non potest (1).

Contumacia deinde potest definiri, *contemptus, sive inobe- ientia, qua quis judici præcipiente, sive initio litis, sive in ejus rosecutione obtemperare recusat.* Quare contumacia dolum nvolvit, sive propositum contemnendi judicem, aut adversa- ium molestandi; qua de causa in Decretalibus hæc materia ractatur in titulo *de dolo, et contumacia.* Contumax autem fficitur, qui tribus vicibus citatus, aut semel peremptorie ad udicium venire detrectat (2); qui ad judicium primum venit, ed postea deserit, vel respondere recusat, aut ambigue tan- um respondet, aut frustratorie appellat (3); et qui impedit, ne ossit ad citatum pervenire citatio (4). Sunt tamen in jure anonico quædam causæ, quæ a contumacia excusare queunt, ti est morbus, locus non tutus, notaria judicis incompetentia, el aliud justum impedimentum (5).

(1) Can. *Inducix* §, *spatium* c. 3, q. 3, et cap. *Ultra tertium* de estib. Justæ autem causæ novi concedendi termini sunt: justum mpedimentum, suborta nova probatio, probatio impedita facto ad- ersarii, si agatur de consistorio Principis, vel Episcopi, si actor ddat aliquid in libello, si partes sint præsentes, nec contradicant i superveniat aliquod incidens, si agatur de absenti. Pellegrinus art. 2, sect. 2, subsect. 3, n. 3, et seqq. — (2) Cap. fin. de testib. — 3) Cap. et 8, eod. in 6. — (4) Cap. 5, ut lit. cont. etc. — (5) Contu- nacia a Doctoribus distinguitur in *veram*, et in *fictam*. Vera est, uando quis fuit personaliter citatus, vel in domo suæ habitationis, t citatio pervenit ad ejus notitiam, et ipse non comparuit; ficta uando quis latitat, ne citetur, vec impedimentum apponit, ne cita- io ad eum perveniat, vel quando quis fuit citatus in domo tribus

vicibus, et non fuit inventus. Qui tantum ficte contumax est, facilius auditur, et facilius suam purgat contumaciam. Cap. 18, de sent. et re judic. Pellegrinus part. 2, sect. 1, subsect. 3, n. 3 et 8.

787. Contumax esse potest tam actor, quam reus, et uterque, tam ante, quam post litem contestatam; sed gravior est actoris, quam rei contumacia, cum huic sit aliquantulum ignoscendum, qui cogitur naturaliter judicium formidare. Ideo si primum actor sit contumax, quia die et hora citationis cadentis sui copiam judici non facit, reus ante litem contestatam in judicium comparens suo est functus munere, et potest libere a judicio recedere; vel, si malit actoris contumaciam accusare, damna et expensas repetere, in quas est ipse actor damnandus, vel etiam agere ex lege *diffamari*, ac petere, ut actor peremptorie citetur, eoque absente, datis probationibus, ad sententiam definitivam procedatur, vel ut ipse reus ab actoris instantia absolvatur. Quin immo deinceps actor ex jure canonico non admittitur ad citationem repetendam, nisi præstita prius cautione de stando in judicio. Post vero litem contestatam, una facta citatione edictali, reus instare potest pro sententia definitiva, licet contumaciam non accusaverit, quia in decursu judicii, ut dicunt Doctores, omnes termini probatoriales sunt peremptorii (1).

(1) Cap. 2, de dol. et cont. et cap. 1, eod. in 6.

788. Secundo si reus sit contumax, ex jure canonico actor ante litem contestatam mittendus est in possessionem bonorum, de quibus est quæstio, quando de reali actione agitur; quando autem agitur de actione personali, mittendus est in possessionem bonorum mobilium ipsius rei contumacis, quibus deficientibus, in possessionem etiam immobilium; quæ possessio ex primo decreto confert actori tantum bonorum custodiam; sed si post annum, durante rei contumacia, alio judicis decreto renovetur, et firmetur, veram confert possessionem; quod statutum fuit, ut reus custodia bonorum suorum aut possessione privatus demum judici obtemperet (1). Post litem vero contestatam actor potest, accusata contumacia,

judicem ad sententiam proferendam provocare, si ejus intentio in actis satis sit probata; sin secus mittitur in possessionem, ut supra diximus (2). Sed excipiuntur ab hac regula causæ beneficiales, in quibus dicta possessio non admittitur, ne detur ad beneficia ingressus vitiosus (3).

(1) Cap. 5. § ult. ut lit. non cont. etc. et cap. 4, de eo qui mit. in poss. — (2) Cap. 4. de dol. et cont. — (3) Cap. unic. de eo, qui mit. in poss. in 6. Aliis præterea pœnis potest plecti contumax, sive actor, sive reus de quibus videndus Pellegrinus part. 2, sect. 1, subsect. 3, n. 11, et seqq.

789. Contumacia purgari potest per comparitionem in judicium ante prolatam a judice sententiam; at comparens non admittitur ad contumaciam purgandam, nisi solutis expensis prius in causa factis. Post sententiam vero a judice prolatam contumaci superest tantum remedium ordinarium appellationis, aut extraordinarium restitutionis in tempus (1).

(1) Circa contumaciam in causis criminalibus hæc præterea observanda sunt: 1° contumacia per accusatorem, vel Promotorem fiscalem omnino accusanda est; 2° multo plures sunt causæ quæ excusant a contumacia in criminalibus, quam in civilibus, quas affert Pellegrinus part. 4, sect. 8. et seqq.; 3° admittitur etiam extraneus sine mandato ad reum excusandum, et concedenda est in casu nova dilatio; 4° reus contumax potest damnari ad reficiendas expensas accusatori, potest pœna pecuniaria mulctari, potest suspendi ab officio et beneficio, potest etiam excommunicari, et si per annum in excommunicatione insordescat, haberi potest pro convicto; 5° potest privari beneficiis, et pensionibus ecclesiasticis; 6° judex volens dictis pœnis reum contumacem mulctare, debet prius eum citare ad allegandum quare mulctari non debeat. Pellegrinus loc. cit. n. 22, et seqq., qui alias indicat pœnas, quibus postest reus contumax mulctari.

790. His breviter expositis, de duobus adhuc agendum, quæ proxime ad jam dicta referuntur. Primum consistit in legitimatione personarum in judicio. Hæc legitimatio nihil videtur esse aliud, quam probatio qualitatis, quam quis in judicio suscipit: ideo enim legitimatio requiritur, ut qualitates in libello assumptæ demonstrentur; aliter judicium firmo careret funda-

mento, cujus defectu omnia acta corruerent. In judicio autem quis consistit aut *jure proprio*, aut *jure alieno*. Cum quis est in judicio jure proprio, et ex actis satis liquet, eum habere personam standi in judicio, circa suam personam nulla indiget legitimatione; cum vero quis est in judicio jure alieno, uti principalis, tamquam creditoris hæres debet docere de qualitate hæreditaria, deque ejus legitimo et sufficienti titulo; et si sit in judicio jure alieno tamquam procurator, debet diligenter prospicere mandatum, sub quo agit, an procedat a lege, vel ab homine, v. g. pater pro filio sub ejus potestate existente, aut maritus pro uxore, vel si mandatum procedat ab homine, ut collatum in scriptis, an sit sufficiens, nec ne: multa enim sunt, in quibus generale non sufficit, sed speciale, vel judiciale mandatum requiritur (1).

(1) Targa cap. 17, de legit. pers. De Luca disc. 12, de judic.

791. Secundum consistit in juramento calumniæ, quo partes litigantes post litem contestatam jurant, se non calumniæ causa, sed juris competentis fiducia litem agere; ita ut in toto judicii cursu vera tantum et necessaria dicant, falsas fallacesque probationes, ac versutias ad judicem fallendum, judicinmque protelandum devitent. Hinc differt a juramento malitiæ: quia illud generale est ad totam causam; hoc vero speciale ad aliquem tantum actum. Ex juris canonici sanctione cum a parte adversa petitur, aut a judice imponitur, calumniæ juramentum est præstandum: aliter actor causa cadit, et reus pro confesso habetur; sed penes nos a praxi judiciorum hoc juramentum recessisse videtur; non tamen propterea mea sententia ille damnandus judex, qui a parte petitum ex justa causa probat, aut imponit ex officio, cum sanctus sit hujus juramenti finis arcendi fraudes, et præcavendi dolos (1).

(1) Doctores ad tit. de juram. calum.

TITULUS VII.

DE PROBATIONIBUS.

SUMMARIUM : 792. Quæ in judicio sint probanda ? — 793. Quid sit probatio, et quotuplex? — 794. Quotuplex confessio? — 795. Quot conditiones requirat confessio judicialis? — 796. In quo positio consistat? — 797. Quando positio non admittatur? — 798. Quæ observanda circa articulos, et interrogatoria? — 799. In quo conveniant, et discrepent articuli a capitulis? — 800. Quæ sit confessionis extrajudicialis vis?

792. Ut supra in titulo III jam observavimus actor in sua petitione, et reus in sua exceptione tenetur, intentionem, facta, et fundamenta in judicium a se deducta probare (1). Hæc regula in factis, sive fundamentis positivis sine limitatione procedit; in negativis vero distinguendum est inter negationem puram, quam alii dicunt *indefinitam*, et coarctatam a jure vel facto, quam alii *definitam* appellant. Hæc a jure coarctata habetur, cum actio, vel exceptio negatur a lege prohibita; et coarctata a facto, cum negatio non cadit in facti substantia, sed in ejus adjunctis, sive circumstantiis loci, temporis, aut personarum. Jam vero negatio pura nulla indiget probatione, immo nec probari aliqua ratione potest, *cum per rerum naturam factum negantis nulla sit directa probatio*, ut sonat utriusque juris principium (2). Sed negatio coarctata tum per actorem, tum per reum probanda est, si præbeat actionis, vel exceptionis fundamentum (3).

(1) Si enim actor intentionem suam, vel accusator etiam Promotor fiscalis delictum propositum non probat, reus absolvendus est, quamquam ipse nihil præstiterit, quia justitia naturalis ita requirit. Can. 1, c. 6, q. 5. Cap. ult. de juris. Similiter si reus exceptionem suam non probat, exceptio nihil illi prodest, tamquam si facta non fuisset; quia reus in sua exceptione fit actor. Citata prima regula exceptionem patitur, si in casu militet præsumptio juris. Cap. 2, de

rest. spol. in 6. Utraque vero regula exceptionem patitur in judiciis duplicibus, ut in communi dividendo, in quibus tum actor, tum reus debet intentionem suam probare. Cap. 3 et 9, de probat. — (2) Cap. 23, de elect. et l. 23. Cod. de probat. — (3) Cap. 5, de renunc.

793. Probatio potest definiri, *actus judicialis, quo judici per argumenta legitima facti, vel juris controversi veritas demonstratur*. Argumenta possunt esse certa, vel probabilia : si certa probationem *plenam*, aut perfectam efficiunt (1) ; si tantum probabilia, probationem exhibent *semiplenam*, aut imperfectam, quæ adhuc juxta Doctores esse potest semiplena major, aut semiplena minor, prout magis, aut minus ad plenam probationem accedit. Neque hæc distinctio ideo repudianda videtur, quod semiplena probatio nulla sit probatio, ut Cujacius habet : nam ipsa semiplena probatio judicis animum movet, et licet sola ad controversiæ decisionem non prosit; prodesse tamen potest aliis adminiculis concurrentibus (2); quin immo etiam sola sufficit, ut judex queat, aut actori, aut reo semiplena probanti juramentum deferre, de quo infra agemus (3). Præterea probatio dividitur in *directam*, et *indirectam*. Directa appellatur, cum quid ex sua causa probatur, ut si quis petens hæreditatem ex testato afferat testamentum, vel repetens mutuum afferat ejusdem mutui instrumentum ; indirecta vero dicitur, cum quid ab absurdis, vel ab adjunctis locorum, temporum, et personarum probatur, ut si quis probet *alibi*, ut cum probat, se tali die Genuæ non contraxisse, quod Londini moraretur, vel Titium non esse sub patria potestate, quod fuerit a patre emancipatus. Denique dividitur in probationem *ex lege*, et probationem *ex facto*. Illa innititur legis dispositioni, quam actor in agendo, et reus in excipiendo allegat ; hæc vero eruitur ex actibus hominum, uti ex confessione partium litigantium, ex instrumentis, ex testibus, ex juramento, et ex præsumptionibus. De probationibus ex lege egimus in toto cursu Institutionum nostrarum : superest proinde, ut aliqua de probationibus ex facto adjungamus, quarum prima est partium confessio.

(1) Probatio plena est, quæ ita evidenter rem demonstrat, ut nulla amplius sit demonstratione opus. Gravior tamen requiritur in cri-

minalibus, quam in civilibus, quia in illis agitur de personis, in istis vero de rebus. Ex hoc colligitur : 1° probationes in criminalibus ad pœnam inferendam esse debere luce meridiana clariores. Can. *Sciant cuncti* c. 2, q. ult.; 2° probationes factas in judicio civili plenam non facere fidem in criminali, sed valere tantum ad inquirendum. Pellegrinus part. 4, sect. 3, n. 80. — (2) Arg. 13, de probat. et cap. 32, de simon. — (3) Devoti l. 3, t. 9, § 3, in not.

794. Confessio hic accipitur pro declaratione, qua reus actoris intentionem, vel actor rei exceptionem admittit. Est autem duplex, nempe *judicialis*, quæ fit in judicio, et *extrajudicialis*, quæ extra judicium fit. Maximum quidem est pondus confessionis judicialis : nam, ut loquuntur Doctores, *nulla melior probatio, quam proprii oris confessio* (1). Hoc sane modo nedum adversarius relevatur ab onere probationis; sed qui confitetur, quodammodo sua sententia damnatur; et ideo tamquam judicatus habetur, ut nequeat ulterius appellare (2). Propterea confessio judicialis irrevocabilis est postquam legitime fuit emissa, excepto casu erroris in facto, in quo usque ad sententiam, probato errore, revocari potest (3).

(1) Cap. *Per tuas* de probat. et cap. *Si cautio* de fid. instrum. — (2) Cap. 61, de appel. l. 1, ff. de confes. l. 1. cod. eod. — (3) Cap. fin. de confes. Hoc novissime decrevit Pius VII, in bul. *Post diuturnas*, ubi in § 118, n. 31, confessionis revocationem damnat, nisi revocans doceat de errore, et causa erroris.

795. Inter conditiones, quæ judicialem confessionem debent comitari, tres sequentes numerantur : 1ª requiritur, ut confitens tum natura, tum lege habeat confitendi facultatem, quia juxta Doctorum effatum, *qui non potest donare, non potest confiteri*; 2ª requiritur, ut confitens quidquam declaret contra se, nam non prodest facta confessio pro se, et contra alium, quia repugnat, ut quis sua confessione sibi queat facere debitorem, et aliunde *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri* (1); 3ª requiritur, ut confessio fiat coram judice competente, saltem ratione materiæ, aliter effectum confessionis judicialis non haberet, sed tantum extrajudicialis : nam sicut sententia a non suo judice lata non tenet, ita nec facta con-

fessio coram ipso [illegible] (2). Notandum ulterius quod in causa civili confessio judici alis ad instar juramenti dividi nequit, et proinde vel integra acceptanda est, vel ex integro repudianda.

(1) L. 75, ff. de reg. — (2) Cap. 4, de judic.

796. Cum ad simplicem actoris petitionem, sive rei exceptionem adversa rii confessio nequit obtineri jus, subministrat medium ad eam . eliciendam veluti ex invito adversario, qui in ea salebra ponit ur, ut confitendo, vel mentiendo debeat sese onerare. Hoc au tem per positiones obtinetur (1). Positio consistit in assertion e alicujus facti ad causam pertinentis, quæ ab uno ex litigan tibus in judicio proponitur, ut eidem adversarius concedenc lo, vel negando respondere teneatur ; cui si non respondeat, t amquam confessus habeatur (2). Positio deinde hoc videtur d lesignata nomine, quia qui eam facit, aliquid ponit ut verum vel notorium, et de eo adversarium interrogat, an ipse quoque ut ver um, vel notorium admittat (3).

(1) Mos erat Romanor um, ut Prætor deberet actoris ad reum interrogationis audire, ut p atet ex titulo Digestorum, *de interrogationibus in jure factis, etc.*; s sed hoc speciale erat in causa possessionis, et reali. Jus vero canonicu m interrogandi praxim admisit tam pro actore, quam pro reo, tam in actione reali, quam in actione personali, modo interrogationes proponerentur sub forma positionum ; quod inductum est, ut agnc sceretur, quid in causa tam actor, quam reus concederet, et quid nega ret, quodque probandum remaneret. Ex qua praxi a jure canonico inc lucta, et postea a jure civili recepta maxima emersit utilitas ad cele riorem et simpliciorem causarum expeditionem. Cap. 54, de elect . cap. unic. de lit. contest. et Clem. *Sæpe* de verb. signif. Nam cog nito, quid pars adversa confiteatur, in eo evanescit probationis onus , et tantum probandum restat, quantum pars adversa negat. Insupe r si petitio, vel exceptio alio modo probari non possit, quia desunt scripturæ, et testes, vel quia agitur de facto personali, hoc medium a ptissimum est ad veritatem dignoscendam. — (2) Cap. 1 et 2, de confess. in 6. Judex debet singulas positiones inspicere, et suo decreto obscuras, captio sas, dubias, et ad rem non facientes resecare, alias vero admittere, eas que alteri parti ad respondendum proponere, quæ respondere debe t per verbum, *credo*, vel *non credo esse verum*, saltem, *ut proponitur*, vel *ad affectum, ad quem proponitur*. Si vero respondere noluerit, convictus judicatur. Olim positiones, et responsiones fiebant cum juramento ; quod ho-

dierna plurimarum curiarum consuetudine non amplius adhibetur ; sed ut olim, ita nunc positiones, et responsiones dari debent a principali, vel a procuratore ad hoc speciali mandato instructo. Pellegrinus part. 2, sect. 2 subsect. 4. — (3) Præter interrogationes per positiones in praxi judiciaria adhibentur etiam interpellationes ; sed positio ab interpellatione differt : nam qui aliquid in judicio ponit, id confitetur, ita ut nequeat amplius suam confessionem revocare ; qui vero simpliciter interpellat, interrogationem exhibet, sed factum non confitetur, et idcirco postest adhuc interrogationem variare. Præterea adversarius positioni omnino respondere tenetur sub pœna, ut dicunt Pragmatici nostrates, *di corsa pronuncia*, sive tacitæ confessionis ; non item interpellationi simplici, quam potest etiam impune negligere, nisi terminus ad respondendum sit a judice præfinitus. Cap. 2, de confes. in 6 ; et Pellegrinus loc. cit. n. 22.

797. Positiones respiciunt facta, et non jura ; et ideo admitti nequeunt positiones juris, sive de interpretatione legis. Consuetudo tamen in positionem legitime deducitur, quia licet jus faciat, in se est aliquid facti, et in facto consistit (1). Sed insuper facta esse debent ad causam pertinentia : unde positiones impertinentes a judice rejiciuntur, vel in dubio ex jure canonico admittuntur cum clausula, *salvo jure impertinentium, et non admittendorum.*

(1) Cap. 1, de consuet. in 6.

798. Positionibus per adversarium negatis, qui eas proposuit, in articulos reducere tenetur (1). Articuli autem sunt partes intentionis, aut facti determinati in judicium adducti id continentes, quod quis probare intendit, et habent locum tum in præmisso casu, tum in casu, quo nullæ factæ sint positiones (2). Post articulos deductos ex parte actoris, possunt alii deduci ex parte rei in materia contraria, qui omnes vocantur *comprobatorii* actionis, vel exceptionis, immo et post articulos comprobatorios possunt alii deduci, qui *additionales* appellantur (3). Ubi vero dati et admissi sint articuli, eorumque probatio facienda sit per testes, pars adversa dare potest testibus interrogatoria, quæ nihil aliud sunt, quam propositiones super articulis secundum varias circumstantias compositæ, quas ad-

versarius proponit testibus contra se productis, ut super singulis iidem testes interrogentur, ac respondere teneantur. Sed si interrogatoria data non sint, valet testium examen super articulis (4).

(1) Datis positionibus, et ad easdem factis responsis, litigans agnoscit, quid sibi restet probandum. Hoc in articulis redigit, sive in brevibus et distinctis propositionibus, quas tenetur probare. Hinc differunt articuli a positionibus : 1° in eo, quod hæc referuntur ad partium confessiones, illi autem ad capita in discussione relicta, et adhuc probanda; 2° in eo quod ponens fatetur. quod ponit, sed articulans proprie non fatetur, nisi articulis adjecerit juramentum. At observandum, ipsas positiones ab adversario negatas in articulos converti a ponente probandos; immo jungi possunt positiones cum articulis, et in praxi hoc fit, cum petens ita dicit : *ponit, et probare intendit, etc.* Quod maxime in judiciis summariis locum habet, quo casu indiscriminatim appellantur positiones, sive articuli, quia de utrisque participant. Pellegrinus 1, c. n. 13, et subsect. 5, n. 17. — (2) Articuli multa arte elaborandi sunt, dum super iisdem vertitur omnis discussionis cardo, vis probationis, et causæ victoria. Debent esse clari, simplices, desumpti ex substantibus libelli, intra terminum probatorium præsentati, a decreto judicis admissi, qui irrelevantes, impossibiles, impertinentes, et inverosimiles ad partis instantiam, vel ex officio resecare tenetur. Pellegrinus loc. cit. — (3) Cap. 25, de testib. Sed ab his articulis differunt capitula objectionalia, quæ proponuntur ad testes reprobandos. — (4) Data interrogatoria a judice inspicienda, et probanda, vel ex justa causa resecanda sunt. Copia articulorum datur reo, sed copia interrogatoriorum non datur, ne testes examinandi subornentur, qui prius super interrogatoriis, et deinde super articulis examinandi sunt. Ubi vero nulla data sint interrogatoria, testes examinantur tantum super articulis, modo pars adversa citata fuerit ad danda interrogatoria, et ad videndum jurare testes. Pellegrinus loc. cit. n. 24 et seqq.

799. In causis criminalibus positiones, et articuli aliam denominationem accipiunt, et vocari solent *capitula,* quæ proinde nihil aliud sunt, quam positiones, et articuli in causa criminali ab accusatore, vel a Promotore fiscali propositi ad reum inquisitum de crimine convincendum per ejus confessionem, vel per testes, vel alio modo (1). Consequenter quæ supra dicta sunt de positionibus, et articulis, etiam capitulis aptanda sunt. Duæ tamen in praxi observantur differentiæ : 1ª in articulis regulariter producuntur nomina testium desuper examinando-

rum, non item in capitulis (2) ; 2ª articulos proponit tam actor, quam reus, sed capitula proponit tantum Promotor fiscalis, non vero reus inquisitus, qui tantum exhibet articulos defensorios (3).

(1) Cap. *Qualiter et quando* de accusat. — (2) In exhibitione capitulorum non nominantur testes, quia facta adhuc non supponitur processus criminalis legitimatio, sine qua nec judicium est, nec potest sententia ferri ; quia processus legitimatio tenet locum contestationis litis. Constructo enim via inquisitionis processu informativo, reus vocatur ad constitutum, vel ad subeundum examen, et processus non dicitur legitimatus, nisi reus declaret, se habere testes in processu informativo examinatos pro rite examinatis, vel alias fiat testium repetio, vel ipse fiat contumax. Pellegrinus part. 4, sect. 9, n. 56. Jam vero irregulare foret nominare testes ante processus legiti mationem, cum possit reus delictum confiteri. Si vero processus legitimatio jam facta sit, et post ipsam capitula a Promotore fiscali exbeantur, nil prohibet nominare testes ; immo expedit id facere, et dare reo copiam capitulorum cum designatione testium, ut possit se defendendo opponere quidquid sua interesse putaverit, tam contra capitula, quam contra personas testium. — (3) Id procedit, quando accusator est Promotor fiscalis : si enim foret alia persona privata, reus posset capitula contra accusatorem proponere, ut se defenderet a calumnia, quæ timeri potest in persona privata, non in publica, quæ officium religiosum Ecclesiæ præstat, cujusmodi est Promotor fiscalis.

800. Confessio denique extrajudicialis multo minorem habet vim, quam judicialis; siquidem interdum plene probat, interdum semiplene tantum, et interdum nullam facit probationem, ut si coram adversario verbis tantum facta sit, aut coram extraneo, qui ad secretum servandum tenetur. In specie tamen distinguendum est inter confessionem extrajudicialem factam verbis, et factam scriptis. Illa ex canonistarum praxi potest etiam plenam efficere probationem, si coram adversario, atqué idoneis testibus emissa sit : hæc vero facta scriptis, veluti per epistolam, aut chirographum, aut instrumentum, etc., regulariter tantam habet vim, quanta in eadem re tribuenda est documento, a quo refertur. Unde statim de instrumentis agimus, quæ confessionem exhibere possunt a persona factam, cui opponuntur, aut ab ejus auctore.

TITULUS VIII.

DE INSTRUMENTIS, ET TESTIBUS.

SUMMARIUM : 801. Quid sint instrumenta, et quomodo dividantur ? — 802. Instrumenta publica plenam fidem faciunt. — 803. Quando privata plene probent? — 804. Quomodo instrumenta sint judici præsentanda ? — 805. Quid requiratur in testibus, et quam auctoritatem habeant ? — 806. Quot requirantur testes ad plene probandum ? — 807. Quæ observanda in examine testium ? — 808. Quomodo examinandi testes probatorii, et reprobatorii, et qui tales dicantur ? — 809. Quæ observanda circa repulsas testium, et qui a testimonio ferendo repellantur? — 810. Qui sint periti, et quomodo eligantur ? — 811. Personalis judicis inspectio quando habeat locum ?

801. Instrumenta proprie dicta sunt scripturæ a publica persona ratione publici officii, et cum statutis a jure solemnitatibus confectæ. Nihilominus scripturæ a privata persona factæ sæpe instrumentorum nomine donantur; unde oritur distinctio inter instrumenta *publica*, et *privata*. Ad publica pertinent instrumenta tabellionum, acta judicialia, acta status civilis, et acta aliorum publicorum officialium, sive ministrorum, qui de re ad proprium officium, sive ministerium attinente legitime fidem faciunt. Ad privata vero instrumenta referuntur epistolæ missivæ, chirographa manu privata scripta, apochæ liberatoriæ eodem modo factæ, inventaria domestica, libri rationum familiarium, libri mercatorum, etc.

802. Publica instrumenta ex legitima auctoritate, et solemnitate facta omnem merentur fidem, et in judiciis plene probant. Illud tamen ad hoc requiritur, ut exhibeantur authentica, sive autographa, nulloque infecta vitio : nam copiis, sive exemplis non authenticis minime creditur, et veris etiam instrumentis vitiatis aut nulla, aut suspecta est fides (1), sicut inferius melius expendemus.

(1) Cap. 1, 6 et 16, de fid. instrum.

803. Instrumenta privata cum privata condantur auctoritate regulariter sola ad probandum non sufficiunt. Sec hæc communis utriusque juris regula plures patitur limitationes, ut sunt sequentes : 1° instrumenta privata probant contra scribentem : sunt enim scribentis confessiones veluti permanentes ; verum ad hoc necesse est, ut ab ejus auctore recognita sint, aut in judicio verificata, et probata, simulque eorum causam contineant (1) ; 2° instrumenta privata plene probant, uti instrumenta publica, ubi agatur de contractu mutui, societatis, et venditionis mercium, rerum mobilium, et se moventium, de contractu locationis ad breve tempus, de apochis pensionum, canonum, aliarumque annalium perceptionem, de contractu sponsalium (2) ; 3° instrumenta privata, sive scripturæ mercatorum ad plene probanda inter mercatores gesta admittuntur (3).

(1) Cap. 14, de fid. instrum. — (2) Quoad hæc tamen sunt leges, et consuetudines regionum observandæ. Cap. *Cum dilectus* de fid. inst. Devoti l. 3, t. 9, § 22. — (3) Scripturæ in judicio regulariter præsentandæ sunt in termino probatorio, et ante conclusionem in causa, cap. cit. et cap. *fere* de testib. Sed si præsententur etiam post conclusionem in causa, adhuc a Cancellario recipiuntur ; verum ponuntur extra processum ad judicis instructionem, non ad probationem. Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 5, n. 13. Regulariter scripturæ nequeunt peti ab adversario, quia *non sunt desumenda arma de domo rei*, nisi de scripturis communibus agatur. Cap. 1, et 12, de testib.

804. Ad fidem in judicio faciendam instrumenta præsentanda sunt authentica, ut jam diximus, vel legitime exemplata (1), vera, et falsitatis non suspecta (2), integra (3), et nullo modo vitiata (4) ; aliter per oppositionem, et vitii exceptionem nulla eorum vis reddi posset, et tamquam sarcinæ inutiles considerari, haberique possunt. Hinc ad instrumentorum verificationem post eorum productionem ad acta pars adversa citanda est ad ea videnda, et ad opponendum quidquid sua interesse putaverit.

(1) Dicuntur instrumenta exemplari, cum ob vetustatem a judice

rite inspecta jubentur a Notario renovari. Cap. 16, de fid. instr. et cum notarius copiam ex originali efformat, eamque sua auctoritate firmat. Cap. 1 et 16, eod. — (2) Ex pluribus capitibus instrumenta falsitatis suspecta esse possunt; sed maxime si scriptura antiqua ex charta, characteribus, vel aliis signis recentioris datæ appareret; et si contrarietatem in se, vel cum aliis instrumentis comprehenderet. Cap. 13, eod. — (3) Ob integritatis defectum non probant instrumenta abrasa, vel deleta in loco substantiali, ut in data, in nomine partium, et in re, de qua agitur. Cap. 3, eod. cap. 7, de relig. domib. et cap. 14, de privil. Abrasio vero, et deletio in aliqua parte non subsantiali ex communi Doctorum sententia instrumenta in toto non vitiat, quia per accessorium non corruit principale. Cit. cap. 3, de fid. inst. — (4) Si scriptura aut propter antiquitatem, aut propter defectum scribentis ita obscura, vel male digesta sit, ut legi recte, et intelligi nequeat etiam ab antiquitatis peritis, instrumentum tamquam vitiosum non probat. Cap. 6, eod. Postillæ tamen rite factæ non vitiant.

805. Post instrumenta, quæ mortuæ voces appellantur ab Accursio, vivæ sequuntur voces, quas reddunt testes, sive personæ fide dignæ ad veritatem facti controversi ostendendam adhibitæ; quæ tanta præditæ esse debent scientia, ne decipiantur ipsæ, tantaque probitate, ne decipiant alios. Ex jure canonico maxima est auctoritas testium, ita ut instrumentorum auctoritate prævaleat; nam per legitimas testium depositiones instrumenti vis eliditur (1): quod eam ob causam fuit sancitum, quia instrumenta sunt testationes mutæ, et surdæ, quæ interrogatæ non respondent, cum ex adverso testium probatio semper loquitur, ratiocinatur, et sæpius interrogata respondet (2).

(1) Cap. 5, de probat. et cap. 10, de fid. instr. (2)— Sed aliter se res habet ex jure novo civili, juxta quod prævalet fides instrumentorum testium auctoritati: quod statutum fuit, quia mala hominum fides, atque improbitas nimium dominatur late, et quia auctoritas publica debet superare privatam. Quare non admittitur testium depositio contra, aut ultra instrumentum publicum, salva inscriptione, sive querela falsi. Immo generaliter non admittitur ab hoc jure testium probatio ad conventiones firmandas, nisi agatur de parvo valore, aut de re mercatoria, aut de contractu, in quo cadat scriptura privata, aut de aliis similibus determinatis casibus, qui a jurisconsultis civilibus evolvuntur.

806. Ad plenam probationem efficiendam duo, vel tres legitimi testes sufficere possunt juxta illud Evangelii : *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum* (1). Sed hoc non impedit, quominus interdum a jure plures requirantur testes, ut in casu divortii per impotentiam, in quo necessarium esse potest testimonium septimæ manus, vel septem testium propinquorum (2), et in casu purgationis canonicæ juxta jam dicta. Similiter non impedit, quominus liceat partibus ad quid probandum majorem testium numerum afferre, non tamen ultra 40, ex jure canonico (3), quos ipsæ partes super eisdem articulis possunt producere simul, vel pro secunda, aut tertia vice, non pro quarta, nisi observata juris solemnitate (4). Unius vero testis quamquam legitimi depositio regulariter plenam probationem non facit (5), quod extenditur ad plures testes, quando sunt singulares, id est singuli de diversa re, aut facto testantur, ut late explicat Reiffenstuel (6).

(1) Cap. 23, de testam. — (2) Cap. 5 et 7, de frig. et malef. — (3) Cap. 37, de testib. — (4) Cap. 15, 36 et 55, de testib. — (5) Cap. 23, eod. — (6) De testib. § 8 et 9.

807. Testes ad probandum designati per judicem citantur (1), ut pro subeundo examine ad suum comparcant tribunal, nisi expediat alteri judici eorum examen committere, aut ratione dignitatis, vel infirmitatis, vel alia justa causa debeat judex ad eorum domum accedere (2). Testium citatio requiritur, nam testes ultranei fiunt suspecti ; item requiritur notificatio parti adversæ facta de loco, et tempore examinis, ut queat juramento testium assistere, et contra eos exceptiones formare (3). Postquam vero omnes testes etiam simul coram judice, et adversario veritatis dicendæ juramentum emiserunt, cum testibus non juratis non credatur (4), singillatim et secreto, remotis partibus, a judice cum notario suo super respectivis interrogatoriis, et articulis ordinatim examinantur, et debent viva voce etiam vulgari, non autem scriptis, respondere causamque scientiæ afferre, ut puta, quia factum controversum viderunt, aut verba audierunt. Si vero ex aliorum tantum narratione, quin ipsi viderint, aut audierint, testimonium ferant,

testes dicuntur *de auditu auditus*, vel de *auditu alieno*, et regulariter fidem non faciunt (5).

(1) Citatio obligationem importat ante judicem comparendi ; sed testes ex jure canonico ad testimonium ferendum regulariter cogi non debent, ut eruitur ex cap. 1 et 3, de test. cogend. vel non. Hæc tamen regula exceptionem patitur : 1° si testis odio vel gratia, vel timore testimonium dicere renuat. Cap. 1, eod.: 2° si alia desit probatio. Cap. 1, et ult. eod. His quidem casibus laicus cogitur per excommunicationem, et clericus per suspensionem. Cap. 2, eod. — (2) Cap. 8, de testib. — (3) Cap. 2, eod. Excipe tamen, si testes in causa criminali examinentur pro informatione Curiæ, in quo casu examinantur statim post denunciationem, non citata parte, quod inductum est, ne queat reus testes subornare, vel fugam capescere. Pellegrinus part. 4, sect. 4, n. 1 et 3. — (4) Cap. 51, de testib. — (5) Can. 15, c. 3, q. 9.

808. Recepta per judicem, et in scripturam per ejus notarium redacta testis responsio est eidem legenda, ut videat, an debeat aliquid in fine adjungere, aut detrahere, aut mutare, salva manente prima scriptura cum apposita nota ; est etiam per judicem, ipsumque testem subsignanda : et inde, sic examinatis testibus probatoriis, et reprobatoriis (1), omnium depositiones usque ad earum publicationem clausæ penes judicem asservandæ sunt, ne ad partium notitiam perveniant. Facta vero harum depositionum publicatione, regulariter non licet amplius alios testes audire super iisdem articulis, vel directe contrariis (2).

(1) Testes dicuntur *probatorii*, qui ad causam principalem probandam super articulis comprobatoriis, vel additionalibus producuntur, et *reprobatorii*, qui super capitulis objectionalibus producuntur contra alios testes probatorios, vel reprobatorios ad eorum inhabilitatem demonstrandam ; ita ut liceat reo, semel reprobare testes actoris, et huic iterum semel testes rei, et non ultra. Cap. 49, de testib. — (2) Cap. 15, 17, 18, 31 et 49, de testib.

809. Contra testes ex adversa parte productos dantur exceptiones, sive repulsæ, quarum aliæ contra eorum personas, et aliæ contra ipsorum responsa diriguntur ; sed illæ ante publicationem attestationum sunt proponendæ, paucis ex jure canonico exceptis casibus (1) ; illæ vero usque ad conclusionem

in causa possunt proponi. Repulsæ contra testium personas habent locum, quando testes a natura, vel a lege reprobantur. Natura reprobantur amentes, furiosi, infantes: lege autem canonica in causa civili possunt reprobari testes, vel propter defectum personæ, ut in impuberibus; vel propter notam infamiæ, ut in criminosis (2); vel propter suspicionem subornationis, ut in illis, quibus pro ferendo testimonio aliquid datum, vel promissum fuit, maxime si sint pauperes (3); vel denique propter studium partium, ut in hæredibus præsumptivis, in donatariis, in advocatis, et procuratoribus partium (4); in illis, qui habent causam similem (5), in clericis quoad causam propriæ ecclesiæ, quando eis singillatim aliqua obvenit utilitas (6), in conjugibus, in consanguineis, in affinibus, in domesticis, in debitoribus, et creditoribus, etc (7). Repulsæ vero contra testium responsa habent locum, quando testes non fuerunt legitime examinati, et quando eorum dicta sunt sibi contraria, aut repugnantia, aut obscura, aut incerta, aut ad causam, vel articulum non pertinentia, ad quem probandum fuerunt testes inducti (8).

(1) Hi casus notuntur in cap. 31, de testib. — (2) Horum catalogus describitur in can. 9, c. 3, q. 5, et can. 17, c. 6, q. 1. — (3) Can. 3, c. 4, q. 3. — (4) Cap. 3, de testib. in 6. — (5) Cap. 20, de testib. — (6) Quia nemo in causa propria testis esse potest. — (7) Can. 1, c. 3, q. 5, can. 18, c. 3, q. 9, et can. 3, c. 4, q. 3. — (8) Nam hoc postremo casu testes deponerent non jurati, quibus non creditur, ubi de valida juramenti remissione non constat. Cap. 29 et 39, de testib.

810. Quamdam cum testium depositionibus habent similitudinem peritorum relationes. Periti quidem sunt veluti testes (1), qui ad aliquid æstimandum, metiendum, aut determinandum assumuntur. Uti testes facti habilitatem debent habere, et jurati relationem dare; sed de jure quodammodo in scriptis testimonium reddunt nedum juxta sensum corporis, verum etiam juxta sensum intellectus et rationis in illis, in quibus eorum versatur peritia. Judex inter eos, qui probantur a partibus in eorum exhibito indice confidentium, et diffidentium, eligere potest unum peritum, aut plures. Si nemo a par-

tibus communi suffragio probetur, judex utrique parti mandat, ut unaquæque suum nominet peritum; cui mandato si partes obtemperare recusent, vel ita electi periti non concordent, ipse judex debet ex officio peritum nominare; sed periti, et peritorum relationes potest adhuc judex ex justa causa modificare.

(1) Mascardus de probat. cap. 430, n. 7.

811. Denique ipse judex testis, et periti vices gerit, cum personalem facit rei inspectionem, cum nimirum adit prædii, sive ædificii controversi locum, suisque oculis veritatem explorat. Hæc tamen ocularis inspectio absque necessitate ob graves, quas affert, expensas non est instituenda (1).

(1) Devoti lib. 3, t. 9, §. 27.

TITULUS IX.

DE JURAMENTIS, ET PRÆSUMPTIONIBUS.

Summarium. 812. Juramenti definitio, et divisio. — 813. Subdivisio juramenti judicialis. — 814. Juramentum decisorium quando deferri, aut referri possit? — 815. Quomodo judex queat juramentum suppletorium, et purgatorium admittere? — 816. Quando queat dare juramentum in litem? — 817. Quid sit præsumptio, et quotuplex? — 818. Quomodo dividantur præsumptiones hominis? — 819. An præsumptiones violentæ in criminalibus probationem efficiant? — 820. In quo consistat notorietas facti, et fama?

812. Quoties plena rei controversæ probatio ex partium confessione, ex instrumentis, ex testibus obtineri non potuit, licitum est ad juramenti religionem recurrere. Est autem juramentum *actus religionis, et simul actus civilis, quo summus ipse Deus vocatur in testimonium illius, quod affirmatur, vel negatur.* Est profecto actus religionis, quo, si legitime emitta-

tur, Deo defertur honor tamquam summæ Veritati, a qua vim accipit ipsa emissa affirmatio, vel negatio : unde tanta erit juramenti probatio, quanta est jurantis religio. Est insuper actus civilis, in quo civilis, et ecclesiastica lex medium probationis constituit, et remedium maximum expediendarum litium, quod transactionis, et rei judicatæ speciem continet (1). Multæ sunt, quæ afferuntur, juramenti divisiones, inter quas : est juramentum *assertorium,* quo aliquid in præterito, vel in præsenti affirmatur, et *promissorium,* quo aliquid in futurum promittitur, ut pacti, et contractus observatio ; item juramentum est *simplex*, quo Deus simpliciter in testem vocatur, et *solemne*, sive *execratorium*, quo solemni verborum forma jurans sibi aliquid mali imprecatur, si verum non sit, quod testatur ; item juramentum est *judiciale*, quod emittitur in judicio, et *extrajudiciale,* quod extra judicium emittitur (2).

(1) L. 1 et 2, ff. de jurej. — (2) Juramentum extrajudiciale potest quidem valere ad obligationem inducendam, vel confirmandam, vel extinguendam ; sed habet semper rationem promissionis, vel contractus, vel liberationis.

813. Juramentum judiciale subdividitur in juramentum *calumniæ*, *malitiæ*, et *veritatis dicendæ*, de quibus jam diximus ; sed præcipue in juramentum *decisorium*, *suppletorium, purgatorium* et *in litem*. Juramentum decisorium dicitur illud, quod super facto controverso una pars alteri, judice proante, defert, ut ex eo litis decisio habeatur. Quicumque rei controversæ liberam tenet administrationem, tam actor in sua intentione, quam reus in sua exceptione super facto in juranis cognitione posito juramentum decisorium adversario suo deferre potest, et iterum adversarius in deferentem referre (1). Sed juramentum delatum, et acceptatum, ut non potest a deferente revocari, ita neque ab acceptante referri (2) ; nam per delationem, et acceptationem jus est partibus quæsitum, ut una debeat omnino jurare, et alia juramentum servare. Quare si ille, cui juramentum delatum fuit, nolit jurare, vel juramentum ad alteram partem referre, tamquam confessus causa cadit, quia *manifestæ turpitudinis est, et confessionis, nolle nec jurare, nec juramentum referre* (3). Similiter tamquam con-

fessus causa cadit, qui juramentum sibi legitime relatum emittere recusat; nam qui provocat adversarium ad jurandum, debet ipse esse jurare paratus (4).

(1) Juramentum defert, qui alteri parti offert; et ille refert, qui oblatam jurandi facultatem in offerentem rejicit. — (2) Hoc enim in casu juramentum fit necessarium. — (3) L. 38, ff. de jurej. — (4) Arg. cap. 33, de jurej.

814. Ex juris canonici dispositione juramentum decisorium generaliter in qualibet civili causa deferri, et referri potest : specialiter tamen non admittitur, quando agitur de matrimónio, quia in eo non fit transactio (1); et quando actor, sive reus suam plene probavit actionem, sive exceptionem, quia nulla est necessitas per jusjurandum jam existentem plenam probationem augendi (2). Hoc ipsum extendendum videtur ad casum, in quo nulla sit probatio neque per præsumptionem, quia actore non probante, reus est absolvendus, licet ipse nihil præstet (3).

(1) Cap. 11, de transact. — (2) Cap. 2, de probat. — (3) Cap. 36, de jurej. Hoc juramentum admitti non debet, nisi saltem dato fumo illius veritatis, quam quis jurare paratus est, et nisi sit totius litis decisorium. Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 11, n. 37. Præstandum autem die juridico, citata parte, coram judice competente, alias non valeret. Neque delato hoc juramento, pars cui defertur potest ulterius admitti ad intentionem suam probandam per testes, quia in judiciis longa est via per testes, et brevis per juramentum partis, quo præstito, non potest amplius agi civiliter, sed tantum criminaliter persequendo perjurum; et ideo per hoc juramentum lis finitur juxta illud D. Pauli : *Omnis controversiæ finis ad confirmationem, est juramentum.* Ad Hebr. 6.

815. Aliæ duæ sequentes juramenti judicialis species, nempe juramentum suppletorium, et purgatorium ex judicis officio pendent, qui potest quandoque juramentum suppletorium ei deferre, qui factum controversum semiplene probavit, ut ipsam probationem compleat, et juramentum purgatorium ill deferre, contra quem aliqua est probatio non semiplena, ut a petitione se liberet (1). Solet autem hoc utrumque juramentum

præcipi post ipsam demum sententiam præstandum, ut cum judex ex. gr. pronunciat pro Caio actore, qui petit centum a Sempronio, ex causa mutui, modo juret, se pecuniam vere numerasse, in quo habemus juramentum suppletorium; aut pronunciat pro Sempronio reo, modo juret, se mutuam non accepisse pecuniam, in quo purgatorium juramentum habemus, sed utrumque hoc juramentum est necessarium, et nequit ad aliam partem referri (2).

(1) Juramentum suppletorium ita dictum, quia probationem supplet et complet, generatim defertur ei, qui semiplene probavit. Cap. ult. § ult. de jurej.; et si uterque actor, nempe, et reus semiplene probavit, potius reo, quam actori. Devoti cit. § 25. Nihilominus quandoque ratio personarum, vel causæ aliter suadet, ut si unus honestate præcellere omnibus constaret, vel appareret melius informatus. Pellegrinus loc. cit. Ut tamen recte hoc juramentum deferatur, observandæ sunt aliæ conditiones explicatæ a Ridolphino in sua Praxi part. 3, c. 4, n. 159 et seqq.; et numquam deferri potest in causis criminalibus, famosis, etiam civilibus valde arduis, quæ criminalibus æquiparantur, et in causis matrimonialibus. Bouix de judic. p. 1, sect. 6, c. 5, q. 6. Juramentum vero purgatorium ita appellatum, quia reum liberat, et purgat ab imputatione illi facta, locum habet etiam in criminalibus, cum per ipsum reus inquisitus se purgat ab infamia illi propter suppositum delictum attributa. Hoc juramentum purgatorium ex jure canonico emittebatur ab infamato de apostasia. Cap. 3, de apost. vel de homicidio. Cap. 14, de homic. volun. vel de calumnia. Cap. 2, de calum. vel de concubinatu. Cap. 8, de cohab. cler. et mul.; eique adjungebantur alii testes de familia, aut de propinquitate, vel de vicinia, qui similiter cum jurejurando ab infamia purgabant, ut dicebantur *Compurgatores*, quique erant modo tres, modo quinque, modo septem, et efformabant, ertiam, quintam, vel septimam manum, ut alibi innuimus agentes de purgatione canonica. Hic purgationis modus non est per contrariam consuetudinem dicendus omnino antiquatus; nam licet raro occurrat, non est reprobatus, et nullus, ut sapienter observat Giraldus ad cap. 3, de præsumpt. et in tit. de purg. can.: unde minime esset reprehendendus ille judex, qui, rite omnibus pensatis, crederet anc purgationem ad infamiam delendam esse admittendam, et reve a admitteret. Et sane illud huic sententiæ non obest, quod reo non ossit imponi in suo constituto juramentum de veritate dicenda uoad se: nam latum est discrimen inter juramentum veritatis diendæ, et juramentum purgatorium præstitum in fine causæ, quando ontra eum haberi nequivit plena probatio. Porro in hoc secundo asu minor est timor perjurii, cum propter probationem imperfeam non possit reus condemnari, et qui jurat non certet de vitan-

da pœna, sed tantum de diluenda infamia ab accusatione, et processu producta. — (2) Cap. 36, de jurej.

816. Juramentum denique in litem dicitur illud, quo rei litigiosæ non existentis, aut non exhibitæ pretium per petentem suo interposito juramento definitur (1), quando alio modo definiri nequit. Judex quidem petenti, cui jus est habendæ rei, contra adversarium, qui est contumax, vel dolo, aut culpa veritatem tegere nititur, hoc juramentum affectionis, et veritatis super rei controversæ pretio deferre potest, ejusque definitionem in sua præmissa sententia probare, ipsum damnando reum in id, quod fuerit in litem juratum. Sed ne petens queat suo lubitu in immensum jurare, quod foret iniquissimum, idem debet judex pretium probabile taxare, aut moderari, ita ut ultra nequeat petentis juramentum extendi (2).

(1) A Doctoribus hoc juramentum triplici designatur nomine, appellatur nimirum juramentum *singularis interesse*, *affectionis* et *veritatis*, quia tres sunt æstimationes rerum, videlicet æstimatio secundum singulorum utilitatem, secundum propriam affectionem, et secundum veritatem. Pellegrinus, part. 2, sect. 2, subsect. 11, n. 40. — (2) Judex in hoc probando juramento debet animadvertere, ut jurans sit verosimiliter informatus de re, ut illud præstet coram se, et parte adversa ad hoc citata ; et ut nulla sit contra jurantem præsumptio.

817. Præsumptiones *sunt judicia de re dubia ex indiciis deducta*, sive ut loquuntur civiles leges sunt consequentiæ, quas lex, aut judex ex facto cognito ad incognitum deducit (1). Quare aliæ dicuntur præsumptiones *juris*, et aliæ præsumptiones *hominis*. Illæ dividuntur adhuc in præsumptiones *juris et de jure*, et in præsumptiones *juris* tantum. Dicuntur juris et de jure, cum lex ita aliquid præsumit, ut non admittat probationem in contrarium, sic ex. gr. res judicata pro veritate habetur, et ex concubitu post sponsalia fit matrimonium iis in locis ubi Tridentinum non fuit publicatum (2). Dicuntur juris tantum cum lex quidem aliquid præsumit, sed usque ad contrariam probationem tantum, cujusmodi est præsumptio, quæ stat pro possessore, aut pro eo, qui habet ad aliquid fundatam in jure intentionem (3).

(1) Præsumptio fundatur in veritate, et eruitur ex veritatis signis, quæ certa non sunt, sed tantum magis, vel minus probabilia. Quare præsumptio longe differt a fictione juridica, quæ falsitati revera innititur, et quod non est, neque fuit assumit ut verum ex justa et probata causa ad aliquem bonum effectum inducendum. Sic jus canonicum fingit, beneficiatum studiis vacantem, et a choro absentem esse choro præsentem ad lucrandos fructus, et monachum quoad officia civilia esse mortuum, licet vivat. Similiter jus civile fingit patrem, et filium in quibusdam negotiis unam esse personam, et filium adhuc in utero latentem esse jam natum in iis, quæ ejus commodum respiciunt. Juris fictionibus a legibus Romanorum introductis ad bonum commune sæpe utitur jus civile, raro autem jus canonicum. Devoti l. 3, t. 9, § 28, in not. — (2) Cap. 30, de sponsal. Doctores tamen tradunt, quibusdam in casibus ipsam præsumptionem juris et de jure suam non exercere vim, ut si contrarium evidenter constet ex publica facti notarietate, vel ex publico instrumento. Bouix de judic. part. 1, sect. 6, c. 4, q. 2. — (3) Doctores ad tit. de præsumpt. Sic præsumitur baptizatus, qui inter Christianos natus est, atque educatus. Cap. 43, de presb. non bapt. etc.; et is filius præsumitur, quem justæ nuptiæ demonstrant. Harum præsumptionum effectus est, ut qui pro se talem habet præsumptionem relevetur ab onere probationis, quod transfertur in partem adversam; quæ si per probationem non elidat, sententia in illius favorem ferenda sit, quæ a præsumptione adjuvatur. Cap. 10, de præsumpt.

818. Præsumptiones hominis dividuntur adhuc: in *leves*, quæ ex levibus aut temerariis conjecturis; in *graves*, quæ ex conjecturis verosimilibus et probabilibus; et in *violentas*, quæ deducuntur ex conjecturis adeo vehementibus, ut prudentis hominis assensum secum trahant. De levibus sicuti erant veteres vulgares purgationes (1), nil curandum; sed non ita sentiendum de gravibus, quæ diligenter sunt attendendæ, utpote quæ judicis animum inclinare vel movere valent: nam ex. gr. recte præsumitur a conversatione adolescentiæ ad senectutem et a præteritis factis ad futura (2); violentæ denique præsumptiones possunt plenam constituere probationem (3).

(1) Vulgares probationes a Longobardis in Italiam invectæ nimis ridiculæ, et superstitiosæ erant. Fiebant enim præsertim per immersionem rei in aquam, et per tactum ferri candentis; et si immersus supernatabat, vel tangens ferrum non comburebatur erat innocens, secus nocens, quia persuasum erat, Deum in innocente ita facturum, ut immersus in aquam non submergatur, et tangens candens ferrum non comburatur. Sed Ecclesia has purgationes, pluribus edi-

tis canonibus, semper damnavit, et reprobavit. Can. 20 c. 1, q. 6. Can. 7, 21 et 29, c. 2, q. 5, et cap. 8, de purg. can. Devoti loc. cit. § 30, in not. — (2) Cap. 3, 6 et 9, de præsumpt. (3) Hujus rei exemplum habemus in cap. 12, eod. Vis tamen harum præsumptionum judicum sagacitati est commissa, qui non debent eas æstimare, nisi sint graves, præcisæ et concordantes.

819. In criminalibus tamen causis ex probabiliori sententia præsumptiones licet violentæ probationem non efficiunt, ob quam reus pœna ordinaria damnari queat, ut in causa hæresis definisse videtur Innocentius III (1). Ratio est, quia præsumptiones non sunt veræ et directæ probationes sed tantum indicia, vel probationes indirectæ, quæ quandoque in civilibus ut veræ probationes assumuntur; quod in criminalibus evenire nequit, cum ad damnationem inferendam probationes directæ, certæ, et luce meridiana clariores requirantur, ut jam innuimus. Excipiendi tamen sunt casus speciales a sacris canonibus definiti, ut in adulterio, quod ex actibus ipsi proximis arguitur, et in suspecto de hæresi, qui tamquam hæreticus damnatur (2). Præsumptiones tamen probationem semper adjuvant, et magis firmant.

(1) Cap. 14, de præsumpt. — (2) Cit. cap. 12, eod.

820. Ad præsumptiones possunt referri notorietas facti et fama. Notorietas constituitur a facti ipsius evidentia, quæ nulla potest tergiversatione celari, quæque ab omnibus agnoscitur (1). Fama vero constituitur a communi opinione hominum, cum nempe homines alicujus populi pro majori parte constanter, et uniformiter aliquid ut verum rationabiliter habent (2). Illa violentæ, et necessariæ præsumptionis vim obtinet; hæc vero regulariter tantum gravem præsumptionem imitatur.

(1) Hujus notorietatis meminit Pontifex in cap. 10, de cohab. cler. et mul. — (2) Hujus iterum famæ meminit Pontifex in cap. 24, de accusat.

TITULUS X.

DE EXCEPTIONIBUS.

Summarium : 821. Quid sit exceptio, et quotuplex? — 822. Quæ sint exceptiones peremptoriæ? — 823. Quæ exceptiones dilatoriæ ob judicis personam? — 824. Quæ ob personam actoris? — 825. Quæ ob personam rei? — 826. Quæ ob ipsam causam? — 827. Quando sint proponendæ exceptiones dilatoriæ? — 828. Quid sit dilatio proprie dicta, et quotuplex? — 829. Quot dierum esse soleant termini, deliberatorius, probatorius, et executivus? — 830. Hi termini quid operentur? — 831. Feriæ quid significent, et quomodo dividantur? — 832. Qui sint dies feriarum sacrarum? — 833. A qua diei hora feriæ incipiant, et an in festis suppressis durent? — 834. Quid observandum in curia ecclesiastica circa ferias?

821. Actionis et intentionis contrarium est exceptio, qua ipsa ctio, sive intentio eliditur : unde exceptio definitur, *actionis, t intentionis exclusio.* Dicimus *actionis,* et *intentionis,* quia bi quis injuste petat, nulla est actio, sed tantum intentio exludenda. Ac primum notandum, quod favorabilior est causa xceptionis, quam actionis ; nam jura magis se defendenti, uam agenti succurrunt : propterea qui ad agendum admittunır, sunt multo magis ad excipiendum admittendi (1). Excetio dividitur in *peremptoriam*, et *dilatoriam.* Peremptoria actioem perimit, et perpetuo excludit, unde etiam *perpetua* dicir ; dilatoria vero actionem differt, vel ad tempus suspendit, leoque *temporalis* quoque appellatur. At exceptiones peremtoriæ subdividuntur in *peremptorias litis finitæ,* et *simpliciter eremptorias.*

(1) Cap. 71. de reg. jur. in 6. Exceptio oppugnatur replicatione, ıa vis exceptionis retunditur, et utraque est species defensionis : ım exceptione reus se defendit contra actionem actoris, et ipse aor replicatione se defendit contra exceptionem rei, qui adhuc potıt replicare contra replicationem actoris. Hæc defensionis media naturali æquitate promanant ; et ideo in ipsis curiis ecclesiasticis

admittenda sunt, et realiter a stylo plurimarum curiarum adm tuntur. Sed modus his oppositionibus ex prudentis judicis mand ponendus est, ne lites nimium protrahantur, et noxiis altercatio bus involvantur. Propterea in curiis ecclesiasticis regulariter ul duplicationem rei replicationes non admittuntur.

822. Ad primum genus revocantur exceptiones sequent scilicet, jurisjurandi, rei judicatæ, et transactionis. Hæ tres e ceptiones litis finitæ possunt opponi tam ante, quam post lit contestatam usque ad finem judicii ; si ante litem contestat opponantur, dicuntur *declinatoriæ*, quia litis ingressum imp diunt, et judicium declinant (1). Ad secundum vero genus r vocantur aliæ exceptiones omnes, quibus intentata actio el potest, cujusmodi sunt plurimæ, quas omnes longum es enumerare. Præcipuæ tamen sunt exceptiones : solutionis, pa de non petendo, compromissi, præscriptionis, doli mali, metus, quæ regulariter opponi debent post litem contestata et ante sententiam, quia absolute non impediunt litis ingr sum, sed actionem intentatam evertunt, quam evertere n possunt, nisi per litis contestatam foret constituta (2) : un exceptio hujus generis proprie dicitur actionis excluso.

(1) Cap. 1 et 2 de lit. contest. in 6. Ad hoc tamen necesse est, lis prius uno ex dictis modis finita inter easdem personas, de ead re, atque ex eadem petendi causa extiterit. Devoti l. 3. t. 10, § 2. (2) Dicimus *regulariter*, quia tales exceptiones, cum possint con derari veluti destructivæ judicii, quatenus ex. gr. post solution non manet amplius debitum, et post præscriptionem non subsis amplius actio, ideo sub hoc respectu possunt etiam opponi ante tem contestatam, ut supra dictum est de exceptionibus litis fini Verum consultius videtur, has exceptiones post litem contestat opponere, cum inquirendum remaneat, an solutio, vel præscrip sit rite facta.

823. Inter exceptiones dilatorias aliæ respiciunt person judicis, aliæ actorem, aliæ reum conventum, et aliæ ipsa causam, sive actionem. Quoad judicem duæ possunt propo exceptiones, nempe : exceptio *declinatoria fori*, et exceptio *i competentiæ* (1), quæ in unum conveniunt, ut judicis juris ctionem avertant ; sed in eo differunt, quod prima opponen est ante litis ingressum, ne videatur reus in judicem conse

tire ; dum secunda opponi potest quocumque tempore etiam post sententiam, immo post tres sententias conformes. Forus autem recte declinatur : quando judex est incompetens vel suspectus, ut supra jam vidimus ; aut quando est excommunicatus, cum excommunicatus nequeat jurisdictionem exercere ; (2) aut quando locus notorie non est tutus propter inimicitias, propter pestem, bellum, et seditiones civium (3) ; aut quando adest prævontio ex parte alterius judicis, quia ubi cœptum est judicium, ibi debet finiri.

(1) Hæ exceptiones possunt etiam considerari tamquam peremptoriæ, quia perpetuo reddunt determinatum judicem inhabilem ad judicandum. Sed communi canonistarum calculo inter dilatorias numerantur, eo quod actionem non perimunt, sed tantum de uno in alium judicem transferunt. — (2) Arg. cap. *decernimus* de sent. excom. in 6. — (3) Cap. *forus* de spons. Clem. *Pastoralis* de sent. et re jud. et Clem. 2, de for. comp.

824. Quoad actorem proponi potest exceptio *non legitimæ personæ*, quia potestatem non habet standi in judicio. Ad judicium enim requiritur, ut qui litem agit a lege sit constitutus habilis ad litigandum, cum qui litigat quasi contrahat cum parte adversa de causa agenda, et de judicato servando (1). Unde ut jam diximus, in judicii exordio fieri debet personarum legitimatio ; nam si personæ litigantes legitimæ non sunt, judicium corruit.

(1) Legitimam personam non habet : qui minor, aut excommunicatus est ; qui agit tamquam hæres, vel cessionarius, et has qualitates non demonstrat ; quique agit nomine alieno, et non exhibet mandatum.

825. Quoad reum conventum præcipuæ exceptiones dilatoriæ sunt sequentes, nimirum : exceptio *cautionis* præstandæ ab actore de reficiendis expensis, si in judicio succumbat, quod observatur, cum est suspicio, ne actor velit temere litigare, et reum vexare ; exceptio *excussionis*, qua reus obligatus tantum in subsidium, ut simplex fidejussor, petit, ut prius excutiatur debitor principalis : exceptio *laudationis*, et *nominationis* auctoris, cum reus ex. gr. emptor, vel possessor laudat, aut no-

minat auctorem suum, a quo rem accepit, ut possit illi litem denunciare (1); et exceptio *reconventionis*, qua reus aliquid vicissim petit ab actore, pro quo illum in eodem judicio convenit: unde in jure appellatur mutua petitio (2).

(1) Laudare dicitur, cum quis citat nomine proprio auctorem suum, ut cum emptor citat venditorem, et petit sibi concedi tempus ad litem illi denunciandam, ut præstet evictionem ; nominare vero dicitur, cum qui possidet nomine alieno nominat rei dominum. Pellegrinus part. 2, sect. 1, subsect. 7, int. 3, n. 20. — (2) Cap. 1 et 2, de mut. petit. Reconventio in criminalibus non habet locum ; et in civilibus tractanda est in eodem processu, ita ut sententia prius feratur super conventione, et postea super reconventione. Cit. cap. 1, de mut. petit. et cap. 2 de ord. cognit.

826. Denique quoad causam proponi inter alias possunt exceptiones: contra libellum, quando est ineptus, vel obscurus, ut supra jam observavimus; contra actionem, quando nondum cessit, et venit dies obligationis; et contra citationem, aliosque actus judiciarios, qui, si fiant die feriato, ex jure canonico tamquam nulli habentur (1).

(1) Cap. *Quoniam contra* de probat. et cap. ult. de feri. Devoti l. 3, t. 10, §, 6, in not. n. 7. Cum tamen in citatione duo sint termini, scilicet dies, quo per judicem decernitur, et dies, quo reo per cursorem significatur, citatio est nulla tantum, si die feriato reo significetur. Pellegrinus part. 2, sect. subsect. 2, n. 21.

827. Exceptiones dilatoriæ ante litis ingressum, sive ante litem contestatam regulariter proponendæ sunt, et quidem omnes simul, si quis queat pluribus se defendere. Sed interdum post litem contestatam ex jure canonico proponuntur, ut in casu, quo aliqua exceptio de novo suborta, vel agnita sit, modo excipiens de rei veritate prius juret (1); item in casu, quo exceptio est de nullitate processus, ut si sententia lata sit a judice incompetente, vel ex falsis instrumentis (2); item in casu excommunicationis (3). Cæterum judex antequam exceptionem admittat, videre debet, an æqua sit, vel frivola, et frustratoria: nam ut hanc tenetur repellere, ne malitia hominum lites diutius prorogentur; ita illam rite propositam, et probatam admittere tenetur (4).

(1) Cap. 20, de sent. et re judic. et cap. 1 de except. — (2) Cap. 6, eod. — (3) Cap. 1, eod. in 6. Hæc exceptio proponenda est a parte litigante, quando excommunicatus est toleratus, et intra octo dies probanda, alias opponens condemnandus est in expensas ; quando vero excommunicatus est vitandus, judex ex officio debet eum repellere. Cap. 12, eod. et cap. 1, eod. in 6. — (4) Judex debet pariter attendere, ut ultimus in replicando, vel respondendo sit reus.

828. Dilationes proprie dictæ sunt termini, sive induciæ, quæ partibus litigantibus ad respectivos earum judiciales actus expediendos a lege, vel conventione, vel judice conceduntur. Plures in quolibet judicio similes occurrunt termini; sed præcipui sunt, qui ante litem contestatam dantur ad deliberandum, qui post litem contestatam dantur ad probandum, quique in ultima judicii parte ad sententiam exequendam constituuntur. Unde dilationes aliæ dicuntur *deliberatoriæ*, aliæ *probatoriæ*, et aliæ *executoriæ*. Ex jure ecclesiastico horum terminorum duratio regulariter est judici arbitraria, quia in sacris canonibus non invenitur definita (1); sed hoc arbitrium prudens et æquum esse debet : nam si termini assignati ad negotium expediendum nimis breves sint, justa intrat appellatio (2).

(1) Immo arbitrium hoc reperitur a jure probatum. Cap. *Quoad consultationem* de sent. et re jud. et cap. *Cum sit* de appel. — (2) Devoti l. 3, t. 13, § 2.

829. Nihilominus in praxi terminus deliberatorius solet esse XX dierum, ut reus queat libello respondere, ut supra jam observavimus. Terminus vero probatorius non videtur esse posse minor XV diebus, qui potest assignari a judice, licet partes non petant, et regulariter non debet concedi nisi unicus (1); casu tamen quo aliqua justa adsit causa, vel impedimentum, cum rei examine potest renovari, et facta diligentiori causæ cognitione, potest tertio adhuc concedi, sed non ultra (2). Terminus denique executionis est XXX dierum, quando a sententia appellatum fuit (3); et quando sententia in judicatum transivit, est quatuor mensium in actione personali (4), in actione vero reali, ubi res sit præsens, statim post rem judicatam sententia exequi potest, ut infra videbimus.

(1) Cap. *consuluit* de offic. deleg. et cap. *finem litibus* de dol. et

contum. — (2) Can. *Inducix* § spatium c. 3, q. 3, et cap. *ultra tertium* de testib. Præter citatos solent in judiciis alii termini assignari, ut terminus ad opponendas exceptiones dilatorias, et peremptorias. Cap. *Pastoralis* de except. et cap. 1. de lit. contest. in 6; terminus ad repulsandos testes. Cap. *Licet* de probat. et cap. *Licet dilectus* de testib.; terminus ad concludendum in causa, et ad allegandum in jure, et facto. — (3) Hic terminus vocatur etiam terminus juris, qui datur, ut judex deliberet, an sit, vel non sit admittenda appellatio, et incipit currere a die interpositæ appellationis. Pellegrinus part. 2, sect. 3, subsect. 2, n. 89, et part. 3, sect. 1, n. 103. — (4) Cap. *Quærenti* de offic. deleg. et cap. *Quoad consultationem* de sent. et re jud. Ex causa tamen prædictum tempus breviari, et elongari potest, inspecta qualitate personarum, et locorum, quod fieri semper debet cum causæ cognitione. Pellegrinus loc. cit. n. 33.

830. Regulariter omnes termini, etsi non exprimatur, sunt peremptorii (1), et iisdem pendentibus, debet judicis jurisdictio conquiescere (2). Termini proinde assignati ad aliquid agendum illud important, ut actus intra terminum fiant. In hoc tamen datur exceptio in termino probatorio per adductionem testium : nam testes intra termini tempus citati et jurati, concessa per judicem nova brevi dilatione, possunt post expirationem termini adhuc examinari : hoc enim examen posterius factum retrotrahitur ad tempus citationis et juramenti (3).

(1) Cit. cap. *Consuluit* de offic. deleg. — (2) Devoti l. 3, t. 13, § 5. — (3) Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 3, n. 9.

831. Præcipuus dilationum effectus est, ut, ipsis perdurantibus, judicis officium conquiescat, quemadmodum nuper diximus; sed hoc contingit in feriis, quæ dilationes, et exceptiones dilatorias repræsentant. Profecto feriarum nomine hic intelliguntur dies ab actibus ferialibus vacui, quibus nefas est negotia forensia tractare (1). Feriæ dividuntur: in *solemnes* sive *ordinarias*, quæ ex legis præscripto statis temporibus quotannis occurrunt; et *extraordinarias* sive *repentinas*, quæ ob extraordinariam causam, veluti ob singularem gratiam a Deo concessam, ob partam insignem victoriam, ob nativitatem, vel matrimonium Principis, vel ob aliam similem rationem de

repente indicuntur. Insuper dividuntur in *sacras*, quæ causa religionis fuerunt institutæ, sicut sunt dies dominici et festi; et in *profanas*, quæ ad commodum, et utilitatem hominum fuerunt editæ, veluti sunt feriæ messium et vindemiarum.

(1) Primum documentum harum feriarum in corpore juris, quod legem induxerit, est in cap. 1, de feri. ubi in concilio apud Compendium in Gallia sub Gregorio IV diebus Dominicis inter alia invenitur interdictum *placitum*, id est exercitium actuum judicialium, et *sacramentum*, idest præstatio juramenti in causis. Giraldus ad cit. cap.

832. Dies, in quibus sacræ sunt feriæ, definiti inveniuntur a Gregorio IX (1), qui agnoscit in Episcopis potestatem novos cum suo clero, et populo instituendi dies festos; sed postea dies festi determinati fuerunt ab Urbano VIII (2); ac postea ad minorem numerum reducti per posteriores summos Pontifices. Reductiones hujusmodi pro aliqua Ecclesia, aut natione primum fieri cœperunt, et nunc etiam in Italia nostra factæ fuerunt. Insuper diverso modo pro diversitate temporum et circumstantiarum quidam dies festi sublati fuerunt; modo enim in festis suppressis relictum fuit onus audiendi Missam, et modo, hoc onere sublato, permissæ generaliter fuerunt operæ serviles (3).

(1) Cap. 5, de feri. — (2) Bul. *Universa*. — (3) Hoc decretum fuit a Benedicto XIV in bul. *Ab eo tempore*; a Pio VII in declaratione pro tota Gallia data a Cardinali Caprara die 9 aprilis anni 1802, uti videre est in Bullario Romano, quæ deinde ad Italiam extensa fuit; et novissime a Papa Pio IX pro Italia iterum decretum, et confirmatum, sicut omnes norunt.

833. Duo hic occurrunt dubia : 1^m respicit modum, quo feriæ sacræ sunt accipiendæ? Licet hac in re ex jure videatur respondendum, ferias sacras a vespera ad vesperam diei festi esse computandas, quia hoc modo divinum perficitur officium (1); nihilominus festi diei principium et finis quoad actus judiciales ita attenditur, ut in cessatione ab operibus servilibus, id est a media nocte, ad aliam mediam noctem, ut habet communis Pragmaticorum doctrina (2). 2^m respicit festa sup-

pressa, in quibus permittuntur operæ serviles, an in iisdem debeant judices conquiescere? Huic dubio respondendum videtur, talia festa non amplius legales ferias continere; nam cum permissæ sint operæ serviles, a fortiori permissi censendi sunt actus judiciales. Sed duæ hujusmodi resolutiones non procedunt in casu, in quo contraria adsit consuetudo, quæ cum nullo jure reprobetur, tamquam justa et laudabilis erit semper observanda.

(1) Cap. 1, de feri. — (2) Arg. cap. 24, de offic. jud. deleg.

834. In curia ecclesiastica præter ferias sacras illæ sunt observandæ, quæ fuerunt ab Episcopo, vel a consuetudine constitutæ. Licet tamen regulariter partibus feriis profanis renunciare, non autem sacris, aut repentinis : quia illæ ad privatum commodum, hæ vero ex causa publica religionis, aut societatis fuerunt indictæ. Licet pariter judici profanis feriis derogare declarando causam posse tempore feriarum prosequi. Cæterum feriarum tempore interdicitur exercitium jurisdictionis contentiosæ, quæ cum solemni judiciorum figura et strepitu exercetur ; sed causæ summariæ, item causæ pupillorum, miserabilium personarum et viatorum, itemque causæ minores, vel quæ ex necessitate, aut pietate suscipiuntur, etiam tempore feriato tractari et definiri queunt (1).

(1) Cit. cap. 5, de feri.

TITULUS XI.

DE ORDINE COGNITIONUM.

SUMMARIUM : 835. Quomodo dividantur quæstiones præjudiciales? — 836. Qui sint casus quæstionum præjudicialium? — 837. Quid sit spolium? — 838. Quas habeat actiones spoliatus contra spoliantem? — 839. Quid agere debeat, ut spolii exceptione juvetur? — 840. Qui sint casus, in quibus statim possessionis reintegratio non conceditur? — 841. A quo judice cognoscendæ sint quæstiones incidentes, sive emergentes? — 842. Quando cognoscendæ quæstiones incidentes præparatoriæ? — 843. A quo judice cognoscendæ quæstiones incidentes extraneæ?

835. Ad causam rite ordinandam unicuique discussioni suus tribuendus est locus, ne confusio, vel implicatio in judicio oriatur. Ratio enim requirit, ut prius de iis judicium feratur, a quibus alia dependent. Jam vero si actor plura proponat, sed maxime si reus plura excipiat, videndum est, quo ordine in talibus discussionibus sit procedendum. Quæstiones, quæ possunt in judicio proponi aliæ sunt : *principales*, aliæ *accessoriæ*, quæ occasione principalium suboriuntur; inter accessorias aliæ sunt *præjudiciales*, aliæ simpliciter *incidentes*. Præjudiciales illæ vocantur, quæ præjudicium aliis quæstionibus inferunt, ita ut aliæ definiri non possint, nisi ipsis definitis; simpliciter vero incidentes illæ dicuntur, quæ in judicio agendo occurrunt et præjudiciales non sunt. Hæ dividi possunt in *præparatorias*, et *extraneas*; quarum primæ faciliorem reddunt decisionem causæ principalis, et secundæ ad causam principalem directe non pertinent (1).

(1) Devoti, l. 3, t. 11, § 1.

836. Ad quæstiones præjudiciales hi præsertim referuntur

casus : 1° cum unus conjugum requirens alterum vult demonstrare matrimonium fuisse inter eos celebratum, et alter excipit, id nulliter actum fuisse propter impedimenti dirimentis existentiam ; 2° cum clericus petens beneficium sibi collatum oppositionem propter suum excommunicationis statum ab adversario patitur; 3° cum filius petens patris hæreditatem dicitur illegitimus ; 4° cum lis mota est inter duos prætendentes super aliquo beneficio, et unus eorum opponit, se fuisse ab alio per vim spoliatum. In his enim casibus prius quærendum est de impedimento dirimente, vel de legitimitate, vel de spolio quam de causa principali (1).

(1) Cap. 19, de judic. Cap. 2, 3, et ult. de ord. cognit.

837. Spolium est injusta et culpabilis dejectio de possessione, vel quasi possessione rei alicujus. Cadit præsertim in rebus immobilibus ; sed ex dispositione juris canonici et in mobilibus, ac juribus potest habere locum (1). Spolii reus est, qui vim intulit, qui dolo malo usus est, quique in culpa fuit, ut alius de rei possessione, vel quasi possessione dejiceretur (2).

(1) Cap. 2, de restit. spoliat. in 6, et cap. 3, de caus. poss. et propriet. Spolium ex jure canonico latissime patet. Revera primo spoliatus dicitur maritus, si uxor ab eo divertat. Cap. 8, de restit. spoliat. ; et spoliata dicitur uxor si a marito de sua domo ejecta fuerit Cap. 10 et 12 eod. Secundo spoliatus dicitur, qui per vim, et iniquæ coactus fuit suo beneficio renunciare. Cap. 2 et 3, eod.; qui exclusus fuit a sibi competente jure electionis. Cap. 3, de caus. poss. et propr. qui privatus fuit suis pensionibus. Cap. 9, de rest. spoliat. Tertio spoliatus dicitur, qui fuit injuste exclusus a sua sepultura. Cap. 6 de sepult. Quarto spoliatus etiam dicitur reus, qui a judice, neglecto juris ordine, a sua possessione dejectus fuit. Cap. 7, de rest. spoliat. et cap. 22, de off. et pot. jud. del. Devoti l. 3, t. 11, § 7, in not n. 2. — (2) Cap. 15, de rest. spoliat. Immo spolii reus est, qui spolium ratum habuit, quique rem spolio ablatam scienter accepit disputatur, an tertius rei possessor de spolio teneatur. Devoti loc cit. Pellegrinus part. 2, sect, 3, subsect. 3, int. 21, n. 30.

838. Spoliatus contra spoliantem habet actionem, et acceptionem. Actionem potest instituere civilem, et criminalem

illa tendit ad reparandum interesse parti læsæ ; hæc ad publicam vindictam pro Reipublicæ bono (1). Exceptionem similiter potest opponere in civilibus contra spoliantem, non vero contra tertium ; in criminalibus autem potest eam opponere etiam contra tertium, si demonstret, omnem suam substantiam, vel majorem ejus partem sibi ademptam fuisse (2).

(1) Pellegrinus loc. cit. n. 3. — (2) Cap. 1, de rest. spoliat. in 6; Devoti loc. cit. § 8.

839. Ut spoliatus juvari spolii exceptione possit, intra XV dies a proposita exceptione duo demonstrare debet : 1° quod ipse ante spolium fuerit verus rei possessor, vel quasi; 2° quod spolians rei possessionem, vel quasi actualem teneat (1). Data vero hac demonstratione, spoliato ante omnia redintegranda est possessio (2), nec regulariter quidquam juvat in contrarium alia quælibet actoris replicatio : ut oppositio dominii (3), renunciationis (4), nullitatis institutionis (5), aut commissi criminis (6).

(1) Cit. cap. 1, de rest. spol. in 6. — (2) Cap. 17, eod. Cap. 10, de offic. et pot. jud. deleg. Can. *Redintegranda* c. 3, q. 1, in quo adest utilius, plenius, et magis generale remedium possessorium, et cum quo concordat cap. 2, et ult. de ord. cognit. Si vero rei possessio restitui nequeat, restituenda est ejus æstimatio ; et si spolium per vim, vel dolum factum fuerit, non solum reparanda sunt damna spoliati, sed restituendi sunt omnes fructus percepti, et percipiendi, quorum æstimationem per jusjurandum in litem ipse spoliatus determinare poterit. Devoti loc. cit. § 9. — (3) Cit. cap. 1, de rest. spoliat. — (4) Cap. 2 et 3, eod. — (5) Cap. 5, eod. — (6) Cap. 1 et 6, eod.

840. Diximus *regulariter*, nam sunt casus, in quibus reintegratio possessionis vel statim, vel absolute non potest fieri, quorum præcipui sunt sequentes : 1° si spolians tali laboret inopia, ut alienum restituere nequeat, nisi ipse prius suum recuperet (1); 2° si spoliatus alia in causa spoliantem spoliaverit (2) ; 3° si uxor divertens a marito ei opponat, statimque probet impedimentum dirimens (3), vel impossibilitatem cum eo habitandi absque vitæ periculo propter ejus sævitiem (4) ; 4°

si Parochus repetat decimas in aliena parochia (5); 5° si actor judicium possessorium, et petitorium cumulavit (6); 6° si excipiatur possessionem non esse legitimam, vel possessorem non posse possidere (7).

(1) Cap. 16, de rest. spol. — (2) Cap. 2, de ord. cognit. — (3) Cap. 13, de rest. spol. Quod si statim impedimentum nequeat probare, restitutio habet locum. Cap. 10, eod. — (4) De hoc egimus supra, ubi de divortio. — (5) Cap. 2, de rest. spol. — (6) Cap. 2, de caus., pos. et propr. — (7) Devoti l. 3, t. 11, § 10 et 11.

841. Quoad deinde spectat ad quæstiones incidentes, sive emergentes observamus, eas a judice causæ principalis cognoscendas esse, licet judex causæ principalis non esset competens quoad causam incidentem, quod statutem fuit, ut judicia brevius, rectiusque finirentur. Propterea judex ecclesiasticus in causa principali cognoscit etiam de causa civili incidente (1); non tamen ex adverso judex laicus in causa principali cognoscere potest de spirituali causa incidente, cum hic judex in causa spirituali nullo modo queat jurisdictionem exercere (2).

(1) Cap. 3, de donat. int. vir. et uxor. — (2) Cap. 3, de ord. cognit. et cap. 7, qui fil. sint legit. Neque judex laicus potest punire clericum perjurum in judicio civili repertum; sed debet illum remittere ad judicem ecclesiasticum. Cap. *Cum dilectus filius* de pœn. et cap. 2, de crim. fals.

842. Item observamus, quæstiones incidentes præparatorias ratione ordinis, et convenientiæ cognoscendas esse ante alias, quarum, ut diximus, cognitionem faciliorem reddunt. Sic si incidat quæstio de perempta instantia, hæc ante alias cognoscenda est; nam perempta instantia, reus absolvendus est ab observantia judicii (1). Et similiter si actor in causa benefici petat sequestrationem fructuum, hic prius ad tramites juris audiendus est (2).

(1) Perempta instantia, non perit tamen actio; sed tantum pereunt acta ordinaria judicii, ut libellus, citatio, litis contestatio. Probationes autem, confessiones, et testes, si eorum depositiones sint

publicatæ, in suo robore manent. Pellegrinus part. 2, sect. 3, sub sect. 3, int. 1, n. 12. — (2) Clem. *Ad compescendos* de sequest. pos. et fruct. Bul. *Cordi* S. Pii V.

843. Denique observamus, in quæstionibus incidentibus extraneis videndum esse, utrum poponantur per modum *actionis* vel per modum *exceptionis*. Si enim proponantur per modum actionis, tam quæstio principalis, quam incidens in proprio foro examinanda est, quia agitur de initio causæ, non de continentia causæ : jus autem requirit, ut quælibet causa in suo foro proponatur; si vero proponantur per modum exceptionis, tum quæstio principalis, tum incidens in eodem foro tractanda est, in eodem processu inserenda, ac eadem sententia definienda, modo ad exceptiones peremptorias non pertineat, de quibus supra jam actum est (1).

(1) In concursu autem causæ civilis et criminalis videndum est, an aliqua sit præjudicialis : nam præjudicialis prius tractanda est, sive sit civilis, sive sit criminalis. Si autem nulla sit præjudicialis, vel præparatoria, tum criminalis prius tractanda est, quia majoris est momenti. Nihilominus, si ita expedire judex arbitretur, utramque causam potest uno judicio absolvere. Devoti l. 3, t. 11, § 4 et 5.

TITULUS II.

DE CONCLUSIONE ET CAUSA.

SUMMARIUM : 844. Quid sit conclusio in causa? — 845. In quibus judiciis requiratur, et quomodo fiat? — 846. Quando post conclusionem in causa probationes adhuc admittantur? — 847. Quæ peragenda sint post conclusionem in causa, et quomodo sententia proferatur? — 848. Intra quod tempus sententia post pronunciationem sit publicanda?

844. Post edictas actionum, et exceptionum probationes, vel post elapsum tempus ad probandum concessum, fit conclusio

in causa (1), quam sequitur, ut dicunt, assignatio causæ aõ sententiam. Conclusio in causa est renunciatio facta ulterioribus probationibus, exceptionibus, et replicationibus; et ideo dicitur conclusio, vel quia novis probationibus viam præcludit, vel quia os claudit partibus, ne novas amplius queant proferre positiones, aut exceptiones (2) : æquum enim est, ut judicio partium certamini quidam constituatur finis, ultra quem nefas sit aliquid novi afferre, aut statum quæstionis mutare (3).

(1) Judex procedit ad conclusionem in causa ad instantiam partis, vel ex officio. Can. *Judicantem* c. 30, q. 5. — (2) Cap. *Auditis* de procurat. et cap. *Pastoralis* de caus. poss. et prop. — (3) Cap. 9, de fid. instrum. et ibi Glossa.

845. Conclusio in causa requiritur in judiciis ordinariis, non autem regulariter in summariis, in quibus judex, auditis partibus, de plano procedit. Conclusio autem fieri potest *expresse*, cum litigantes in ultima scriptura se in causa concludere declarant; vel *tacite*, cum, nulla facta expressa declaratione, a probationibus desistunt, et sententiam postulant; vel denique *conditionate*, cum in causa quidem concludunt, sed non aliter, quam si alia pars adversa æqualiter absque nova deductione concluserit. (1).

(1) Cap. 5, de caus. poss, et propr. et Clem. *Sæpe* de verb. signif. Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 12 n. 5.

846. Quamvis conclusio in causa renunciatio sit novis probationibus; tamen quandoque etiam post conclusum in causa probationes admittuntur, quod tum *ratione judicis*, tum *ratione causæ* contingere potest. Primo ratione judicis, qui, cum aliquod suboritur dubium, potest ex officio etiam post conclusum in causa partibus dare interrogationes de facto, vel etiam probationem injungere : ipse enim, ut ait Pontifex, usque ad probationem sententiæ debet universa rimari, et ideo, dicunt Doctores, quoad judicem numquam esse in causa conclusum (1). Secundo ratione causæ, ut cum agitur de causa beneficii, aut matrimonii, in qua post ipsam conclusionem probationes admittuntur, ut periculum animarum ob indignum pastorem, vel

injustum matrimonium possit averti (2); item cum agitur de causis criminalibus, aut de exceptione incompetentiæ, aut falsi procuratoris, aut de petitione restitutionis in integrum, aut de similibus, quæ omnia post ipsam conclusionem possunt proponi (3).

(1) Cap. 10, de fid. instrum. — (2) Mascardus de probat. q. 17, in proem. n. 45. (3) Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 12, n. 9.

847. Post conclusionem emissam a partibus, vel per judicem intra definitum tempus præscriptam, fit assignatio causæ ad sententiam, et partes ex jure canonico pro certa die ad audiendam sententiam citantur: quo tempore iisdem partibus confertur facultas allegandi in jure, et in facto, voce, vel scriptis quidquid voluerint, et potuerint. Neque ideo hæc allegatio interdicitur, quod jam sit in causa conclusum; nam allegare in jure, et in facto hic significat intentionem per probationes in judicium deductas demonstrare, eamque juribus in facto proposito asseverare, quod nullatenus statum quæstionis mutat (1). Die deinde statuta per partium advocatos, et procuratores solemne coram judice fit contradictorium: incipit allegare advocatus actoris, et postea advocatus rei, dum acta primi semper debent acta secundi præcedere; sententia denique per judicem profertur (2).

(1) Scaccia de judic. l. 2. cap. 12, n. 18. — (2) Sententia ex antiqua praxi etiam in Curia Romana olim ferebatur coram duobus testibus sub altera ex istis formulis, nempe: judex pronunciabat, *prout in cedula danda*; vel terminum habebat *pro servato*, de quo infra.

848. Quando ex antiqua consuetudine etiam nunc aliquibus Curiis sententia pronunciatur *prout in cedula danda*, judex debet eam infra triginta dies a die pronunciationis computandos conficere, suoque notario tradere, ut publicetur. Quando vero terminum habet *pro servato*, judex debet intra similes dies decem terminum aperire, et sententiam in acta transferre; aliter si præmissi termini absque sententiæ editione fluant, nova est opus partium citatione, et sententiæ pronunciatione. Sed si

ante eorum lapsum sententia ad acta transferatur, eo die fingitur lata, quo fuit pronunciatum, prout in cedula danda, vel quo terminus habitus fuit pro servato. Cedula adhiberi solet in sententia definitiva; et terminus pro servato in sententia provisionali, sui interlocutoria (1).

(1) Card. De Luca de judic. disc. 34, n. 26, et disc. 37, n. 16, in sum. n. 111.

TITULUS XIII.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

SUMMARIUM : 849. Sententiæ definitio, et divisio. — 850. Forma interna sententiæ definitivæ. — 851. An judex in sententia proferenda rationes decidendi debeat exponere? — 852. Sententia debet proferri secundum acta et probata. — 853. Debet omnibus quæstionibus finem imponere etiam quoad litis expensas. — 854. Forma externa sententiæ definitivæ. — 855. Quando sententia transeat in rem judicatam? — 856. Quanta sit firmitas rei judicatæ? — 857. An res judicata eamdem habeat vim in utroque foro?

849. Sententia est præcipua judicii pars, ad quam reliquæ veluti ad finem diriguntur, et ideo judicium quandoque appellatur. Sententia potest definiri, *legitima judicis pronunciatio, quæ causam sive principalem, sive incidentem terminat.* Unde dividitur in *definitivam,* et *interlocutoriam* (1). Definitiva dicitur, quæ condemnatione, vel absolutione causæ finem imponit; interlocutoria vero dicitur, quæ inter agendam causam pronunciatur super iis, quæ in eadem causa incidunt, vel emergunt; ut cum judex interloquitur super aliqua dilatione danda, vel neganda. Hoc maxime inter utramque interest, quod ex jure canonico judex suam interlocutoriam sententiam retractare, et revocare potest, etiamsi jam fuerit ab eadem appellatum, modo appellatio non sit admissa, aut cum litteris

inhibitorialibus commissa; sententiam vero definitionem retractare numquam potest (2).

(1) Aliæ divisiones passim a Doctoribus citantur: uti est sententia *mixta*, quæ scilicet participat de definitiva, et interlocutoria; uti est sententia *provisionalis*, qua præsenti necessitati consulitur; et uti est sententia *declaratoria*, quæ decernit aliquem in pœnam a jure statutam incidisse. Exempla mixtæ sententiæ haberemus, si sententia absolveret partes ab observatione judicii, vel si afferret damnum in definitiva irreparabile. Exempla provisionalis forent, si judex juberet aliquod custodiri instrumentum, vel beneficii litigiosi fructus penes aliquem deponi. Exemplum denique sententiæ declaratoriæ exhibet publicatio censurarum a judice contra criminosum facta. Sed, sicut attendenti patet, hæ divisiones ad supra citatam proxime referri possunt. — (2) Cap. 60, de appel. et cap. 10, eod. in 6. Præter hanc præcipuam differentiam aliæ sunt adhuc notandæ: nam regulariter a definitiva datur appellatio, quæ sententiæ executionem suspendit, dum ab interlocutoria simplici appellatio non datur; insuper definitiva proferenda est, parte prius citata, dum interlocutoria absque citatione prolata valet. Pellegrinus part. 2, sect. 3, subsect. 1, n. 15.

850. In hac sententia duplex observanda est forma, *interna* nimirum et *externa*. Interna in eo consistit, quod est proferenda secundum leges, et secundum acta et probata. Secundum leges proferenda est, et canonum legitimarumque consuetudinum statuta : nam nequeunt judices arbitrari, aut philosophari; sed debent ad amussim leges exequi, et custodire. Hinc duo manant consectaria : 1^{m} sententia contra leges prolata ita est ex jure invalida, ut ad ejus impediendum effectum nulla indigeat appellatione (1); 2^{m} judex, qui contra leges sententiam scienter emittit, litem facit suam, ut loquitur imperator Justinianus, ad damni reparationem tenetur, et ab officii exercitione suspenditur (2).

(1) Cap. 1, de sent. et re judic. — (2) Princ. Instit. de oblig. quæ ex quasi delict. et cap. 1, de sent. in 6.

851. Quæri hac occasione potest, an teneatur judex in sua sententia legitimas decidendi rationes edere? Canonistæ communiter in eam concedunt sententiam, ut regulariter non sint decidendi motiva exponenda, ne condemnatis ob motivo-

rum, et rationum expressionem calumniandi, et cavillandi præbeatur occasio; et talis fuit antiqua tribunalium ecclesiasticorum praxis. Sed æquior contraria sententia videtur, quæ ad exemplum tribunalium civilium in curiis ecclesiasticis nunc servatur : nam ratio, et causa decidendi est ipsius decisionis anima, et reus per motiva convictus ita sententia revincitur, ut nullo modo queat amplius protelare litem (1).

(1) Cap. 16, de sent. et re judic. ibique Gloss. Gonzalez, et Zallinger § 405. Quæri hoc loco ulterius potest, an judex queat condemnare, quem ex allegatis in causa constat esse reum, dum ipse judex ex scientia privata certo scit esse innocentem? Plures cum S. Thoma docent, judicem in casu debere reum damnare, quia judex non procedit in judicio, ut persona privata, sed ut persona publica; quæ ad ea, quæ publice constant, ac allegata, et plene probata sunt, attendere debet, aliter bonum publicum damnum pateretur. Alii vero sentiunt, nullo in casu id licere, quia judex ageret contra propriam conscientiam, ac publice et per sententiam injustam mentiretur contra præceptum Exodi cap. 23, 1 et 2. Pellegrinus part. 2, sect. 2, subsect. 3, n. 8, et Zallinger loc. cit. in not. Nos vero in hoc casu difficili, qui raro potest occurrere, putamus, debere judicem : primo probationes diligentius scrutari, ut possit earum defectus cognoscere; secundo dubia, si quæ ei in causa occurrunt, tum actori, tum reo proponere, ut illis respondeant. Pellegrinus loc. cit. subsect. 14, n. 2; tertio per excusationem, aut dilationem, aut compositionem, aut per alium similem modum sententiæ prolationem vitare. Quod si nequeat aliquo justo medio se a sententia proferenda liberare, eam debet proferre juxta acta, et plene probata, et non secundum id quod ipse noscit tamquam privata persona. Neque stricte loquendo potest dici, judicem mentiri, cum sententiam proferat de publico, prout resultat ex actis, non prout privatim sentit : sententia enim non fundatur in privato affectu et cognitione, sed in actis et probatis. Insuper hic judex non agit contra conscientiam judicis, uti est persona publica : quando enim pronunciat, reum esse juridice convictum, id tantum declarat, quod ex actis resultat, et non quod ipse sentit tamquam persona privata. Devoti de sent. § 10, in not. Ab hac tamen regula putamus, excipiendum esse casum, in quo agitur de causis criminalibus majoribus, quia occidere innocentem est per se intrinsece malum, et repugnat juri divino et naturali, cui derogare nequit quodcumque jus positivum humanum.

852. Sententia deinde proferenda est secundum acta et probata, id est, petitis in libello, allegatis et probatis in judicio debet esse conformis (1); nam per acta et probata judex edo-

cetur, nexus controversiæ solvitur, jusque partibus oritur, ut juxta deducta partium sequatur sententia. Hoc quidem sapienter expressit Innocentius III his verbis : *Judex officii debitum exequatur, eo semper adhibito moderamine, ut juxta judicii formam sententiæ quoque forma dictetur* (2). Hoc ipsum confirmat Clemens V, qui judici mandat, ut *sententiam proferat prout ex petitione, et probatione, et aliis actitatis in causa fuerit faciendum* (3).

(1) Hæc regula tunc fallit, cum judex procedit, *sola facti veritate inspecta*. Cap. 6, de judic. — (2) Cap. 31, de Simon. — (3) Clem. *Sæpe* de verb. signif.

853. Ad eamdem præterea internam formam illud pertinere videtur, quod sententia definitiva, quantum fieri potest, generalis esse debet, et omnia controversiarum propositarum puncta decidere et terminare, nedum in negotio principali, sed etiam in accessoriis, ut super expensis in lite factis, et super fructibus in re litigiosa perceptis, ne lis nova ex litis alterius materia suboriatur, aut sit necesse bis in idem incidere (1). In litis expensas victus victori damnatur, cum per calumniam, aut te temere, aut injuste litem ventilasse patet, immo ex eo quod causa cadit, præsumitur injuste litem movisse ; sed hæc præsumptio pluribus elidi potest rationibus, quas justas in casu occurrenti æstimat judex, qui et absolvere, et compensare in toto, vel in parte expensas valet (2). Similiter damnatur ad restituendos universos rei litigiosæ fructus a die litis contestatæ, vel a die petitionis judicialis, quia ab hac die incipit esse possessor malæ fidei.

(1) L. 3, cod. de fruct. et expen. — (2) Cap. 5, de dol. et contum. et cap. 4, de pœn. Quod dicimus de expensis intelligitur de necessariis, ut sunt honoraria moderata advocatorum, mercedes procuratorum, et notariorum, expensæ pro testibus audiendis, pro confiendis actibus in Curia, et pro cursoribus, aliæque similes. Expensæ vero voluntariæ, sive delicatæ, ut alii dicunt, quæ ad liberalitatem, non ad necessitatem referuntur, non sunt a victo victori refundendæ. Expensæ taxandæ sunt a judice per ejus decretum, ut de earum quantitate constet. Gloss. in cap. 11, de restit. spoliat.

854. Forma deinde externa sententiæ definitivæ ordinariæ in hoc consistit, quod proferatur in scriptis, ab ipso judice (1), pro tribunali sedente (2), in loco publico, ubi solet jus dicere, die non feriato, nec de nocte. Absolute non requiritur, ut tota scripta sit ab ipso judice, sed sufficit si sit manu judicis propria subsignata (3). Aliæ quoque ex antiqua praxi requirebantur solemnitates, ut erat duorum testium præsentia ; sed nunc sufficit propriæ curiæ stylum observare (4).

(1) Judex sententiam proferens eam legit; sed Episcopi propter dignitatis prærogativam possunt sententiam recitare per alium. Cap. 5, de sent. in 6. — (2) Judex in proferenda sententia non stare, sed sedere debet, quod a jure inductum est, tum ut suam demonstret auctoritatem, tum ut melius, quiescente corpore, in verba, et spiritum sententiæ animum intendat. Unde ex jure canonico sententia a non sedente prolata non attenditur. Cit. cap. 5. de sent. in 6 ; et ideo introducta est formula : *Nos... pro tribunali sedentes*, etc.— (3) Scriptura requiritur, ut perpetuo pateat, et sit certa, ac immutabilis. Can. 7, c. 2, q. 1, et cit. cap. 5. —(4) Ante hæc novitatis tempora in omnibus fere Curiis ecclesiasticis sententia ferebatur coram duobus testibus, idiomate latino, in cedula danda, prout supra notavimus.

855. Hic sententiæ effectus est, ut transeat in rem judicatam, si intra decem dies ab ea appellatum non sit : nam post hujus temporis lapsum, ubi partes ad legitimum superiorem non appellaverint, præsumuntur sententiam probare, sibique appellationis viam præcludunt (1). Sed hi decem dies ex jure canonico incipiunt decurrere a die, qua sententia pronunciata fuit, si coram partibus fuerit lecta, et publicata ; et si partes sint absentes a die notificationis sententiæ (2). Judex hoc tempore decem dierum ad appellandum concesso suam sententiam definitivam nequit revocare ; potest tamen eam declarare, si quæ sint verba obscura, aut ambigua, modo ad hunc actum sint citati ambo litigantes, et nihil aliud sententiæ addatur, vel detrahatur (3).

(1) Cap. 15, de sent. et re judic. — (2) Juxta vero antiquam praxim pronunciandi in cedula danda, vel pro servato, hi dies incipiunt currere a die hujus pronunciationis, quia hac die fingitur sententia lata, licet judex ab hac pronunciatione habeat adhuc triginta dies ad cedulam dandam, et decem ad aperiendum terminum pro

servato. Unde juxta hanc praxim intra decem dies debet appellare, qui ignorat sententiam, et appellat solita clausula, *quatenus contra*, nimirum, quatenus appellanti contraria sit superventura sententia. — (3) Zallinger de sent. § 410.

856. Res judicata ita controversiæ finem immutabiliter imponit, ut neque per aliam rem judicatam queat mutari (1); ita pro veritate habetur, ut omnia in ea præsumantur rite celebrata, et legitime facta (2); et ita novam legem partibus litigantibus imponit, ut faciat inter eas ex nigro album, et ex albo nigrum, sicut loquuntur Pragmatici (3). Hanc tamen rei judicatæ auctoritatem quædam speciales sententiæ numquam consequuntur, ut sententiæ criminales, et matrimoniales de vinculi validitate (4).

(1) Cap. 20, de sent. et re judic. — (2) Cap. 13 et 16, eod. — (3) Nec res judicata per nova instrumenta postea reperta resolvitur, nisi interveniat restitutio in integrum a Principe concessa. Cap. 21, de sent. et re judic. Jus novum facit, sed tantum inter partes, quæ litigant, vel consensum litigantibus præbent, vel causam a litigantibus habent, veluti hæredes cum ex regula juris, *res inter alios acta, vel judicata aliis non noceat*. Hoc tamen restringitur ad sententiam in se consideratam; nam si plures sint sententiæ in rem judicatam transactæ, quæ eamdem speciem eodem modo semper definierint, quoddam jus novum in casibus similibus quoad omnes inducunt, et efficiunt auctoritatem rerum similiter judicatarum, quæ, ut jam vidimus, legis auctoritatem per consuetudinem obtinet. — (4) Item non transeunt in rem judicatam sententiæ prolatæ a judice excommunicato. Cap. 24, de sent. etc., et cap. 13, de hæret.; vel deductæ ex falsis testibus, aut instrumentis. Cap. 22, de sent. etc. Cap. 9, de testib. et cap. 6, de except.; et quæ non fuerunt publicatæ. Cap. ult. de sent. in 6. Præterea non transit in judicatum sententia nulla, quæ talis esse potest ex multis capitibus. Pellegrinus part. 3, sect. 3, subsect. 1, n. 79.

857. Quæri hic potest, an res judicata in foro interno eamdem exerceat vim, quam habet in foro externo? Respondemus minime: nam quando sententia evidenter nulla agnoscitur, aut manifeste injusta, res judicata in conscientia obligare non potest, quia non foret amplius regula justi, sed vinculum iniquitatis. Propterea qui per injustam rem judicatam in foro externo suam amisit rem, eam potest adhuc in conscientia sibi habere, aut re-

cuperare, aut compensare; et vicissim qui per injustam rem judicatam aliquid alienum mala fide est consequutus, adhuc tenetur illud restituere, nec valet præscribere, quia obstat mala fides. Sed si quis per injustam rem judicatam alienum bona fide obtinuisset, posset illud sibi retinere post completam præscriptionem, non ante, quia præscriptio medium est acquirendi dominia rerum, non res judicata (1). Quare qui in judicio bona fide debitum negavit, et per rem judicatam a debito liberatus est, adhuc tenetur debitum solvere, si ante completam præscriptionem ex certo instrumento agnoscat, se debitorem fuisse ; et similiter qui pretium rei commodatæ a commodatario amissæ per rem judicatam obtinuit, si postea rem commodatam recuperet, aut ipsam rem, aut pretium commodatario restituere tenetur (2).

(1) S. Ligorio l. 4, n. 215. — (2) Zallinger. de sent. § 413.

TITULUS XIV.

DE EXECUTIONE SENTENTIÆ.

Summarium : 858. Intra quod tempus sententiæ executio sit facienda? — 859. In quibus rebus, et quo ordine? — 860. A quibus, et quomodo fiat? — 861. Quid agendum ad curiæ ecclesiasticæ sententiam exequendam contra invitos? — 862. Quando judex ecclesiasticus possit brachium sæculare implorare? — 863. An liceat judici sæculari acta processus petere?

858. Sententia, quæ in rem judicatam transivit, executioni mandanda est, et quidem statim ex jure canonico, quando agitur de actione reali, deque re, quæ statim tradi potest : neque enim reus hoc casu offerendo pignora se potest a traditione liberare (1); quando vero agitur de actione personali, executio fieri debet intra quadrimestre a die editæ sententiæ, vel a die confirmationis in appellatione factæ, ita tamen ut

dici facultas sit ex justa causa ipsum quadrimestre tempus parctandi, aut prorogandi (2). Sed per apparitores, aliosve inistros executio fieri nequit, nisi postquam ad hoc fuerit er judicem concessum mandatum executivum (3).

(1) Cap. 6, de sent. et re judic. — (2) Cap. 15, eod. et cap. 26, de fic. judic. deleg. — (3) Sententia executioni mandatur ab illo juce ordinario, qui eam tulit, tum in prima, tum in secunda instan. Idcirco judex appellationis suam exequitur sententiam, licet r eam primam judicis inferioris confirmet; si autem appellatio t deserta, sententiæ executio ad primum judicem spectat. Pelleinus loc. cit. subsect. 2, n. 6.

859. Si de re certa restituenda, vel tradenda, sententia sit ncepta, et talis extet res, quæ restitui, vel dari queat, vel si potheca in re certa specialiter competat, in ipsa tantum ecutio fit, ubi ad obligationem extinguendam sufficiat. Si ro sententia sit de debito, in executione peragenda hic est do observandus, nimirum primo executio fit in pecunia, et bus mobilibus, quæ minus putantur utiles, vel necessariæ. inde si hæ res non sufficiant, executio fit in immobilis, nominibus debitorum, aliisque juribus incorporalibus (1).

(1) Cap. 5, fin. ut lit. non contest. etc. Ab executione tamen salva mper, quantum fieri potest, esse debent animalia, et instrumenta riculturæ necessaria, nec non instrumenta artis, quam debitor ercet, quod in privatum publicumque favorem fuit introductum, pauperes magis depauperentur, et vitæ agendæ subsidia desint. fortiori salva esse debent supellectilia ad usum personæ, et vitæ cessaria, ut vestes, et beneficiorum fructus, si clericus habeat alia na. Pellegrinus loc. cit. n. 19.

860. Judex ordinarius per litteras *executoriales* suis minis sententiæ executionem committit, si executio in suæ jurisdictionis territorio sit perficienda (1); sin secus in territorio erius judicis perfici debeat, litteras *requisitorias*, ut dicunt, judicem mittit illius territorii, quibus eumdem requirit, ut tentiam ipse in suo territorio exequi velit (2). At in casu icis delegati distinguendum est : nam delegatus a summo incipe tamquam judex ordinarius suam potest, si velit, exesententiam, cum ad hunc effectum ad annum post latam

sententiam sibi commissam jurisdictionem ex jure conservet (3). Delegatus vero ab inferiore judice probabilius nequit suam exequi sententiam, quam debet pro executione deleganti remittere, quin ipse delegans valeat eam mutare. Quod si quis extraneus ad sententiam exequendam deputetur, et de ejus nullitate quæstio coram eo proponatur, nequit ipse de ea cognoscere; sed ubi justum videatur habere motivum, ad eum totum est negotium deferendum, qui sententiam tulit (4). Excipiendum tamen est, si tres adsint conformes sententiæ; nam hoc casu querela de nullitate alicujus non impedit ultimæ executionem (5).

(1) Executio per appellationem impediri non potest, quia ab executione non datur appellatio, nisi judex in ipsa excessus committat, quo casu appellari tantum potest ab excessu. Pellegrinus loc. cit. n. 32. — (2) Cap. 1, § penult. de for. comp. in 6. — (3) Cap. 7 et 26, de offic. jud. deleg. Diximus *si velit*, quia non prohibetur judici ordinario suæ sententiæ executionem remittere. — (4) Cap. 3, de sent. et re judic. — (5) Clem. *Ut calumniis* de sent.

861. Licet Ecclesia plenam habeat suas contra subditos sententias exequendi potestatem, eas tamen ministrorum defectu exequi non valet, quando invitis est vis inferenda. Recursus proinde necessarius est ad civilem potestatem per imprecationem brachii sæcularis, quod exhibere tenetur, tum ex naturali obligatione adjuvandi Ecclesiam, tum ex consuetudine ab omnibus catholicis nationibus admissa, tum denique ex legibus, et conventionibus initis (1).

(1) Cap. 1 et 14, de offic. jud. ord. Trid. sess. 24, c. 8, de ref. e sess. 25, c. 5, de ref. Duplex autem esse solet brachii sæcularis implorati, nempe generalis, et specialis : nam generaliter pro omnibus futuris negotiis ab ipso Principe brachium sæculare novus Episcopus solet implorare, antequam suæ diœcesis administrationem suscipiat; et postea specialiter a magistratu pro quolibet particulari expediendo negotio. Ilic tamen notandum, quod brachium sæculare tum demum invocandum est, quando judex ecclesiasticus omnia expertus est media in sua potestate constituta ad executionem perficiendam etiam per censuras ecclesiasticas, et his mediis non potuit suam exequi sententiam; in hac tantum necessitate debet specialiter brachium sæculare implorare. Pellegrinus part. 4, sect. 7, n. 42.

862. Judex ecclesiasticus in causa civili, sive criminali contra clericum brachium sæculare in necessitate invocare potest tam in causæ principio, quam in medio, et in fine, quin debeat nomen personæ, aut titulum causæ, aut ejusdem qualitatem exprimere ; et si in principio imploret, et concedatur, ad integrum expediendum negotium prodest. In causa vero contra laicum, ubi in eum jurisdictionem habet, regulariter debet judex ecclesiasticus dictum civile remedium implorare in principio causæ, istoque tempore concessum prodest pariter ad integrum negotium expediendum. Attamen hoc casu civilis potestas potest jure personæ nomen, titulumque causæ tam civilis, quam criminalis ab ecclesiastico judice percontari. Sed diximus regulariter citatum civile remedium contra laicum in principio causæ esse implorandum : nam hoc limitatur in causis, in quibus judex ecclesiasticus privative procedit, ut in causis matrimonii, aut fidei, etc., in quibus admittitur brachii sæcularis imploratio, ut in principio, sic in medio, et in fine.

863. Illud denique animadvertendum, quod, ubi dictum auxilium civile pro alicujus causæ executione imploratur, judici sæculari numquam licet acta processus inspicienda petere, vel de causæ justitia cognoscere, aut aliquid definire. Licet tamen eidem suum negare brachium, quando evidenter constat, judicem ecclesiasticum suæ jurisdictionis excessisse fines (1).

(1) Marenco, de eccl. § 345, et seqq., et Monacellus, tit. 15, form. 11.

TITULUS XV.

DE APPELLATIONE.

SUMMARIUM : 864. Appellatio quid sit, et quotuplex? — 865. Qui possint appellare a sententia definitiva? — 866. Quando appellatio interdicatur? — 867. Quando detur appellatio ab interlocutoria? — 868. Quæ sint differentiæ inter appellationem a definitiva, et ab interlocutoria? — 869. Ad quem judicem appellatio fiat? — 870. Appellatio non datur a judice ecclesiastico ad civilem, — 871. A quo, et quomodo proponenda sit? — 872. Qui sint termini fatales appellationis? — 873. Quomodo appellentur libelli dimissorii, et quomodo dari queant? — 874. Quamdiu duret terminus ad introducendam appellationem? — 875. Quamdiu terminus ad appellationem finiendam? — 876. Quid intersit inter appellationem a sententia nulla et a sententia injusta. — 877. Quotuplex sit appellationis effectus? — 878. In quibus casibus appellatio admittatur? — 879. Quæ observanda circa appellationem a censuris? — 880. Quid agendum, ut appellatio admittatur? — 881. Quomodo post admissam appellationem novus processus inchoetur? — 882. Judex appellationis potest revocare attentata. — 883. Sententia reparari potest per restitutionem in integrum. — 884. Per supplicationem ad summum Pontificem, et revisionem. — 885. Per iter arreptum ad S. Sedem.

864. Contra iniquam judicis sententiam ad victi defensionem plura sunt a jure constituta remedia; sed horum præcipuum est appellatio, quæ definitur, *provocatio ab inferiore ad superiorem judicem a victo legitime facta, ut illius nulla, vel injusta sententia per hunc ad æquitatem revocetur.* Appellatio primo est *provocatio*, id est novum certamen a victo in judicio vel extra, victori indictum, in quo comprehenditur appellatio *judicialis,* et *extrajudicialis*, sicut a jure canonico probatur. Appellatio est judicialis, quæ contra actum judicialem, ut contra sententiam definitivam, vel interlocutoriam admittitur; et extrajudicialis, quæ contra actum, vel decretum extrajudiciale, ut foret decretum super præsentatione, vel collatione beneficii, proponitur, quæque magis specialiter *querela,* vel

provocatio ad causam vocatur ; quia vere non habet aliud antecedens judicium, sed provocat ad causam inchoandam (1).

(1) Cap. 5, de appel.

865. Appellatio judicialis subdividitur in appellationem *a definitiva*, et appellationem *ab interlocutoria*. Appellatio a definitiva conceditur omnibus, qui directe, vel indirecte per primam sententiam gravati fuerunt, etiamsi gravamen non sit præsens, sed juste in futurum timendum. Hinc recte appellat principalis actor, ejus procurator, negotiorum gestor, et omnis, cujus interest, ut venditor, et fidejussor, quando damnatus fuit emptor, vel debitor principalis, quia habet emptor contra venditorem, et creditor contra fidejussorem regressum. Sed unius appellatio aliis etiam prodest, modo idem sit negotium, eademque causa defensionis existat (1).

(1) Can. 30, c. 2, q. 6, et cap. 72, de appel.

866. Huic regulæ exceptio fit, quando appellatio est a jure, vel ab homine interdicta, quod contingit, cum evidenter constat, sententiam nullum ferre gravamen præsens, aut futurum ; quo casu appellatio dicitur *frivola*, et ideo rejicienda : cum quis habet contra se tres sententias conformes (1) ; cum quis appellationi cum juramento renunciavit, vel sententiam contra se latam etiam tacite probavit (2) ; cum quis per evidentiam depositionum testium, aut aliorum documentorum convictus factum aut rem confessus est (3) ; cum agitur de causa per juramentum decisorium finita, vel de causa, cui inest clausula, *appellatione remota* (4) ; et in aliis pluribus casibus (5).

(1) Cap. 39 et 65, de appel., ubi dicitur licere tantum bis appellare : bina siquidem appellatio tres involvit sententias, sententiam scilicet primæ cognitionis, et duas appellationum. Verum si una sententia ex his sit contraria datur tertia appellatio, et ob id dari etiam potest quarta, et quinta appellatio. Ultra hunc terminum nullatenus admittitur ; sed nova gentium statuta, ac præsertim Romana post duas conformes sententias appellationem interdicunt, quod etiam de jure canonico antiquo observabatur. Devoti l. 3, t. 15, § 7, in not. —

(2) Cap. 20 et 21, de appel. et cap. 20, de offic. deleg. et ib. Gloss. — (3) Cap. 61, de appel. et cap. 3, eod. in 6. — (4) Hanc clausulam pluries probavit Tridentinum, et quandoque suis rescriptis apponit summus Pontifex. Per eam tamen non tollitur omnino appellatio, quia recursus ad superiorem fieri adhuc potest ; sed judicium non suspenditur, et judex potest in causa procedere, ac sententiam ferre, quæ per recursum factum a superiore in novo judicio revocatur, si injusta, vel gravatoria sit, quia hæc clausula tendit ad accelerandum judicium, non ad injustitiam fovendam. Cap. 53, de appel. — (5) Pellegrinus part. 3, sect. 1, n. 15. Ex jure civili non datur appellatio in causis minimis ; sed ex jure canonico admittenda videtur non tantum in causis majoribus, sed et in minimis. Cap. 11, de appel. Unde danda est appellatio etiam ad effectum suspensivum ab ordinationibus Episcopi judicialibus, et extrajudicialibus, quibus clericus addicitur ad spiritualia peragenda exercitia, et ab aliis redargutionibus etiam levibus, in quibus clericus potest ad Metropolitanum recurrere, et appellare ; et Metropolitanus debet hujusmodi appellationes recipere, etiamsi Episcopus processisset ex informata conscientia. Sed recte ab hac doctrina debent excipi : 1° sententiæ ex informata conscientia, quæ respiciunt susceptionem ordinum, et suspensionem ab eorumdem exercitio, in quibus appellatio datur tantum ad S. Sedem ob decretum Tridentini in sess. 14, c. 4, de ref. 2° decreta in visitatione edita ; 3° sententiæ, et decreta pro correctione morum, in quibus, ut infra videbimus, appellatio tantum datur ad effectum devolutivum.

867. Appellatio a sententia interlocutoria jure canonico veteri dabatur a qualibet etiam simplici judicis interlocutione (1) ; sed jure novissimo Concilii Tridentini (2) tunc datur tantum, cum sententia interlocutoria habet vim definitivæ (3), aut magnum affert gravamen per sententiam definitivam irreparabile (4), prout jam antea fuerat a jure civili Romanorum constitutum, quod quidem a Tridentinis Patribus sapientissime gestum fuit, ne sub vanæ appellationis specie lites diutius protraherentur.

(1) Cap. 9, 15 et 20, de appel. et cap. 1, eod. in 6. — (2) Sess. 13, c. 1, et sess. 24, c. 20, de ref. — (3) Sententia interlocutoria habet vim definitivæ : 1° quando aliam non expectat amplius sententiam, et instantiæ finem imponit ; 2° quando per eam officium judicis finitur, ut si se declaret incompetentem ; 3° quando per eam definitur aliquis articulus substantialis causæ principalis ; 4° quando sententia continet aliquod dandum, vel faciendum : 5° quando revocat judicis inferioris attentata ; 6° quando declarat appellationem desertam ; 7° quan-

do prohibet processum ad ulteriora ; 8° quando dat absolutoriam ab observatione judicii, et in aliis similibus. casibus Pellegrinus part. 3, sect. 3, subsect. !, n. 16. — (4) Interlocutoria affert gravamen irreparabile : 1° si rejiciat exceptiones peremptorias, vel dilatorias ; 2° si rejiciat procuratorem, vel tutorem comparentis ; 3° si injuste admittat, vel rejiciat propositos articulos ; 4° si injuste admittat, vel rejiciat appellationem ; 5° si admittat tertium ad impediendam executionem, et sic de aliis casibus similibus. Pellegrinus loc. cit. n. 20.

868. Ex his apparet, appellationem a sententia definitiva valde differre ab appellatione ab interlocutoria. At sunt inter utramque appellationem aliæ differentiæ : nam appellatio a definitiva jurisdictionem judicis inferioris suspendit, exceptis quibusdam casibus, quos infra referemus; dum appellatio ab interlocutoria judicis inferioris jurisdictionem non suspendit, nisi inferior appellationi deferat, vel superior, cognita appellationis causa, litteras inhibitionis emittat. Insuper sententia definitiva non potest a judice eam ferente corrigi; sed corrigi ab eo potest sententia interlocutoria, immo si gravamen per sententiæ correctionem judex auferat, quo dicitur *sententiam circumscribere*, appellatio cessat. Denique appellans a definitiva novis uti potest probationibus, et novas adducere causas; dum appellans ab interlocutoria neque novas potest adducere causas, neque novis probationibus uti (1).

(1) Devoti l. 3, t. 15, n. 3 et 4.

869. Deinde in appellationis definitione illud addimus, quod appellatio fit *ab inferiore ad superiorem judicem*. Inferior dicitur judex *a quo*, et superior judex *ad quem :* non enim fieri potest ad minorem, vel parem, quia id foret contra substantiam appellationis (1); et insuper regulariter fieri debet gradatim, non intermisso medio, de inferiore ad proximum superiorem, ut a Prælato subjecto Episcopo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitam, et deinde ad Primatem, ac summum Pontificem : secus vero facta appellatio posset per exceptionem infirmari (2). Diximus tamen *regulariter*, nam valida est appellatio ab inferioribus judicibus ad summum Pontificem, etiam omissis mediis, si ipse appellationem recipiat,

quia præter summam ejus jure divino in omnibus ecclesiasticis rebus potestatem habet concurrentem cum omnibus judicibus jurisdictionem (3).

(1) Ita loquitur Glossographus ad cap. 2, de consuet. in 6. — (2) Cap. 66, de appel. et cap. 3, § 1, eod. in 6. — (3) Can. 4 et 6, c. 2, q. 6, et cap. 7, de appel. Quod admittitur in Gallia post dispositiones pro illa a Pio VII datus, ut legitur in append. ad inst. jur. can. cardinalis Soglia, § 25.

870. Duo hinc manant gravioris momenti corollaria : 1^m a sententia summi Pontificis non datur appellatio, quia non habet in terris Superiorem ; 2^m a Sententia judicis ecclesiastici non datur appellatio ad civilem magistratum, quia illi non est hic in juridictione superior. Propterea nequeunt admitti appellationes *ab abusu*, quibus sub prætextu excessus, sive abusus potestatis ecclesiasticæ prætendunt Jansenistæ licitum esse appellare a sententia judicis ecclesiastici ad laicum magistratum. Hoc enim repugnat divinæ Ecclesiæ institutioni : nam Christus dedit Petro, et Apostolis liberam judicandi, ligandi et solvendi potestatem, minime civilibus potestatibus subjectam. Repugnat rationi : nam magistratus civilis non habet potestatem judicandi de rebus spiritualibus, et jurisdictionem super judices ecclesiasticos; alias ancilla fieret Ecclesia, quæ primogenita, et libera nata est. Ipsa enim semper extitit ab ipso Deo fundata in lege naturæ ac scripta, et sola utramque potestatem ecclesiasticam, et civilem per Patriarchas, et Pontifices retinuit usque ad primum Regem Saül (1), ac postmodum sanctificata plenius, ac æternitate donata per Christum fuit (2). Ideo sacri canones, ac specialiter Bulla *Cœnæ*, et Syllabus Pii Papæ IX, has appellationes gravissime damnant (3), et innumerabilia sunt mala a dictis appellationibus in Ecclesiam, et societatem invecta (4). Neque prodest dicere in contrarium, Principes sæculares esse Ecclesiæ protectores, et societatis defensores, ut civium jura quocumque modo tueantur; nam protectio Ecclesiæ Principibus sæcularibus competens in eo consistit, ut sanctas faciant observare Ecclesiæ leges, non ut eas per impias appellationes violent.

Item defensio societatis iisdem Principibus credita ea est, ut quocumque modo justo civium jura tueantur; sed intra eorum potestatis limites, quod enim ultra hos limites faciunt, defectu potestatis aut injustum, aut nullum esse debet (5).

(1) Hoc demonstratur ab auctore Anal. jur. pont. in apposita discussione inserta in ser. 8. — (2) Huc spectat celebris illa protestatio cleri Gallicani anni 1665 Regi Ludovico XIV directa, qua declaratur novas in Gallia esse appellationes ab abusu, et tunc incepisse cum hæresis calviniana erupit ; quo tempore ficti catholici cum manifestis hæreticis conspirarunt ad evertendam Ecclesiam, commendantes appellationes ab abusu, ut doctrinam, et disciplinam Ecclesiæ, ejusque ministros judicio laicorum tribunalium submitterent. — (3) Syllab. prop. 41. — (4) Unde sæculo decimo septimo doctus Altaserra jurisconsultus Tolosanus ita aiebat occasione harum appellationum : « Sanctorum nomen Episcoporum luditur, et « exsibilatur in foro ; zelus disciplinæ typhi, et tyrannidis insimu- « latur ; honestum studium tuendæ dignitatis episcopalis fastus ac- « cusatur ; sicque falsa interpretatione Religio adulteratur, forum « fit capitolium impunitatis clericorum incontinentium, et facinoro- « sorum ; contumelia Episcoporum vocatur disciplina, quæ olim fuit « querela militum (Tacit. 1, Histor.), *falsis nominibus supplicia, et contumelias disciplinam appellant.* » De jurisd. l. 8, c. 10. — (5) Mala autem, quæ ex his appellationibus oriuntur longe excedunt beneficium cujuscumque protectionis Principis sæcularis: nam historia docet, quid evenerit in illis regionibus, in quibus hujusmodi appellationes admissæ fuerunt. Ibi sane Episcopi ad eam redacti fuerunt conditionem, ut nequirent disciplinam ecclesiasticam tueri ; ibi clericorum rebellio contra Episcopos introducta, et confirmata ; ibi Ecclesia humiliata, et despecta, uti maximo animi dolore prævidebat, et confitebatur clerus Gallicanus in supracitata protestatione ; ibi denique sæculares magistratus supremi effecti ministri sepulturæ ecclesiasticæ, censurarum, et sacramentorum, quod facere non sunt veritæ curiæ Gallicanæ, teste Lequeux § 157.

871. Similiter juxta allatam definitionem appellatio proponenda est *a victo*, id est ab eo, contra quem directe, vel indirecte lata est sententia, vel decretum, et potest proponi etiam viva voce in sententia definitiva, et in interlocutoria habente vim definitivæ, si fiat incontinenti coram judice pro tribunali sedente, dicendo ex. gr. *appello*, vel *provoco ad superiorem*, aut alio modo æquivalenti. Secus post intervallum requiritur ad effectum appellationis libellus, qui exprimat nomen appel-

lantis, et illius contra quem appellatur, et sententiam, a qua appellatur (1). Cæterum appellans non tenetur exprimere causam; sed sufficit, si dicat, se gravatum vel sententiam esse injustam : causam enim exponere, et probare tenetur tantum coram judice appellationis (2). In aliis vero sententiis interlocutoriis requiritur scriptura, sive libellus, et expositio causæ appellationis (3).

(1) Can. 31, c. 2, q. 6. — (2) Cap. 10, de fid. instrum. et cap. 6, de appell. — (3) Cap. 59. eod. et cap. 6, eod. in 6. Ratio vero ob quam in his appellationibus necessaria est scriptura, et adductio causæ hæc est, quia de causæ justitia prius debet cognoscere judex a quo, ut sciat, an debeat appellationi deferre, vel suam interlocutoriam corrigere, quod in definitiva non potest fieri, cum causæ cognitio ad judicem superiorem, ad quem appellatum est, pertineat.

872. Forma in appellatione servanda respicit potissimum *terminos fatales,* vel, ut dici solet, *fatalia* appellationis. Hujusmodi termini sunt quatuor, nempe terminus ad interponendam appellationem, terminus ad petendos apostolos, terminus ad introducendam appellationem, et terminus ad prosequendam finiendamque appellationem. Primus terminus ad interponendam appellationem durat ad decem dies, qui ex jure canonico computantur a die, qua appellans sciverit, sententiam, vel decretum fuisse pronunciatum, tum in judiciali, quam in extrajudiciali appellatione (1). Hæc appellationis interpositio fieri debet coram judice a quo, qui sententiam, aut decretum emisit. Si vero appellans hujus judicis copiam habere nequeat, coram bonis, et honestis viris valide appellat (2).

(1) Cap. 15, de sent. et re judic. et cap. 8, de appel. in 6. — (2) Cap. 73, de appel. et Monacellus t. 15, f. 2.

873. Secundus terminus ad petendos apostolos durat ad triginta dies, qui a die interpositæ appellationis computantur; sed judex a quo potest hunc terminum restringere (1). Apostoli hoc casu dicuntur libelli dimissorii, sive litteræ, quibus

judex a quo judici ad quem testatur, appellationem fuisse coram se interpositam, et simul de appellatione suum emittit judicium dando apostolos *dimissoriales,* quando causam appellationis judicat probabilem; *refutatorios*, quando appellationem judicat frivolam, atque frustratoriam (2); *reverentiales*, quando appellationi defert non ex natura causæ, sed ob reverentiam debitam superiori judici ad quem; apostoli vero *testimoniales* dantur a notario, vel a viris honestis, coram quibus appellatum fuit (3). Infra dictum terminum sunt apostoli *instanter, et sæpius* petendi, secus appellationi renunciatum censetur : dicimus *sæpius*, nam postquam appellans instanter apostolos petiit, debet infra eumdem terminum ad apostolos recipiendos ad judicem redire, et etiam sæpius, ut apostolos recipiat; quos si judex dare renuat, post dictum terminum potest legitime appellationem prosequi (4).

(1) Cap. 6, de appel. in 6. — (2) Cum judex dat apostolos refutatorios, in libello dimissorio debet apponere causam, ob quam censet appellationem esse frivolam et frustratoriam, sicut disponunt Romanæ leges a canonica praxi approbatæ. Si vero causa non sit evidens, satius est, ut judex a dandis his apostolis abstineat, ne videatur justitiæ viam præcludere. — (3) Si pars victrix appellationem acceptet, dare potest apostolos, qui *conventionales* appellantur. — (4) Cap. 4 et 6, de appel. in 6, et Clem. *Quamvis* eod. Judex a quo appellatum est, apostolos omnino dare debet; alias processus post apostolorum denegationem expressam, sive tacitam confectus ipso jure est invalidus. Cap. 4, de appel. in 6.

874. Tertius terminus ad introducendam appellationem non est in Decretalibus definitus; idcirco ex arbitrio judicis a quo dependet, qui debet brevius, vel longius assignare temporis spatium secundum locorum distantiam, ac personarum, et negotiorum qualitatem. Nihilominus hic terminus moribus hodiernis, et consuetudine durat ad annum ab interposita appellatione, ubi brevius spatium non sit per judicem definitum. Unde si appellans intra annum causam judici ad quem non committat, id est non exhibeat apostolos, non instet, ut appellatio recipiatur, ut opportuna fiat citatio, inhibitio, etc., a jure appellationis cadit, et appellatio fit deserta (1).

(1) Devoti de appel. § 14.

875. Quintus denique terminus ad prosequendam finiendamque appellationem durat ad annum, et ex causa ad biennium (1). Sed judex ob justum aliquod impedimentum potest adhuc hunc terminum prorogare, si duret (2). Hoc demum elapso termino, ita appellantis negligentia punitur, ut appellatio maneat deserta, et sit appellata sententia executioni mandanda (3).

(1) Cap. 5, de appel. — (2) Zallinger de appel. § 337. — (3) Cap. 44 et 45, de appel.

876. Appellatio præterea instituitur, ut *nulla*, *vel injusta sententia* revocetur, ut in definitione dictum fuit : est enim necessarium defensionis medium. Si sententia sit nulla, proprie appellatione non indiget, quia quod nullum est, nullos potest producere effectus, et ita habenda, quasi lata non esset. Nihilominus hæc nullitas est declaranda, postquam querela nullitatis fuerit proposita, et causa demonstrata; aliter ut valida in judicio putatur (1); idcirco dicimus, etiam in sententia nulla appellationem habere locum. Si vero sententia sit summo jure valida, sed injusta, et iniqua, quia partium jus lædit, et gravamen infert, veluti in sua specie appellationi locus est.

(1) Devoti loc. cit. § 6.

877. Denique appellatio ideo instituitur, ut sententia judicis inferioris per superiorem *ad æquitatem revocetur*. Hæc definitionis verba appellationis effectum demonstrant, qui ex jure canonico duplex est, nempe *suspensivus* et *devolutivus*. Appellatio tunc habet effectum suspensivum, cum per eam suspenditur jurisdictio judicis a quo, ita ut nil ultra in causa peragere queat præter ea, quæ ipsam appellationis causam respiciunt, uti est definire terminum appellationis introducendæ, et sub sequestro retinere rei litigiosæ fructus. Per hunc effectum totum negotium cum suis accessoriis ad judicem su-

periorem devolvitur, et in eo statu reponitur, in quo erat post litem contestatam in præcedenti instantia (1). Hinc judex superior agnoscit de innovatis, et attentatis per judicem inferiorem post interpositam appellationem, quæ tamquam nulla, et irrita in pristinum revocanda sunt (2). Effectum vero tantum devolutivum tunc appellatio habet, cum causæ cognitio devolvitur quidem ad judicem ad quem; sed judex a quo suam jurisdictionem adhuc servat, quatenus suam exequitur sententiam, et non potest inhiberi. Hoc casu non ligantur ejus manus, nec ejus sententia vim amittit, nisi post novam judicis appellati sententiam, in qua decernatur, bene fuisse appellatum, et male judicatum; nam si contrarium decerneretur, totum negotium foret ad judicem inferiorem remittendum (3).

(1) Cap. 55, de appel. — (2) Cap. 1, eod. et cap. 7, eod. in 6. — (3) Cap. 59, in fin. de appel. Hoc postremum verum est quando judex inferior appellationi non detulit; si enim appellationi detulisset, ipse judex superior posset causam retinere, et terminare: quia inferior per delationem appellationi a se factam, in ea causa jurisdictioni renunciasse censendus esset. Cap. 5, de appel. in 6.

878. Multum quidem interest agnoscerere quemnam e duobus sententia appellata habeat effectum; sed cognito uno contrariorum cognoscitur et aliud. Hinc sufficit numerare casus in quibus appellatio datur ad solum effectum devolutivum, ut pateat in aliis casibus dari ad effectum etiam suspensivum, sive ad utrumque effectum. Ex regula generali appellatio datur ad solum effectum devolutivum in causis visitationis diœcesanæ, et correctionis morum (1); sed Benedictus XIV, specialiter definivit, et determinavit casus, in quibus regulariter appellatio ad solum effectum devolutivum conceditur (2), quos hic breviter, quantum fieri potest, congerere studemus. Ex definitione Benedictina appellatio ad solum effectum devolutivum datur: 1° in omnibus casibus, in quibus sententia mandat aliquod exequi concilii Tridentini decretum; 2° a mandatis respicientibus divinum cultum, ac præsertim missæ celebrationem; 3° a decretis jubentibus sæculari, et regulari clero interesse processionibus, observare censuras etiam episcopales, et

dies festos juxta Tridentini decretum; 4° a provisionibus respicientibus curam animarum, et Sacramentorum administrationem; 5° a deputatione vicariorum in parochiis unitis aliis piis locis, in parochiis, ubi unus rector ob populi incrementum divino cultui peragendo non sufficit, et in parochiis, in quibus adest rector sacris officiis minus aptus, cum congrua assignatione fructuum; 6° ab erectione novæ parochiæ ob locorum distantiam, sive difficultatem, cum assignatione dotis competentis; 7° ab unione beneficiorum in casibus jure permissis, modo regularia non sint; 8° a sequestratione fructuum, et ab aliis provisionibus pro illis cogendis ad residendum, quibus cura animarum incumbit; 9° a revocatione, vel limitatione facultatis delegatæ audiendi confessiones, etiam in regularibus; 10° a deputatione œconomi in parochiis vacantibus cum congrua assignatione fructuum, et ab indictione concursus, a relatione examinatorum, et a provisione Episcopi; 11° a decretis circa prædicationem verbi Dei; 12° a correctione circa attinentia ad curam animarum; 13° a decretis circa monialium clausuram, et in delinquentes in administratione bonorum monialium; 14° a decretis circa vitam, et honestatem clericorum; 15° a denegatione sacrorum ordinum; 16° a præfixione termini, intra quem monachus extra monasterium, et publice delinquens a suo superiore puniri debeat; 17° a pœnis latis contra concubinarios, et contra clericos suspectas retinentes mulieres domi, sive extra; 18° a privatione privilegii fori ecclesiastici; 19° ab approbatione, vel reprobatione tituli pro sacra ordinatione; 20° a convocatione Capituli, ubi non agatur de re ad Episcopi commodum spectante; 21° a mandatis super institutione, vel divisione distributionum quotidianarum in ecclesiis collegiatis; 22° a visitatione locorum piorum, piorumque legatorum executione; 23° a mandatis quibus omnes bonorum ecclesiasticorum, locorumque piorum administratores coguntur Ordinario singulis annis rationes administrationis reddere; 24° a mandatis, quæ respiciunt erectionem, directionem, et administrationem seminarii; 25° a mandatis cogentibus œconomos, et vicarios capitulares ad rationes administrationis reddendas (3).

(1) Trid. sess. 13, c. 1, de ref. sess. 22, c. 1, de ref. et sess. 24, c. 10, de ref. — (2) Bul. *Ad militantis*. — (3) Hi præcipui sunt casus, in quibus juxta citatam Benedictinam definitionem appellatio datur tantum ad effectum devolutivum, non suspensivum. Sed hoc procedit regulariter loquendo, ut supra jam innuimus; nam, ut fatetur idem Benedictus, dari et in his possunt casus, in quibus valeat judex appellationem admittere etiam ad effectum suspensivum.

879. Circa appellationem a censuris quædam specialia sunt observanda. Nam primo si censura sit tantum comminata ab homine, judex appellationis potest litteras compulsorias dare judici a quo, ut ad se transmittat cópias actorum, et interim inhibere, ne ad ulteriora procedat, ac, visis postea actis, potest appellationem admittere, et dare absolutam inhibitionem (1). Secundo si censura jam sit lata, videndum est, an sit lata post interjectam appellationem a sententia, vel ante: in primo enim casu censura nulla est, et appellatio eodem modo procedit, ac si censura lata non esset, quia post appellationem cessat jurisdictio judicis a quo; in alio vero casu appellatio a censura habet tantum effectum devolutivum, quia sententia censurarum ob arctam quam habet cum anima connexionem secum affert executionem (2). Unde censura relaxari non potest, nisi auditis partibus, et cognita causa, quæ si appareat juste lata, et reus absolutionem cum emendatione debita præstat, pro absolutione remittendus est judici a quo; si vero injusta clare appareat, judex ipse ad quem absolvere debet; et si demum de justitia dubitetur, uterque judex potest absolutionem dare (3). Tertio si censuratus sit absolvendus ad cautelam, quando adest dubium, an censura sit contracta, vel ad reincidentiam, quando suæ non satisfaciat obligationi ex. gr. de stando in jure, vel de parendo mandatis Ecclesiæ, prius debet præstare satisfactionem, si censura sit lata ob manifestam offensam, vel compensare expensas, et debitum solvere, si censura ob manifestam contumaciam lata fuerit, ac postea ad tramites juris censuratus potest absolvi (4).

(1) Bul. Benedicti XIII. Giraldus ad tit. de appel. in append. 3. — (2) Cap. 20, de sent. excom. in 6, et cap. 37, de appel. Hinc sequitur, clericum violantem censuram in primo casu non incurrere irregularitatem, licet consultius sit, ut per judicem ad quem ad caute-

lam absolvatur juxta rubricam cap. 16, de appel. dum certum est, irregularitatem incurrere in secundo casu, quia, non obstante appellatione, manet censura ligatus. Si vero censura sit lata sub conditione ex. gr. si intra determinatum tempus aliquod non faciat, verius est, per appellationem hoc tempore interpositam censuram non afficere personam, et eam violantem non fieri irregularem, quia censura effectum non producit, nisi transacto tempore statuto, et verificata conditione. — (3) Giraldus loc. cit. append. 1. — (4) Duo tamen hic notanda sunt : 1m quod ea, quæ exposuimus de censuris habent solummodo locum in censuris proprie dictis, non vero in aliis pœnis, quæ censuris assimilantur, ut est depositio, degradatio, et privatio vocis activæ, ac passivæ : in his enim, et similibus appellatio admittitur ad utrumque effectum ; 2m quod absolutio in causis violatæ jurisdictionis, immunitatis, et libertatis ecclesiasticæ dari tantum potest auctoritate S. Congregationis Immunitatis, quæ talem auctoritatem delegare solet judici a quo ea lege, ut intra triduum absolvat ; qui si absolvere recusaverit, eam delegat cuicumque confessario. Cit. bul. Benedicti XIII, n. 12 et 13.

880. Sicut judex a quo tenetur appellationi deferre, cum interposita est ex justa causa, etiamsi probata non sit (1); ita judex ad quem appellationem legitime introductam admittere tenetur: alias uterque judex se reum constitueret denegatæ justitiæ. Ad hunc tamen effectum exhibenda sunt documenta publica, ex quibus constet, per legitimam personam, et intra legitima tempora fuisse appellatum a sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut afferente gravamen in definitiva irreparabile (2). Nam citationes et inhibitiones ante exhibitionem documentorum, ac præsertim sententiæ, et debitam causæ appellationis, ac actorum inspectionem emitti non possunt; quæ si emittantur ita inconsulta re nullæ sunt ipso jure, et processus desuper confectus invalidus habetur. Quod si appellans decretum authenticum habere non possit, ob denegationem primi judicis, sufficere potest ejusdem copia simplex, quæ in litteris inhibitorialibus erit inserenda cum conditione : *Quatenus vero tenor insertus vere, et in substantialibus cum originali concordet, eidemque originali præsentes litteræ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, et irritæ censeantur* (3).

(1) Si judex appellationi justæ non defert, terminata appellationis causa, a S. Sede punitur ; quando vero appellationi injustæ non de-

fert, tenetur adhuc apostolos refutatorios dare, ut de facta appellatione constet. — (2) In vim cit. bul. Benedicti XIV *Ad militantis*, citationes, et inhibitiones dari debent cum tenore ipsius sententiæ, a qua appellatur. — (3) Nomine *actorum* intelliguntur citationes, dilationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumenta, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, et alia in prima instantia ventilata. Cap. 11, de probat. Hic autem notandum est, quod pauperibus, vel eorum advocatis, et procuratoribus prædicta acta gratis dari debent, et ad probandam paupertatem testes similiter gratis examinandi sunt. Bul. *Universi gregis* Pauli V et cit. bul. Benedicti XIII. Acta hujusmodi per curiæ notarium conficiuntur, et appellanti traduntur in authentico exemplari. Nec dari possunt acta originalia, nisi a judice appellationis petantur, cum aliqua suboritur falsitatis suspicio, quo casu, finita causa, Curiæ primæ instantiæ omnino restituenda sunt. Cit. bul. Benedicti XIV.

881. Hoc modo causa appellationis instructa, judex ad quem citationem emittit, qua processum ad causæ expeditionem intimat, et postea dare solet terminum, *ad non posita ponendum, et non probata probandum* (1). Hinc illud sequitur, quod possunt opponi novæ exceptiones, maxime si sint peremptoriæ, etiam ante prolationem dicti termini, et præcise ad ipsam prolationem impediendam (2); quod possunt produci testes tam novi, quam veteres, dummodo examinentur super novis capitulis (3); et quod possunt produci nova instrumenta, et aliæ fieri probationes. De cætero in causa appellationis eodem ferme modo proceditur, ac in prima instantia.

(1) Hic terminus in causa appellationis locum tenet termini probatorii, qui datur in prima instantia. — (2) Impedit concessionem hujus termini exceptio declinatoria fori et incompetentiæ, exceptio legitimationis personæ, exceptio spolii, et exceptio, quod appellans nihil probavit in causa principali. Pellegrinus part. 3, sect. 4. n. 4. — (3) Hæc capitula, sive articuli debent esse diversi omnino a primis in antecedenti instantia probatis. Id. ib. n. 7.

882. Insuper judex appellationis potest revocare innovata per judicem inferiorem post interpositam appellationem (1), et similiter cognoscere, et revocare attentata (2). Attentata autem dicuntur omnia acta, quæ sine rationabili causa (3) post interpositam appellationem a judice a quo, vel a parte adversa

fiunt in præjudicium appellantis, vel in contemptum superioris judicis. Per attentatorum revocationem omnia remittuntur in pristinum, ut si nihil innovatum fuisset: quod dupliciter fieri potest, nimirum *principaliter*, quando appellans petit, ut statim ante omnia per judicem superiorem attentata judicis inferioris, aut partis revocentur; et *accessorie*, quando appellans appellationem prosequendo intendit, ut innovata per appellationis sententiam reparentur. Verum attentatorum revocatio cessat, si attentata purgentur, quod contingit, cum ille, in cujus favorem quid gestum fuit, attentatis pure, legitime et perfecte renunciet coram judice appellationis.

(1) Cap. 6, de appel. in 6. — (2) Cap. 54, de appel. — (3) Dicimus *sine rationabili causa*, quia judex a quo etiam post interpositam appellationem potest ex juxta causa ex. gr. terminum ad prosequendam appellationem præfinire, publice denunciare excommunicatum, quem talem damnavit, sequestrum beneficii fructibus imponere, cum adest timor dilapidationis, aliquid præcipere in favorem matrimonii, quando adest periculum animarum, et cogere diœcesanum etiam per censuras ad aliquid faciendum, ad quod ex jure communi tenetur, licet jactet privilegium, vel exemptionem. Pellegrinus part. 2, sect. 2, in 6, ubi alios similes casus affert.

883. Denique præter appellationem proprie dictam, alia quoque dantur media ad iniquam sententiam suspendendam, reparandamve, cujusmodi sunt restitutio: in integrum, supplicatio sive revisio sententiæ, et arreptio itineris ad sanctam Sedem. Restitutio in integrum est juris remedium extraordinarium, quo læsi in judicio, vel extra, justa de causa per Principem, vel judicis officium in eum restituuntur statum, in quo erant ante læsionem. Hæc restitutio ex gratia non potest dari nisi a Principe; ex justitia vero dari potest a quocumque judice ordinario, qui ex causa in lege approbata restituit contra suam sententiam interlocutoriam, contra quamcumque sententiam judicis inferioris, vel æqualis potestatis; sed contra sententiam judicis superioris non potest restituere. Petitio restitutionis in integrum regulariter proponenda est intra quadriennium a die læsionis computandum (1); et cum fuit coram judice legitime proposita sententiæ executionem suspendit (2), propter quod dicitur speciem appellationis continere. Plures

a Doctoribus (3) citantur causæ ad restitutionem in integrum petendam, et concedendam; sed moribus notris solet in judicio tantum concedi ex causa instrumentorum postea repertorum (4).

(1) Cap. 1, de in integ. restit. in 6. — (2) Cap. 6, de in integ. restit. — (3) Vide Doctores ad tit. de in integ. restit. Notamus tamen graviorem requiri causam ad restitutionem in integrum ætate majoribus concedendam, quam minoribus. Leges enim minoribus propter imperfectum ætatis facilius succurrunt; minoribus autem assimilatur Ecclesia, quæ propterea ex sacris canonibus potest restitui: contra lapsum fatalium. Cap. 3, de in integ. restit.; contra confessionem sibi contrariam. Cap. 2, eod. in 6; contra factum sui procuratoris. Cap. 2, de in integ. restit.; et quandocumque læsa fuerit. — (4) Zallinger de appel. § 443.

884. Supplicatio est petitio summo Pontifici oblata, ut ex gratia, justa concurrente causa, totam sententiam novo subjiciat examini et judicio (1), unde dici etiam potest sententiæ revisio. Sed supplicatio a revisione differre videtur, quia de illa solus Princeps cognoscit; de hac vero cognoscere potest etiam judex ordinarius, cum ex. gr. quæstio movetur de errore in actis introducto, aut de nullitate sententiæ (2). Supplicatio proposita intra decem dies a lata sententia, ejus executionem suspendit; et ideo speciem appellationis continet. Eo vero tempore elapso, potest adhuc intra biennium a lata sententia proponi; sed executioni sententiæ non obstat (3).

(1) Supplicatio locum habere potest tum in sententia judicis inferioris, quam judicis superioris, et supremi, id est sanctæ Sedis, a qua non datur appellatio; sed in hoc postremo casu ob excellentiam judicis supremi, qui contra sententiam, mandatum, aut confirmationem ejus optat supplicare, prius *oris aperitionem*, ut dicunt, ab ipso Pontifice solet postulare. Devoti l. 3, t. 26, § 10. Quod dicimus de confirmatione tunc obtinet cum confirmatio data fuit, causa cognita; si enim absque causæ cognitione, et in forma communi, ut dicunt, confirmatio data fuisset, supplicatio pure haberet locum, et judex, ad quem spectat, posset adhuc de re cognoscere, quia hæc confirmatio habere censetur adjunctam conditionem, *modo justa sit sententia*. Devoti loc. cit. § 9. Cæterum mos postulandi a S. Sede sententiarum confirmationes ea de causa inolevit, quia ut victus suæ indemnitati remedium quærit in appellatione, supplicatione, etc., ita victor per sanctæ Sedis confirmationem suæ securitati magis pro-

spicit. Vide Doctores ad tit. de conf. util. vel inut. — (2) Hæc fundamentum habent in cap. *Ex litteris* de in integ. restit. et in cap. 1, et fin. de frig. et malef.; et cum proponitur querela nullitatis potest quidem judex appellatus de ea cognoscere. Cap. *Licet* de sent. excom. in 6 ; sed utilius erit, ut prius de nullitate cognoscat judex , qui sententiam tulit : nam si ipse nullitatem probet, sententia corruit. Cap. 1, de sent. excom.; consuetudine tamen de nullitate solus judex appellatus cognoscit. — (3) Devoti l. 3, t. 16, § 8.

885. Arreptio demum itineris ad sanctam Sedem ex jure canonico hoc efficit, quod sententiæ executionem suspendat, et speciem referat appellationis, si fiat post ipsam sententiam, vel decretum, et intra spatium decem dierum, qui ad interponendam appellationem conceduntur, *cum plus sit apud Sedem Apostolicam facta provocare, quem verbo* (1).

(1) Cap. 52, de appel. Vide Doctores ad tit. de cleric. peregrin. Ad effectum tamen suspensionis sententiæ tum petitio restitutionis in integrum, tum supplicatio, tum arreptio itineris Romam versus, debent ad acta denunciari.

TITULUS XVI.

DE JUDICIIS CRIMINALIBUS.

SUMMARIUM : 886. Quid sit judicium criminale, et quot modis instituatur? — 887. Quid sit accusatio, et qui possint accusare? — 888. Quid inquisitio, et quotuplex? — 889. Judex non potest specialiter inquirere, nisi præcesserit diffamatio. — 890. Quid sit denunciatio, et quotuplex? — 891. Denunciatio judicialis quomodo fiat? — 892. Quæ requirantur in processu inquisitorio? — 893. Quomodo conficiatur processus informationis? — 894. Quomodo fiat rei citatio, et constitutum? — 895. Quomodo reus in constituto interrogetur? — 896. In quo consistat tertium confrontatio? — 897. Quæ spectent ad formam processus offensivi, et defensivi? — 898. Quomodo fiat testium repetitio? — 899. In quo consistat recursus per libellum compositionis? — 900. Finis processus criminalis est sententia absolutoria, vel condemnatoria.

886. Quæ breviter hucusque in hoc libro exposuimus ad civile judicium ordinarium potissimum referuntur; opus consequenter nunc est aliqua saltem brevissime de judicio criminali exponere, quod in correctione morum, et punitione criminum Ecclesiam defendit, et reficit. Judicium criminale est illud, *in quo criminalis causa vertitur, ut reus ad bonum publicum publica vindicta coerceatur*. Modus in eo procedendi desumitur ex judicio civili, quando aliter in jure cautum non reperitur, et secundum Decretalium sanctiones instituitur *accusatione, inquisitione* et *denuntiatione* (1).

(1) Rub. tit. 1, l. 5 Decretal.

887. Accusatio *est delatio criminosi ad competentem judicem per libellum accusatorium ad publicam vindictam facta*. Hic libellus debet continere nomen judicis, accusatoris et accusati, qualitem, locum et tempus patrati sceleris, sive narrationem, et causam, non vero conclusionem, quia pro accusatore con-

cludit lex, quæ pro qualitate delicti decernit pœnas (1). Cum accusatio ad publicam vindictam, simulque ad publicum bonum sit instituta, omnes queunt eam proponere, nisi jure arceantur. Jure autem canonico plures arcentur, ex gr. infames, quibus nulla est habenda fides; criminosi, donec se ab imputato scelere non purgaverint; et monachi, vel clerici in causa sanguinis, qui in eadem causa nec judices, nec testes esse possunt, nisi adhibeant hoc ultimo casu expressam protestationem, *quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt agere* (2). Sed moribus hodiernis hoc accusandi munus Promotoribus fiscalibus demandari solet.

(1) Propterea ad accusandum requiritur libellus. Can. 1, c. 2, q. 8. Sed hodie accusatio ex praxi fit etiam verbaliter, modo in scriptis per Curiæ notarium redigatur. Pellegrinus part, 4, sect. 3, n. 4. Olim accusans sibi imponebat pœnam talionis, id est ad patiendam pœnam delicti, si delictum contra accusatum non probasset; sed hodie hæc pœna ab aula recessit, et loco ejus pœnæ datur arbitraria contra calumniatorem, et ad calumniam avertendam optimum esset exigere ab accusatore juramentum calumniæ. Id. loc. cit. n. 8. — (2) Cap. *Prælatis* 2, de homicid. in 6. Præterea alii plurimi sunt, qui prohibentur accusare, quorum catalogus exhibetur in can. 14, c. 2. q. 1, et passim a Doctoribus in tit. de accus. Pellegrinus loc. cit. n. 13 : quem longum catalogum inspicere debet judex, et maxime Promotor fiscalis, ut recte se gerant tum quoad accusatorem, tum quoad testes : nam accusatorem inhabilem debet judex ab accusando repellere, et Promotor fiscalis testi ad testimonium ferendum jure prohibito negare fidem.

888. Inquisitio *est investigatio criminis, aut criminosi per judicem, nullo accusatore, ex officio facta.* Hæc investigatio triplex est. Alia nempe *generalissima*, quando judex in genere inquirit, an in provincia, diœcesi, aut monasterio quæpiam committantur delicta punienda, vel abusus vigeant corrigendi. uti fieri debet ab Episcopo visitante diœcesim; sed hæc inquisitio paterna potius dici debet, quam judicialis, quia magis ad simplicem emendationem tendit, quam ad vindictam. Alia *generalis*, quando judex inquirit de delicto, ut agnoscat, an, e quo tempore, quo modo, et a quo perpetratum sit, dum nullu est ad certam personam respectus. Alia denique *specialis* quando judex, cognito delicto, de certa aliqua persona inqui

rit, contra quam suspicio gravis præcessit, aut diffamatio, aut alia sunt indicia gravia. Hinc, ut patet, inquisitio judicialis instituitur, ut agnoscatur delictum, et specialis, ut delinquens puniatur. Quare prima debet regulariter præcedere, et quousque durat, processus est *informativus ;* dum evadit *offensivus* ex parte fisci, et *defensivus* ex parte rei, cum ad secundam proceditur.

889. Judex ordinarius inquirere potest in omni crimine tum ex officio, tum ad alterius instantiam ; sed non potest regulariter specialem inquisitionem instituere, nisi præcesserit diffamatio ; quia necessaria securitas personarum in societate viventium hoc requirit, ne innocentes inquisitionibus graventur (1). Hæc autem diffamatio tunc adesse censetur, cum frequens vox proborum hominum aliquem de determinato crimine rationabiliter suspectum reddit. Unde clamor malorum, qui ad decipiendum excitari creditur, hujus generis non inducit infamiam, maxime cum de criminibus generatim, et non de crimine in specie loquitur (2). Inquisitionem vero generalem, et tanto magis generalissimam absque præcedenti diffamatione libere judex instituere potest, quia sic agendo suo satisfacit pastoris muneri, quod sacri canones illi severe imponunt, et simul satisfacit officio judicis, cujus est delinquentes punire, et Ecclesiam a malis hominibus purgare (3).

(1) Cap. 17, 19, et 24, de accusat. et cap. 1 et 2, eod. in 6. — (2) Nec ad id sufficit opinio trium, aut quatuor hominum. Cap. 21, de accusat. — (3) Pellegrinus part. 5, sect. 2, n. 23.

890. Denunciatio *est delatio criminis, aut criminosi ad superiorem, sive judicem pro communi, vel particulari bono privatim facta* (1). Dici iterum potest *generalis*, cum fit ad aliquod delictum generaliter impediendum ; et *specialis*, cum adversus certam personam dirigitur (2). Dici etiam potest *canonica*, cum ad delicta removenda instituitur ; et *civilis*, cum instituitur ad publicam, vel privatam satisfactionem obtinendam. Quare simplex denunciatio *evangelica*, aut *fraterna,* aut *charitativa*, ut dicunt Theologi, ad hanc definitionem et titulum

non pertinet, nisi post factam monitionem *inter te, et ipsum solum*, necesse sit adhibere testes, et dicere Ecclesiæ ; quo casu ipsa denunciatio evangelica fit canonica et judicialis (3).

(1) Novimus Doctores communiter tradere, denunciationem fieri posse etiam publice ; et ideo denunciationem distinguunt in *publicam*, et *privatam*. Sed cum publica denunciatio similis sit accusationi, ut quidam Doctores observant ; ideo nos denunciationem ex ea tantum parte accipimus, qua est privata. — (2) Hinc si quis judici denunciet in tali civitate gravia committi crimina, denunciatio erit generalis ; et specialis erit, si denunciet Sempronium nefando esse crimine inquinatum. — (3) Matth. c. 18.

891. Inspicienda nobis est præsertim denunciatio *judicialis* : quæ dirigitur ad impediendum delictum futurum, ut cum denunciatur impedimentum vel irregularitates, ne matrimonium contrahatur, aut clericus ad ordines beneficiumve assumatur ; vel dirigitur ad reparandum delictum jam patratum, quod contingere potest tam ad interesse publicum (1), ut crimen coerceatur, quam ad interesse privatum, ut damnum illatum reparetur (2). Hæc denunciatio fieri potest viva voce, modo a Curiæ notario in scripturam redigatur, et fieri potest per libellum, et hoc servari solet, cum denunciator id ad suam conscientiam exonerandam facit : utroque tamen casu denunciator debet subscribere, et exhibere probationis directorium, ut dicunt, sive exponere delicti qualitatem, locum, in quo patratum fuit, tempus, testes et alia, quibus delictum probari queat, licet ipse denunciator ab onere probandi sit ipso jure exoneratus, in quo præcipue differt denunciator ab accusatore.

(1) Exempla denunciationum ad bonum publicum Ecclesiæ habemus in confessariis sollicitantibus ad turpia in sacramento Pœnitentiæ ; item in confessariis, qui exigunt a pœnitentibus, ut sibi nomen complicis manifestent ; et in iis, qui nomen dederunt sectæ massonicæ. — (2) De duobus præcipue solet hic a Doctoribus quæri. 1° An omnes ad denunciandum possint admitti ; et verior videtur sententia affirmativa, quia denunciator non est, ut accusator, causa efficiens processus, sed tantum causa occasionalis : judex enim recepta denunciatione procedit ex officio ; et in eo processu denuntiator non potest esse testis ; immo ipse judex, si denunciationem calumniosam agnoscat, potest denunciatorem repellere ; et aliunde sola denunciatio non sufficit ad inquisitionem causandam ; sed in-

dicia sufficientia, et præcedens diffamatio requiruntur. Pellegrinus part. 4, sect. 1, n. 23. 2° An monitio evangelica debeat præcedere denunciationem judicialem ; et verior videtur sententia negativa : nam ex generali Curiarum praxi absque prævia evangelica monitione judicialis denunciatio admittitur. Reiffenstuel de accus. n. 78.

892. Ex sola traditarum definitionum inspectione ultro manifesta fiunt discrimina, quæ inter accusationem, inquisitionem et denunciationem vigent (1). Sed accusatio, et denunciatio facile in inquisitionem transfunditur : nam Promotor, sive advocatus fiscalis tum ex hac, tum ex illa processum instruit, ad cujus perfectionem duo potissimum requiruntur, nimirum : ut clare constet per eum de delicto in genere, et de delicto in specie, ut loquuntur Pragmatici, sive ut constet de delicto et de auctore delicti, quorum alterutrum si deficiat, nulla potest emitti condemnatio : nemo enim potest damnari, quando de solo constat delicto, et quando de eodem non constat, damnari non potest, qui delictum confitetur, quia confessio foret sine causa, et personam ostenderet vitæ pertæsam; at si delictum adsit, confessio nocet, et regulariter impugnari non potest (2).

(1) Hoc loco observandum, quod moribus hodiernis tam in foro civili, quam ecclesiastico Promotor fiscalis accusatoris partes suscipiat, etiamsi adsit specialis accusator: hæc procedendi via perfectior habetur, quia odia, et calumnias melius excludit, dum accusatores per publicum ministrum agunt. — (2) Cap. 1, de accus. in 6.

893. Processus *informativus,* ut nomen significat, pro judicis informatione conficitur, ut agnoscat, an sit contra criminosum procedendum, vel non (1). Quocirca secreto coram ipso judice, suoque notario examinantur testes, et admittuntur ad testificandum etiam inhabiles, qui notiones opportunas exhibere possunt ad magis inquirendum, quique omnes post interrogationes super generalibus (2) interrogantur : 1° super fama inquisiti, ex quo compertum fit judici, an necessaria diffamatio existat, vel non, ut possit decernere, an procedendum sit ad ulteriora; si decernat procedendum esse ad ulteriora interrogantur ; 2° super generalibus et deinde super ipso crimine in genere, et in specie (3). Hac habita informatione pro sua

et Curiæ norma, si plena vel saltem semiplena exurgat probatio de delicto, deque auctore delicti, contra ipsum proceditur, postquam fuit reus constitutus ; aliter processus circumducitur usque donec majores habeantur probationes : nam summum foret nefas per indicia vana et insufficientia honorem et quietem cujusquam turbare (4).

(1) Hinc iste processus conficiendus est, antequam reus citetur, et duas solet habere partes : prima respicit informationem super fama, ut constet de diffamatione : secunda respicit informationem super crimine patrato, ut judici saltem semiplene contest, crimen a Titio fuisse commissum. Sed notandum quod prima pars processus informativi potest omitti pluribus in casibus, ut si crimen sit notorium, vel confessum, vel probatum, vel commissum in judicio, et in aliis casibus. — (2) Generales interrogationes sunt, quæ de nomine, cognomine, ætate, patria, domicilio et conditione, — (3) Interrogationes fiunt, ut dicunt, super corpore delicti, scilicet : an testes delictum commissum esse sciant ; unde illud cognoverint ; quem auctorem habeat ; cur hunc, et non alium ; quid, quale, quo tempore, quo loco et modo fuerit commissum ; quos censeant habere notitiam delicti, etc. — (4) Cap. 21, § 2, de accusat. Hic processus adjuvari potest ab evidentia facti, ab oculari inspectione, et ab aliis indiciis.

894. Primus contra ipsum delinquentem gradus est ejus citatio verbalis ad comparendum personaliter ante judicem (1), diximus *personaliter* : nam ex regula generali reo in causa criminali non licet procuratorem adducere (2). Citatio ad hoc ordinatur, ut reus coram judice examen sustineat, quod communiter a Pragmaticis *constitutum* appellatur ; potest autem constitutum ad plures dies prorogari, si necesse sit, vel etiam secundo et tertio iterari, ut reus diligentius examinetur et veritas melius agnoscatur (3).

(1) Olim fieri etiam poterat citatio realis per capturam rei. — (2) Cap. 15, de accusat. — (3) Inter Doctores controvertitur, an reo, qui suum est facturus constitutum, veritatis dicendæ juramentum deferendum sit ? Pro affirmativa facit, quod per jurisjurandi religionem cogitur reus ad fatendam veritatem ; pro negativa vero, quod provocatur ad perjurandum. Sed Benedictus XIII in Concilio Romano t. 23, quæstionem ita composuit, ut juramentum hujusmodi a reis per quoscumque judices, quovis prætextu, causa, et colore exigi amplius non posset, nisi quatenus rei examinantur, et testes sunt quoad alios. Consequens hinc est, quod reus est tantum benigne monendus, ut

contra se veritatem dicat, et juramentum præstare non tenetur, nisi velit deponere contra alios : unde hæc esse solet forma juramenti rei constitutit : *monitus benigne quoad se ad veritatem dicendam, uti vero testis in alios veritatis dicendæ juramentum emisit.* Si autem contra dispositionem citati concilii Romani judex imposuisset reo juramentum in caput suum, et reus jurasset, nullum erat constitutum ; sed Pius VII, in bul. *Post diuturnas* § 119, declaravit, hoc juramentum validitati actorum non obesse.

895. In constituto reus a judice cum Promotore fiscali interrogatur primum circa generalia de nomine, familia, patria, ætate, statu, etc.; deinde circa specialia de factis, personis, circumstantiis delicti, etc. (1). Sed in his instituendis, et subordinandis interrogationibus maxima est adhibenda solertia, ita tamen ut numquam liceant interrogationes mendaces, deceptoriæ, et sophisticæ, quæ fraudem atque dolum continent. Potest quidem reus ex antecedentibus suis responsis mendacii redargui ; et si in negativa persistat, potest illi opponi Curiæ informatio, testiumque depositio, et confrontatio (2).

(1) Circa modum instituendi istas interrogationes videndi sunt Doctores de juridica praxi agentes, et inter alios videri potest Pellegrinus part. 3. sect. 9, n. 58. — (2) Cum tamen benignior semper sit causa rei, ejus exceptiones, et replicationes sunt attente, et facile admittendæ. Cap. 24, de accusat.

896. Testium confrontatio est comparatio testium singillatim facta cum ipso reo, postquam constitutum subiit (1). Hoc est remedium extraordinarium ad veritatem detegendam, quod tunc potest adhiberi, cum reus negat absolute factum, et testes affirmant : quo casu testes iterum eodem modo sunt examinandi, ac si adhuc examinati non essent, et insuper reus jus habet testes interrogandi (2). Sed Doctores monent raro, et maxima circumspectione hoc extraordinario remedio ob difficultates ipsi intrinsecas utendum ; immo in praxi non observatur, cum in jure ad eumdem effectum detur remedium ordinarium, scilicet testium repetitio, quod fit in sequenti processu publico offensivo et defensivo (3).

(1) Fieri etiam potest hæc comparatio cum sociis criminum. Pellegrinus loc. cit. n. 73. — (2) Confrontari tamen non potest pater cum

filio, servus cum domino, uxor cum marito, pupillus cum tutore ob reverentiam, quam debent servare, immo nec timidus cum potente, ne ille ignominiose opprimatur. — (3) Sunt tamen Doctores, qui hanc confrontationem appellant necessariam in quibusdam casibus, ut si testes sint sibi directe contrarii circa factum, vel personam; et si reus aliter recognosci non possit. Pellegrinus loc. cit. n. 72.

897. Completo constituto, inter fiscum et reum commissum crimen negantem, fit litis contestatio; ex qua incipit processus *offensivus* et *defensivus*. Primo publicatur processus anterior pro informatione Curiæ per appositum judicis decretum, quo regulariter conceditur reo copia actorum, et assignatur illi terminus, intra quem debeat suas defensiones proponere (1). Fiscus sua proponit accusationum capitula, et reus suas defensiones. Hic potest petere, ut iterum solemniter, et judicialiter examinentur testes prius pro Curiæ informatione examinati : nam cum fuerint examinati, ipso absente reo et non citato, in judicio formali fidem non faciunt (2), nisi in fine constituti repetitioni testium reus renunciaverit, quod ex praxi ad evitandas expensas fieri solet cum clausula, *salvo jure repetendi*, etc., si ex aliqua causa fuerit utile, aut necessarium (3).

(1) Copia tamen actorum tradi non solet reo, nisi prius habuerit testes pro rite et recte examinatis. — (2) Cap. 2, de testib. — (3) Prædicta clausula fusius etiam explicatur, ex. gr. *salvo jure opponendi, et excipiendi, ac iterum repetendi, quatenus*, etc.

898. Testium proinde repetitio fieri debet de jure, si illi reus non renunciavit; quod si, ut diximus, illi renunciaverit, tunc tantum fieri debet, cum ipse reus in vim prædictæ clausulæ eam postulaverit. Ad ordinandam autem recte testium repetitionem citandus est reus ad videndum mandari repeti, et ad danda sua interrogatoria, quatenus dare intendat (1). Cæterum testium repetitio regulariter fieri debet coram judice (2), testes eodem modo examinandi sunt, ac si prius examinati non essent, et reus citandus est ad videndum eos jurare. Sunt tamen quidam casus, in quibus testium repetitio non est necessaria, veluti si reus condemnatus fuisset in contumaciam, aut

delictum suum confessus fuisset (3). In reliquis demum ad agendum, et defendendum media probationum, exceptionum, et defensionum adhibentur, quæ supra in hoc libro exposuimus.

(1) Si reus intra præfixum tempus interrogatoria non dederit, æque ad testium repetitionem proceditur ; immo in multis curiis hæc interrogatoria dari non solent. — (2) Judex cuique testi suam depositionem alias factam in secreto, et separatim ab aliis testibus legit, et deinde ad singula interrogatoria data a reo, testis primum respondet, et deinde interrogatur, an alia ab ipso in primo examine deposita vera sint, et an intendat aliquid addere, vel detrahere, etc. Pellegrinus, loc. cit. sect. 11, a n. 5. Si vero testis prius examinatus pro informatione Curiæ esset mortuus, ejus depositio absque repetitione probaret, quia mors supplet juramentum coram reo, quod amplius præstari non potest. Id. ib. n. 32. — (3) Idem obtinet, quando reus declaravit, se testes pro rite examinatis habere.

899. Si deinde post fisci probationes agnoscat reus, se causa periclitari, extraordinarium habet remedium recurrendi ad Episcopum pro gratia. Episcopus enim ad instar Principis gratiam de delictis ex justa causa, et salvo jure tertii, impertiri potest ; non vero absque speciali delegatione ejus Vicarius generalis. Hic autem recursus fit per *Libellum compositionis,* in quo reus, quin expresse suum fateatur delictum, si forte in aliquo simpliciter et ignoranter erraverit, ad evitandas expensas, et redimendas vexationes, se justæ et arbitrariæ judicis pœnæ submittit, ea conditione, ut ipse judex processui finem, et fisco silentium imponat. Quo accepto libello, Episcopus secundum qualitatem delicti, et delinquentis, et ex aliis causis animum suum moventibus ad arbitrium suum petitis poterit indulgere (1), et justæ pœnæ arbitrariæ reum subjicere.

(1) Hujus supplicationis, et indulti formulas refert Monacellus tit. 15, for. 3, et Bouix de judic. sect. 6, col. 2, c. 18. Sed libellus compositionis non potest habere locum in homicidio, et furto. Bul. *Post diuturnas* § 125, Pii VII.

900. Sin secus reus velit eventum sententiæ experiri, elapsis omnibus defensionis terminis, citatur ad audiendam sententiam, quæ esse potest *absolutoria* vel *condemnatoria.* Absolutoria

dicitur *a tota causa,* quando accusatus declaratur innocens; et dicitur absolutoria *ab observatione judicii*, quando accusatus, vel ob vitiosum processum, vel ob insufficientes delicti probationes a judicio liber dimittitur (1). Condemnatoria vero sententia ea est, qua accusatus confessus in jure, vel legitime convictus de crimine pœnis a jure statutis damnatur (2). Sed in dubiis meminisse juvavit, melius esse absolvere reum, quam damnare innocentem.

(1) Tribus modis a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in causis criminalibus reorum absolutio datur. 1° Datur absolutio sub formula, *ex quo satis*, quando judices reum culpabilem habent, sed propter pœnas præventivas ab illo in decursu processus toleratas, ut si suspensus ab officio, et beneficio fuisset, vel in monasterium reclusus, satis punitum declarant. 2° Datur sub formula, *tamquam non repertum culpabilem*, quando culpa agnita, vel probata non fuit. 3° Datur sub formula, *ex capite innocentiæ*, quando innocentia ex actibus resultat, eamque judices recognoscunt. Sub primo modo culpa agnoscitur; sub secundo non agnoscitur, sed reus ab imputatione non remanet omnino liberatus, ut in accusato de homicidio, qui post talem absolutionem adhuc absolvendus est ab irregularitate ob diffamationem superinductam; sub tertio autem modo omnis excluditur culpa, et imputatus ad pristinum suum statum omnino absque ulla nota restituitur. Anal. jur. Pont. ad an. 1857, pag. 2914. — (2) Cap. 4, de judic.

TITULUS XVII.

DE JUDICIIS SUMMARIIS.

SUMMARIUM: 901. Quid sit judicium summarium? — 902. Quæ ejus substantialia? — 903. Quæ solemnitates in eo omittantur? — 904. Quid sequatur si solemnitates judicii ordinarii in summario observentur? — 905. Quando possit judicium summarium institui? — 906. Quæ sint causæ civiles summarie tractandæ ex privilegio hominis? — 907. Quæ ex privilegio juris canonici? — 908. Quæ ex privilegio juris civilis? — 909. Quando causæ criminales summarie tractari queant? — 910. Quid sit notorium, et quotuplex? — 911. Judex in crimine notorio summarie potest procedere. — 912. Quæ ad id in notorio requirantur conditiones? — 913. Quæ solemnitates in judicio criminali summario possint omitti? 914. Quando crimen dicatur commissum in fragranti? — 915. Quæ sint observanda circa judicii summarii formam?

901. Judicium summarium, ut jam innuimus in primo hujus libri tertii titulo, est illud, in quo tantum substantiales formæ judicii a jure naturali præscriptæ observantur, et in quo de plano ac sine strepitu et figura judicii, ut dicunt, sed simpliciter proceditur. Potest autem strictius definiri, *judicium, in quo omittuntur quædam solemnitates pro judicio ordinario a jure positivo præscriptæ.* Quapropter hoc judicium dicitur *extraordinarium*, quia in eo integer ordo juris non servatur; dicitur etiam *executivum*, quia celeritur negotium perficit. Ex quo regula emergit, qua omnes causæ dicendæ sunt ordinariæ, nisi per legem, aut statutum, aut consuetudinem firmatum sit, ut in determinatis causis summarie procedatur.

902. Formæ substantiales in judicio etiam summario observandæ sequentes sunt, nimirum, actoris petitio saltem verbalis in actis tamen inserenda (1), rei citatio saltem simplex, legitimatio personarum, tempus congruum ad probandum actori, et ad se defendendum reo concessum, præstatio juramenti de veritate dicenda (2), admissio positionum, et articulorum,

concessio termini ad exhibenda monumenta causæ, interrogatio partium sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubi id æquitas suadeat, receptio confessionis, citatio simplex ad audiendam sententiam, et sententia in scriptis prolata (3).

(1) Clem. *Sæpe* de verb. signif. a qua tenor hujus judicii, et processus summarii desumitur. Ideo vero a notario inserenda est in actis, ut per totum judicii cursum de ea constet, et ut judex possit petitioni conformare sententiam. — (2) Idem dicendum de juramento calumniæ, quando casus occurrat. — (3) Quæritur an in hoc judicio locum habeat reconventio? Respondemus, reconventionem locum habere posse, ubi ipsa reconventio fit in causa consimili, nimirum in causa summaria ; non vero ubi agitur de reconventione in causa ordinaria, quæ scilicet processum ordinarium requirit. Ratio est, quia petitio actoris, et reconventio rei in eodem judicio tractandæ sunt, in quo impossibile est utramque observare formam. Glos. in cit. Clem. *Sæpe*, verbo *Si quid*.

903. Quare in judicio summario non est necesse adhibere libellum formalem, neque litem proprie contestari (1), neque dilationes a jure statutas integras servare (2), neque pluries citare, vel cum peremptorio, neque exceptiones, vel appellationes frustratorias admittere, neque publicare processum neque concludere in causa, neque pronunciare super incidente, vel emergente, neque servare ferias in honorem hominum inductas (3), neque sententiam pronunciare pro tribunali sedendo, neque appellare in scriptis, vel cum causæ expressione, quod adhuc procedit in aliis similibus actibus, de quibus videndi sunt Doctores (4).

(1) Primus enim actus contradictorius, qui fit inter partes locum tenet contestationis litis, ex quo sequitur, quod sententia potest etiam ferri contra contumacem. Ridolphinus part. 2, c. 1, n. 26. Sed quisque actus causæ notificandus est contumaci. — (2) Dilationes possunt quidem arctari, non vero penitus denegari. Gloss. in cit. Clem. *Sæpe*, verbo *litis contestationem*. — (3) Feriæ in honorem hominum inductæ sunt illæ vindemiarum, et messium, Glos. loc. cit. verbo *ob necessitatem*. — (4) Tanta est hujus judicii latitudo, ut possit judex sententiam legere per alium, et actor in eadem causa cumulare judicium civile, et criminale. Ridolphinus loc. cit. Insuper minor probatio, sed sufficiens admittitur. Maranta, part. 4, dist. 9, n. 46.

904. Si vero in judicio summario omnes solemnitates judicii ordinarii ex partium conventione a judice serventur, judicium evadit ordinarium, et consequenter ex defectu solemnitatis necessariæ sententia redditur nulla, et invalida, et partes sibi debent hoc imputare, quæ cum possent sibi eligere viam summariam, versa vice ordinariam elegerunt, cui propterea debent remanere subjectæ (1). Quod si, nulla interveniente conventione, sed tantum partibus non contradicentibus, solemnitates judicii ordinarii omnes, vel in parte fuerint per judicem in summario observatæ, verius est, sententiam subsistere, quia per hoc non potest dici, viam ordinariam electam fuisse; et aliunde solemnitates, quæ in summario judicio sunt inutiles, non debent illud vitiare, quia utile non vitiatur (2). Verum data facultas convertendi judicium summarium in ordinarium aptari non potest ad casum contrarium, convertendi scilicet judicium ordinarium in summarium : quia processus ordinarius est de jure publico, quod judex, et partes immutari non possunt (3).

(1) Reiffenstuel de judic. n. 51. — (2) Clem. cit. *Sæpe*, et Maranta loc, cit. n. 210. Sed si una pars reclamaret contra formam ordinariam assumptam, defectus solemnitatis sententiam efficeret nullam, quia hoc beneficium viæ summariæ conceditur in favorem partium, quo absque earum consensu privari non possunt. At cum utraque pars viam ordinariam elegit, utramque, vel alterutram non posse amplius pœnitere, et viam summariam sumere, repugnante judice certum videtur, quia quod semel placuit amplius displicere non potest. Cap. 21, de reg. jur. in 6, et Glos. in cit Clem. *Sæpe*, verbo *partibus*. — (3) Gloss. in cit. Clem. *Sæpe*, verbo *irritandus*.

905. Summarius hic procedendi modus tum in civilibus, tum in criminalibus potest habere locum : et in civilibus quidem, quando causa levis est, vel celerem expeditionem requirit; in criminalibus vero, quando agitur de crimine notorio. Unde ratio, ob quam quædam in civilibus omittuntur solemnitates, ea est, quia causa est modica, vel urgens, quæ discussionem non meretur, vel moram non patitur; in criminalibus vero, quia foret inutile solemnitates observare, cum ex notorio de omnibus constet (1).

(1) His quidem in casibus nil contra justitiam fit, si judex partium, advocatorum, et procuratorum contentiones refrenet, si testium superfluam multitudinem cohibeat. Clem. cit. *Sæpe*, si exceptiones dilatorias repellat, si partes audiat etiam extra judicium, si testes examinet non citatos, quos secum partes ferunt, et si testibus fidem habeat, qui assignant causam tantum verosimilem, vel ex jure non habent testimonii ferendi capacitatem, quia, ut dici solet, judex procedit *sola facti veritate inspecta*. Maranta loc. cit. n. 34. Immo ex praxi judici ordinarii nequit judex partes in secreto audire ; alias haberi posset tamquam suspectus. At in judicio summario judex tenetur, se parti exhibere, ubicumque illa secum alloqui voluerit, sive in loco tribunalis, sive domi, sive alibi, secus ipsam partem gravare videretur. Riccius resol. 22, n. 2.

906. In civilibus, et temporalibus plures sunt causæ hoc modo *ab homine*, vel *a jure* privilegiatæ. Causæ sic privilegiatæ ab homine sunt illæ, quæ a summo Pontifice delegantur cum clausula, *simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura judicii* ; aut cum clausula, *servata tantum æquitate prætoria* ; aut etiam cum clausula, *sola facti veritate inspecta*. His enim clausulis manifestum est judicium summarium contineri (1). Sed in genere ita causas delegare potest tantum summus Pontifex, quia hic procedendi modus juris communis correctionem continet, quam nemo facere potest, nisi ipse Pontifex. Nihilominus episcopus potest causas committere summarie cognoscendas, et dictas clausulas in sua delegatione inserere, quando agitur de causa ab ipso jure summaria declarata, ut infra videre erit, quia in hoc casu, nulla est juris communis correctio (2).

(1) Delegatus tenetur hoc casu summarie procedere, nisi partes consentiant, ut ordinarium judicium instituatur. Clem. cit. *Sæpe* de verb. signif. — (2) Ridolphinus loc. cit. n. 60.

907. Causæ vero privilegiatæ ex jure canonico sunt : 1° causæ de beneficiis ecclesiasticis, ubi agitur de electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut de personatibus, dignitatibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, ad effectum providendi, ne ecclesiæ ob vacantiam, aut dilationem in spiritualibus, et tem-

poralibus detrimentum patiantur (1); 2° causæ de decimis jure communi debitis (2); 3° causæ matrimoniales, in quibus agitur ad impediendum, vel dirimendum vinculum matrimonii (3); 4° causæ usurarum, cum repetuntur, vel petitur, ut illas compenset usurarius, vel illius hæres (4); 5° causæ monachorum, et religiosorum (5); 6° causæ in judicio summario incidentes, vel emergentes (6); 7° causæ demum hospitalium, et xenodochiorum (7).

(1) Ratio hujus privilegii a Clemente V expresse significatur in Clem. 2, de judic. ubi *dispendiosam*, id est *damnosam*, ut explicat Glossa, declarat esse interdum litium prorogationem, quæ ex subtili ordinis judiciarii observatione obvenire solet. Quapropter ubi damnum non sit timendum, consultius erit, etiam in causis beneficiariis ordinarium servare judicium. Ipse enim Pontifex in sua Clementina summarium judicium permittit, non præcipit. Hinc ex Curiarum consuetudine factum est, ut in judiciis etiam beneficiorum ordinaria servetur forma, sicut communiter testantur Doctores, quamquam forma summaria possit etiam observari. Hinc card. De Luca docet, ordinarium formam observandam esse in beneficiis jurispatronatus, quando quæstio est de jure præstendi, et de majoritate vocum. De judic. n. 193; et alii docent idem servandum esse, quando non de beneficii titulo quæritur, sed de ecclesiæ proprietate. Pirhing. de judic. n. 104; et quando de beneficii privatione agitur. Gloss. in cit. Clem. 2, de judic. verbo *beneficiis*. — (2) Aliter vero dicendum de decimis ex pacto, pollicitatione, et voto debitis, quæ ordinario judicio subsunt. Gloss. ibid. verbo *decimis*. — (3) Hoc tamen non habet locum, cum ob adulterii crimen thori separatio quæritur. Glos. ibid. verbo *matrimoniis*. — (4) Cit. Clem. 2, de judic. — (5) Cap. 26, de accusat. et Extrav. *Frequentes* de judic. int. com. — (6) Gloss. in cap. ult. ut lit. non contest., etc. verbo *procedendum*. — (7) Glos. in cit. Clem. 2, de judic. verbo *beneficiis*.

908. Sunt et aliæ plures causæ eodem modo privilegiatæ ex jure civili, quæ ab ipsis canonistis communiter probantur cujusmodi sunt causæ alimentorum, tributorum, seu collectarum, pauperum, et miserabilium personarum, mercedum et salariorum; item causæ executivæ, quæ paratam habent executionem, ut si præsentetur instrumentum facilis liquidationis, aut petatur sententiæ executio, quæ in rem judicatam transivit; item causæ leves, et modici valoris, quæ ex communi Doctorum sententia non excedunt quinquaginta aureos. Sed in

hoc personæ qualitatem præ oculis judex habere debet; nam causa ex. gr. centum aureorum, quæ inter principes, et divites modica dici potest, inter pauperes, et mediocris fortunæ homines magna dicenda est (1).

(1) Huc respicit, quod supra jam diximus, scilicet in judiciis summariis minorem sufficere probationem : nam cum causa summaria est propter levitatem, aut modicitatem, probatio semiplena per unum ex. gr. testem, vel per juramentum potest sufficere, quia de modico præjudicio agitur; cum vero summaria est propter celeritatem, quam requirit, plena probatio plerumque est necessaria, quia magnam adesse potest præjudicium. In primo casu quoad probationes, et solemnitates ; in secundo tantum quoad solemnitates causa summaria nuncupatur. Pirhing loc. cit.

909. Judicium summarium etiam in criminalibus potest habere locum. Hoc præcipue in criminibus notoriis contingit; diximus *præcipue*, quia etiam in delictis levibus forma judicii summarii observari potest. Delicta autem levia dicuntur, quæ dolo, et culpa lata carent, quæ in re modica versantur, quæque gravem non afferunt infamiam, ut sunt furta parvæ quantitatis, leves injuriæ verbales, et adolescentium, religiosorum, ac domesticorum delicta (1).

(1) Pirhing loc. cit. n. 101, et Pellegrinus part. 4, sect. 3, n. 64.

910. Crimina notoria dicuntur ea, quæ adeo sunt gravia, publica, et manifesta, ut nulla tergiversatione celari, et excusari queant. Notorium enim proprie dictum in se plenam, et indubitabilem probationem continet, et dividitur in notorium *facti*, *juris* et *præsumptionis*. Notorium facti est evidentia rei in se ipsa, ut cum crimen committitur coram hominum multitudine (1); notorium juris est evidentia confessionis, aut sententiæ, ut cum reus in judicio suum confessus est crimen, aut de eo fuit per sententiam condemnatus, a qua non appellavit ; notorium denique præsumptionis est evidentia præsumptionis juris et de jure, ut cum filius alicujus ille habetur, quem justæ nuptiæ demonstrant (2).

(1) Hic notandum, triplex esse posse notorium facti, nimirum :

1° facti permanentis, sive continui, cujus actus perdurat, ut in apostata, et in concubinario, qui in impietate perseverant ; 2° facti transeuntis, sive deficientis, cujus actus cessat, ut in homicidio ; 3° facti interpolati sive interrupti, cujus actus cessat, et per intervalla renovatur, ut in usurario. — (2) Aliud exemplum dari potest in clerico, qui sic solet cum fœmina suspecta conversari, ut post trinam monitionem adhuc cum ea inveniatur fabulari. Trid. sess. 25, c. 14, de ref. Reiffenstuel de cohab. cler. et mul. n. 18.

911. Jam vero cum crimen aliquo ex dictis modis notorium est, judex ad illud compescendum summarie procedere potest. Hoc generaliter ratione probatur : nam via ordinaria judiciorum introducta est ad veritatem inveniendam; sed in notoriis res evidenter loquitur per se; ideoque via ordinaria non est. Jure etiam probatur : nam Innocentius III sic rescribit Archiepiscopo Neapolitano, qui juraverat in omni causa ordinem judiciarium observare : *Nos juramentum tuum benignius interpretari volentes, ita quod consonet canonicis institutis, Fraternitati tuæ auctoritate præsentium intimamus, quod in manifestis, et notoriis, ratione juramenti prædicti, non credimus te teneri servare subtilitatem ordinis judiciarii, quam in his non servari per omnia, ipsa juris ratio postulat, et requirit* (1). Specialiter vero de notorio facti idem declarat Alexander III, ad Archiepiscopum Genuensem scribens : *Si factum est notorium*, ait, *non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem, vel ordinem judiciarium non requirant* (2). Idem de notorio juris eruitur ex responso Gregorii IX (3) ; et de notorio præsumptionis ex responsis Eugenii II et Alexandri III (4).

(1) Cap. 21, de juris. — (2) Cap. 3, de testib. cogen. — (3) Cap. ult. de cohab. cler. et mul. — (4) Cap. 2, 3, et 6, eod.

912. Ad inducendam tamen præmissam evidentiam plura requiruntur, nimirum : 1° ut in notorio facti crimen patratum sit palam, publice, et populo vel communitate inspectante, ita ut major ejusdem pars, vel saltem plurimi facti scientiam habeant (1), et ut judex rem ita esse certo cognoscat (2); 2° ut in notorio juris confessio sit spontanea, vel sententia valida, et irrevocabilis, et ut judex ex actu confessionis authentico, vel

ex legitimo sententiæ decreto evidenter rem perspectam habeat; 3° ut in notorio præsumptionis adsit simul notorium juris, vel facti, et ut ex ipso facto jus expresse vehementem, sive violentam præsumptionem deducat (3); 4° demum ut constet non solum de notorietate criminis; sed etiam de ejusdem formalitate, et malitia (4).

(1) In jure non est definitum quot præcise personæ requirantur; unde ad judicem spectat numerum definire. Sed non desunt qui doceant, in parva communitate sex, aut saltem personas sufficere. — (2) Judex notorietatis in populo existentis probationem a duorum testium fide dignorum depositione habere potest. Cæterum communiter Doctores in notorio facti permanentis nullam aliam probationem requirunt, dum in notorio facti transeuntis probationem plenam, et in notorio facti interpolati probationem semiplenam adhuc requirunt, quia hæc duo ultima facta possent probabiliter negari. Fagnanus ad cap. *Vestra* de cohab. cler. et mul. n. 97. — (3) In notorio juris, et præsumptionis requiritur probatio. Id. ib. — (4) Ratio, quia non sufficit ex. gr. homicidium fuisse notorie commissum; sed etiam notorie constare debet, id culpa, vel dolo factum fuisse. Reiffenstuel de accusat. n. 265.

913. In hoc deinde judicio criminali summario non est necesse observare juris solemnitates, ut supra jam diximus de processu summario civili, quia canonistæ universaliter tradunt, in his judiciis juris ordinem non esse observandum (1). Hinc non requiritur accusatio, vel denunciatio, neque libelli oblatio, neque litis contestatio, neque quandoque vera criminis probatio (2). Citatio vero rei, quidquid de rigore juris, ex praxi a Doctoribus commendata, et a stylo Curiarum canonizzata, requiritur ad processum, in quo reo exponitur factum, pro quo citatur, et ejus auditur defensio, et requiritur ad audiendam sententiam, quæ licet libera sit a juris solemnitatibus, promeritam pœnam declarare debet, a qua tamen appellatio non datur (3), quia hæc pronunciatio potius est juris executio, quam sententia (4).

(1) Hoc proinde modo in notoriis procedi potest contra absentem, et contumacem, contra præsentem etiam lite non contestata, servato vel non servato juris ordine. Dicimus, *servato juris ordine*, quia in notoriis potest quoque procedi, præsentibus partibus, et lite

contestata, aliisque solemnitatibus juris observatis, quo casu judicium summarium non dubitamus evadere ordinarium. — (2) Ipsum enim solum notorium facti permanentis probat, ut supra innuimus. — (3) Cap. 13, 14 et 24, de appel. — (4) Datur tamen appellatio contra sententiam declaratoriam de ipsa notorietate criminis, quæ præcedit sententiam de applicatione pœnæ, quia multa dicuntur notoria, quæ talia revera non sunt. Cit. cap. 3, eod.; et manifesta tantum sunt. Notorium enim fit coram populo, et ideo probatione non semper indiget, quia ipse populus testis est; manifestum vero oritur ex certa scientia habita ex certis auctoribus, et semper in judicio probari debet. Insuper notorium rei evidentiæ innititur; dum manifestum habet pro fundamento famam licet indubitatam.

914. Quamdam habet cum crimine notorio affinitatem crimen *in fragranti* deprehensum, quod duplici modo contingere potest, videlicet, quando reus criminis deprehenditur ex. gr. in furto, vel fornicatione, et statim ad judicem defertur, et quando crimen committit coram ipso judice pro tribunali sedente, vel extra tribunal de delicto inquirente. In his quidem casibus reus puniri potest absque accusatore, vel denunciatore, et per decretum, vel præceptum judicis, in quo promerita pœna legitima applicetur; sed probationes, et defensiones sunt admittendæ (1).

(1) Reiffenstuel de accusat. n. 267, 547 et 560.

915. Denique quoad formam in judicio summario observandam, duo monenda putamus. 1m Si agitur de summario civili, judex mandat, ut infra dies ex. gr. decem summarie audiantur partes, testes habeantur pro citatis, eorumque depositiones recipiantur in Curia, citata parte ad videndum eos jurare. Deinde testes præsentatos a partibus interrogat super substantia petitionis, vel super articulis propositis, eorumque complet examen. Quo peracto, partes monet, ut infra breve tempus compareant coram se ad allegandum in jure, et in facto quidquid sua interesse putaverint, et ad audiendam sententiam, sive decretum. Tandem definitivum decretum emittit ad formam sententiæ etiam circa judicii expensas, quarum taxationem, si opus sit, sibi reservat. 2m Si agitur de summario criminali ob notorietatem, necesse est ante omnia probare, et

declarare notorietatem, quam judex probat se conferendo ad locum criminis, vel duos saltem in Curia examinando testes fide dignos, et declarat per primum decretum, mandando postea ad ulteriora procedi, vel in principio suæ definitivæ sententiæ. Quæ declaratio notorietatis, si deesset in decreto, vel in principio sententiæ ipsa sententia nulla dici posset, et contra superius observata ab ea daretur appellatio, et quidem ad utrumque effectum. Necesse est deinde reum citare ad videndum processum, et factum in eo contentum, eumque in sua defensione audire, qui si excipiet; testes esse suos inimicos, vel notorietatem obfuscaret, aut processus ordinarius foret instituendus, aut concedenda appellatio. Denique necesse est reum citare ad audiendam sententiam, quæ cum prolata fuerit, etiamsi reus ab ea appellet, executioni juxta jura jam citata mandari potest, quia ab ea appellatio non datur.

TITULUS XVIII.

DE JUDICIIS CORAM SACRIS PAPÆ CONGREGATIONIBUS.

Summarium: 916. Quo modo olim, et nunc Papa controversias audiat? — 917. Qua potestate sacræ Congregationes causas cognoscant? — 918. Officium sacræ Congregationis Concilii. — 919. Quomodo coram ea causa introducatur? — 920. Quomodo tractetur? — 921. Quomodo definiatur? — 922. Officium S. Congregationis Episcoporum et Regularium. — 923. Ex quibus componatur, et quam servet proceduram? — 924. Quomodo procedat in causis criminalibus? — 925. Sacra Congregatio Inquisitionis ex quibus constet, et de quibus cognoscat? — 926. Quomodo ipsa procedat? — 927. Quomodo specialiter aliæ sacræ Congregationes de causis cognoscant? — 928. Quomodo expediantur negotia consultativa? — 929. Quomodo administrativa? — 930. Sacræ Congregationes hæc negotia juxta propriam earum competentiam definiunt.

916. Olim summus Pontifex causas, et controversias audiebat, et definiebat per se in suo Presbyterio, vel Consistorio

coram consiliariis suis (1); sed postea in immensum fere adauctis negotiis definiendis, prius Auditores suos in sacra Rota (2), ac sacras deinde Congregationes instituit, quibus controversias, et causas in jure propositas cognoscendi, et definiendi potestatem, et jurisdictionem commisit. Plures sunt hujusmodi sacræ Congregationes, coram quibus controversiarum, sive criminum judicia aguntur, et de quibus nobis proponimus solum pauca attingere.

(1) Ab Ecclesiæ catholicæ exordio summus Pontifex habuit consiliarios suos et Senatores, coram quibus prius in Presbyterio, ac deinde in Consistorio jurisdictionem etiam contentiosam exercebat. Clem. 1, de jurej. Thomasinus de vet. et nov. Eccl. disc. l. 2, c. 101, et alib. et quandoque etiam causas præsertim majores in conciliis, quæ Romæ erant frequentissima, definiebat. Presbyterium pariter, et Consistorium primitus habuerunt Episcopi. Cap. 3, de appell. in 6. Can. 1, dist. 95, et cap. 1, de his quæ fiunt a Præl. etc. — (2) Rota forsan sic dicta, quia ejus auditores unus post alium per turnum causas referebant, et Pontificem, aut auditorum collegium informabant, ea de causa primum instituta fuit, quia cum Papa non amplius per se sufficeret omnia expedire contentiosa negotia, capellam pœculiarem in suo palatio erexit, ejusque capellanis, qui auditores sacri Palatii appellati sunt, potestatem fecit instantias præsertim minoris momenti cognoscendi, ut postea referre, quid æquum, et justum, esset definire. Hæc deinde pontificia capella transformata fuit in verum tribunal extra Papæ palatium erectum, quod appellatum fuit *Sacra Rota*, cujus auditores veri sunt judices a Pontifice deputati cum potestate negotia cognoscendi, definiendi, et terminandi. Ipsorum octo Itali esse debent, duo Hispani ob duas coronas Castellæ et Celtiberiæ, unus Gallus, et unus Germanus. Non procedunt ad instantiam partium per libellum; sed ex commissione a Papa accepta, cui partes offerunt instantiam : non audiunt publice advocatos, et procuratores ; sed scriptas probationes, et defensiones recipiunt, et singillatim partes, eorumque advocatos, et procuratores privatim voce tantum audiunt, ut negotia celerius expediantur, et cavillis occludatur via : sententiam in communi ad majoritatem votorum ferunt, quæ jus facit inter partes ; sed legum tenorem sequi debent, neque possunt regulariter ex æquo et bono pronunciare : eorum sententiæ vim non habent sententiarum papalium ; nihilominus magnam habent auctoritatem, et magnam in toto orbe assecutæ sunt celebritatem. De Luca de rel. Cur. p. 2, disc. 32. Nunc vero sacræ Rotæ attributiones adeo imminutæ sunt, et aliis sacris Congregationibus demandatæ, ut solum fere de causis Pontificii status cognoscat, cum olim de temporalibus, et spiritualibus

universi orbis causis cognosceret. Anal. jur. Pont. ad annum 1856, pag. 2239, et Stremler de pœn. eccl. part. 3, sect. 1, c. 2.

917. Sacræ Congregationes sunt veluti totidem summi Pontificis Senatus, et vicariatus, qui a Cardinalibus præsertim compositi (1) nomine summi Pontificis, et in eodem tribunali (2) negotia ecclesiastica sibi commissa cum potestate Apostolica (3), et ordinaria (4) cognoscunt, et definiunt. Idcirco decisiones, sive sententiæ a sacris Congregationibus prolatæ nullam proprie dictam appellationem recipiunt (5), quia sententiæ sunt Papæ, a quo non appellatur, cum eas per sacrarum suarum Congregationum ministerium profert, et omnes, quos respiciunt, per orbem catholicos in utroque foro obligant, tamquam pontificiæ decisiones, in iis, quæ singulis Congregationibus fuerunt a Papa commissa, quia, ut ait Benedictus XIV, voce sacrarum Congregationum *suas Sedes Apostolica declarat sententias* (6).

(1) Tres in qualibet Congregatione ad legitime deliberandum debent esse Cardinales; nam aliter haberi non posset deliberatio collegialis. Multo tamen plures sunt Cardinales ad Papæ arbitrium S. Congregationem efformantes, inter quos unus constituitur Præfectus, excepta Congregatione sancti Officii, cujus Papa solet sibi retinere præfecturam, et Cardinalem assignare secretarium; dum in aliis Congregationibus secretarius ex numero Prælatorum assumitur. Præterea sacræ Congregationes, illa excepta Concilii Tridentini, suos habent ex cætus ecclesiastici doctioribus viris Consultores. — (2) Viget in hoc analogia cum tribunali Episcopi, ejusque Vicarii generalis. — (3) Hæc potestas est Apostolica, quia est ipsa potestas Papæ, quo consulto, pro toto catholico orbe ea deliniuntur, quæ sunt ipsi reservata. — (4) Est ordinaria, quia per summorum Pontificum constitutiones in perpetuum confertur. Bul. *Immensa æterni* Sixti V, et durat adhuc, Pontificis Sede vacante, ut omnes Doctores tradunt, et ipsarum sacrarum Congregationum praxis demonstrat: immo, creato novo Pontifice, sacræ Congregationes nova confirmatione non indigent. De facto tamen quasi suspenditur earum jurisdictio dum Cardinales ingrediuntur conclave ad eligendum Pontificem, quia eo tempore de alio negotio præter Papæ electionem tractare non possunt, neque alios officiales, aut alia documenta recipere, nisi adsit urgens necessitas, aut *aliquod tam grande, et tam evidens periculum immineret, quod omnibus et singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.* Cap. 3, § *idem quoque* de elect. in 6. — (5) Sed justis de causis ex par-

um supplicatione possunt decisionis revisionem admittere. —
) Instit. 76, n. 8.

918. Inter sacras Congregationes, quæ de negotiis conten-
osis cognoscunt, hodie primum locum obtinet S. Congrega-
o eminentissimorum Cardinalium S. Concilii Tridentini Inter-
retum. Cum enim hæc Congregatio ad eum finem primum
erit instituta, ut executionem, et observantiam decretorum
ncilii Tridentini curaret (1), ac postea ut etiam authentica
dem decreta posset, consulto Pontifice, interpretari (2),
mque hoc concilium maximam juris recentioris partem con-
iat ac determinet, in quo jus præcedens fuerit correctum,
l confirmatum, aut conservatum, ad ipsam referuntur omnia
gotia, quæ directe ad Tridentini disciplinam spectant, et in-
recte ad jus præcedens ab ipso Tridentino conservatum,
l confirmatum, modo ex speciali Pontificis voluntate ab ea
otracta non sint, et alteri Congregationi concessa. Hinc
it, hanc Congregationem supremam esse Ecclesiæ universa-
Curiam, quæ in disciplina et moribus sacrorum canonum
n et potestatem declarat, quæque in actis definit, quid va-
e et legitime, et quid perperam et illegitime gestum vel
endum sit. Hæc proinde Congregatio a sententiis et decretis
nium Ordinariorum appellationes recipit, de quæstionibus
isdictionalibus, de disciplina morum, et obligationibus Cle-
orum, de pœnis ecclesiasticis, et censuris, de adimplemen-
legatorum, et oneribus missarum, de statutis synodalibus,
capitularibus, de omni gravamine judiciali, et extrajudiciali
ue omnibus negotiis, in quibus intervenit aliqua Tridentini
ula, nedum tamquam judex appellationis in concursu cum
libet Archiepiscopo, verum etiam in prima instantia in
cursu cum quolibet judice ecclesiastico cognoscit, ac defi-
3). Duobus autem modis hoc peragere potest, nimirum,
ordine servato, vel *ex æquo et bono*. Primum modum ob-
at, quando partis procurator id petit in sua instantia scri-
lo formulam, *nil transeat* ; secundum vero quando partes
entiunt, ut juris ordo postponatur, etiamsi de contentiosis
ium sit.

(1) Bul. *Alios nonnullos* Pii IV. — (2) Cit. bul. *Immensa æte* Sixti V. — (3) Cum in gradu appellationis causa agitur, S. Cong gatio Concilii non solet ab Ordinariis informationes petere, q rei status ex productis actis Curiæ, a qua appellatur, satis cons Nihilominus sæpe evenit, ut aliquod dubium in facto, vel in f circumstantiis suboriatur, quo casu ab Ordinariis informatio exquirere solet. Cum vero in prima instantia causa agitur, tales in mationes, et Ordinarii votum regulariter exquirit, quæ necessa videntur, ut de vero rei statu certioretur.

919. In procedura coram hac S. Congregatione tria brevi observamus, videlicet: quomodo causa introducatur, quom tractetur, et quomodo definiatur. Introductio per petition sive instantiam coram S. Congregationis secretario in lib a partis procuratore exaratam, et Sanctissimo inscriptam verbis, *Beatissime Pater*, in qua exponitur nomen, cognom qualitas, diœcesis, et objectum supplicationis (1). Intra vig dierum spatium procurator exhibet suum ad causam agen speciale mandatum, et omnia documenta ad causam spect tia in forma authentica a Curiis episcopalibus remissa, vel tem ab iisdem recognita tamquam rata, aut alias certum rum authenticitatis signum habentia; quæ parti adversæ c municantur per authentica exemplaria, ac postea de secr rii mandato causa ponitur in folio, et fit citatio ad concor dum dubium (2).

(1) Procurator in contentiosis debet esse unus de iis, qui U ad postulandum admittuntur; in aliis vero negotiis sufficit qui que alius, qui petitionem præsentet, et ad responsum recipien redeat; sed communiter ad hoc *Agentes* Romæ constituti adhi tur; non enim veredariorum opere (delle Porte) uti licet, quod non posset optatum dare effectum. — (2) Concordatio dubii nil est, quam præcisa determinatio quæstionis certis verbis expr et S. Congregationi pro resolutione proponendæ. Ad dubium cordandum debent intervenire partes contendentes, et in dubii mula consentire. Dubium autem sic concordatum, et a Congreg nis secretario subsignatum mutari amplius nequit, nisi citatis tibus, et in earum contradictorio, quia ad causam uno potius, alio modo dirimendam multum confert dubii propositi formul si partes nolint consentire in eadem formula dubii, et inter s queant convenire, secretarius Congregationis ex productionib ctis, ut auditis partibus, ex officio auctoritate sua dubium comp

reservato partibus jure coram Congregatione agendi ad dubii reformationem; si vero una ex partibus sit contumax, dubium æque firmatur, eidemque intimatur.

920. Causa deinde ita tractatur, nimirum, concordato dubio, ecretarius S. Congregationis diem præfinit, quo causa coram Congregatione proponatur, et intra XXX dies ante diem destinæ Congregationis partes contendentes coram eodem secretario, vel in ejus auditorio tenentur exhibere omnia documenta n forma authentica, earumque allegationes latino sermone conscriptas, et ab advocatis, vel procuratoribus officium in Curia Romana exercentibus subsignatas, quorum idem secrearius in apposito folio summarium efformat. Sic producta mutuo partibus communicantur, ut possint respondere, ac similiter communicantur responsiones, ita ut nullius sint robois scripturæ, inscia parte, præsentatæ, et responsiones ab dvocatis, vel procuratoribus non subsignatæ, aut ante feriam ertiam proximam ante Congregationem non oblatæ. His abolutis, quæ ad probationem, et defensionem partes in jus aducere putarunt, una cum summario de secretarii auctoritate ypis eduntur (1), et horum duo exemplaria unicuique Cardialium ante decem dies a Congregatione habenda, distriuuntur, et feria quinta ac sexta proxima ante statutam diem ro Congregatione habenda, a Cardinalibus, et a secretaio singillatim audiuntur verbales informationes super caua, quas partium advocati, et procuratores volunt propoere (2). Præterea circa hanc causæ tractationem tria sunt otanda : 1m Si examinandi sint testes, aut aliæ probatioes faciendæ, quas Congregatio perficere per se nequit, partes ujuscemodi committit locorum Ordinariis, qui processus ex ommissione efformatos ad ipsam S. Congregationem transittunt (3); 2m Si una ex partibus sit ab initio, aut fiat postea ontumax, sententia supra unica etiam secretarii relatione æue redditur, et damnatus non auditur, nisi prius peracti juicii expensas solvat (4); 3m Si causæ decisio nequeat intra ræfinitum diem parari, vel adsit alia justa causa, Congregaonis secretarius tum ad partium instantiam, tum ex officio, otest ejusdem assignationem in alium diem transferre, etiam-

si assignatio facta sit cum clausula, *omnino, et infallanter* (5).

(1) Ad nimias vitandas expensas, et prolixiores partium allegationes cohibendas, recte statutum fuit, ut, etiamsi plura sint dubia in eadem causa dissolvenda, memorialia typis edita quinque impressionis folia, et replicationes duo non possint excedere, nisi secretarius ex justa causa majorem latitudinem concedat. Edictum S. Congregationis Concilii 17 sept. 1847, art. 13. — (2) Idcirco non admittuntur publicæ coram tribunali advocatorum, vel procuratorum concertationes, ut fieri solet in aliis tribunalibus etiam ecclesiasticis, ut supra notavimus. — (3) Hoc maxime contingere solet in causis matrimonialibus, et professionum religiosarum. — (4) Contumax a Congregatione habetur, qui citatus non comparuit, quique intra terminum statutum nullam allegationem exhibuit, etiamsi dilationem petierit, quam non obtinuit. — (5) Casu quo dilatio, vel assignatio facta sit ab ipsa Congregatione non potest amplius differi, nisi ab ipsa Congregatione ad partis instantiam in memoriali expressam.

921. Demum causa definitur die præstituto in tribunali S. Congregationis per propositi dubii resolutionem affirmativam vel negativam. Qui resolutionem habet contrariam non potest appellare, sed intra x dies novam potest audientiam petere a Cardinali præfecto, vel a Congregationis secretario, qui secundum causæ circumstantias possunt eam concedere, vel negare (1). Quando nova audientia conceditur, iterum causa post tres menses a jam habita sessione coram Sacro Tribunali proponitur cum dubio : *An sit standum, vel recedendum a decisis.* Quando negatur, lis finita est, et sententia transit in rem judicatam; consequenter resolutio data locorum Ordinariis exequenda committitur, expensis liquidatis a victo victori ad justitiæ tramites solvendis (2).

(1) Solus Præfectus potest novam audientiam concedere, quando resolutio data fuit cum clausula, *affirmative*, vel *negative*, *et amplius* : immo, si expedire judicaverit, potest instantiam per memoriale, citata parte, plenæ Congregationi remittere. Sed actor novas expensas alteri parti reficere tenetur, si hæc instantia rejiciatur. — (2) Quæ hucusque circa praxim judiciorum coram S. Congregatione Concilii exposuimus, ex edictis ipsius S. Congregationis a Sanctissimo approbatis hausimus, quæ referuntur ab Anal. jur. Pont. ad an. 1856, pag. 2293, n. 111 et seqq.

922. Altera Congregatio, quæ de contentiosis cognoscit, est ngregatio Eminentissimorum Cardinalium super negotiis iscoporum et Regularium, quæ instituta fuit ad lites, et gotia inter Episcopos et Regulares, vel inter Episcopos cum iscopis, aut Regulares cum Regularibus componenda (1). m tamen hæc compositio, ut plurimum, fieri debeat ad mites concilii Tridentini; hinc sequitur in pluribus concur- n admitti inter hanc Congregationem, et aliam supra expo- am Concilii Tridentini, ita ut quædam causæ ab utraque cog- sci queant, et fiat præventioni locus. Cum profecto Con- egatio illa instituta fuerit pro negotiis Episcoporum et Re- larium, et hæc pro executione et interpretatione Concilii dentini fieri quidem potest, ut sæpe fit, quod eadem causa nc duplicem habeat respectum, et sub uno ad Congrega- nem Concilii, et sub alio ad Congregationem Episcoporum et gularium pertineat. Inter causas quæ ad hanc Congregatio- m deferuntur sequentes recensentur, nimirum: controversiæ er clericos, et inter monachos, inter Prælatos, et inter Epi- opos, inter confraternitates, et ecclesias, deputationes vica- rum Apostolicorum, et capitularium, visitationes diœcesium, administrationes bonorum, electiones superiorum regula- m in monachis, et monialibus, transitus religiosorum de o in alium ordinem, et sæcularisationes, validitates profes- num religiosarum, votorumque obligationes, erectiones, iones, et suppressiones conventuum, et monasteriorum, et iquæ similes omnes causæ, sive civiles sint, sive crimi- les et ordinariæ juxta sacrorum canonum dispositiones (2). postremis his causis criminalibus adest recens prescriptio VII, qui appellationes in criminalibus ab Ordinariis orbis ca- olici ad hanc Congregationem deferendas esse mandavit (3).

1) Hæc Congregatio ex duabus componitur : erat enim prius al- a pro negotiis Regularium, et altera pro negotiis Episcoporum. . *Immensa æterni* Sixti V. Sed nunc duæ in unam sunt con- æ, et quidem merito : nam connexio rerum, et attributio- m sæpe confusionem ingerebat. Nihilominus hujus Congrega- nis duæ etiamnunc sunt veluti sessiones, et duo secretarii, quo- n unus cleri sæcularis, et alius cleri regularis causas agit. — Unde Card. De Luca sic aiebat. « Habet ista Congregatio -tas habenas agendi etiam de illis negotiis, quæ aliarum Con-

« gregationum peculiaria sunt. Unde propterea (ut Urbanus VIII
« dicere solebat) ista videtur Congregatio quodam modo universalis
« exceptis causis, quæ directe fidei quæstiones concernant, sive for
« malem interpretationem Concilii Tridentini. » De relat. cur. disc
16, n. 24. — (3) Bul. *Post diuturnas* § 88.

923. Sacra hæc Congregatio Cardinalibus componitur quo-
rum unus in unaquaque causa deputatur *Ponens*, qui hoc ap-
pellatur nomine, quia causam sibi commissam debet S. Con-
gregationi proponere, et referre. Habet Cardinalem Præfectum
et secretarium de numero Prælatorum. Hæc Congregatio non
procedit juris ordine servato, ut illa Tridentini, sed summarie
et, ut ait De Luca, de plano, sola facti veritate inspecta, quan-
doque cum extrajudicialibus probationibus, vel cum sufficien-
tibus justificationibus per scripturas, nullo tamen adhibito
formali processu (1). Modus procedendi coram hac S. Con-
gregatione ostenditur a novissimo et speciali ejusdem S. Con-
gregationis edicto. (2).

(1) Hæc Congregatio non servat juris rigorem, et severitatem re-
gularum judicialium, quia nomine Papæ, et more Principis proce-
dit potius quam ut tribunal, et judex. Quare subdit citatus De Luca
« Præ cæteris ista Congregatio, quæ quoddam universale, ac poli-
« ticum regimen utriusque cleri sæcularis et regularis, aliarumque
« rerum ecclesiasticarum habet, huic restrictioni non subjacet
« sed cum regulis, et legibus prudentialibus pro negotiorum quali-
« tate, vel temporum, et rerum contingentiis procedere solet. » Ib
disc. 16, n. 17 et 25. — (2) Hoc edictum promulgatum fuit die
septembris anni 1834, et his verbis et articulis constat. « I. Quoties
« cumque in negotiis, quæ apud sacram Congregationem EE. et RR
« aguntur, tum ex relationibus Ordinariorum, tum ex partium de
« ductionibus videatur expedire, ut res ad viam juris reducatur, re
« scribitur : *Partes deducant sua jura coram Emin. N. qui videat e*
« *referat, citata parte, et concordato dubio.* II. Coram Emin. Rela
« tore, vel ejus auditore, adhibito SS. Congregationum notario, sin
« guli actus, qui ad judicandum viam sternunt, conficiuntur. III. Pre
« pterea pars diligentior coram eodem auditore partem adversam i
« jus vocat, *ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi,*
« *deputari infrascriptum*, quod nempe in calce citationis transcrib
« tur. IV. Eminentissimus Relator, aut ejus auditor, vel propositum
« vel aliud dubium concordat de consensu partium ; sin minus mar
« dat partes suis juribus uti per memoriale in S. Congregatione. V. S
« pars citata intra terminum præfinitum non compareat, citatur se

secunda vice *ad concordandum de dubio, nec non destinari Congregationem.* VI. Si pars in sua contumacia persistat Emin. Relator, vel ejus auditor concordat dubium, et Congregationem pro causæ propositione destinat, ita tamen ut spatium saltem triginta dierum intercedat, et decretum adversæ parti intimatur. VII. Jura autographa, quibus utraque pars utitur, quindecim diebus ante diem propositionis causæ apud D. secretarium deponuntur, transmissa utrinque intimatione. VIII. Allegationes utriusque partis decem diebus ante Congregationem, tum ad Emin. Cardinales, tum ad D. secretarium, et ad secretariam S. Congregationis deferuntur. IX. Mutua inter partes allegationum, et summariorum traditio fit eadem ipsa die in domo auditoris Emin. Relatoris. X. Responsiones triduo ante propositionem causæ distribuuntur, et communicantur, ut in articulo præcedenti. XI. Resolutionem S. Congregationis Emin. Relator scriptis tradit, et suo nomine obsignat, eamque D. Secretario tradit partibus significandam. XII. Si intra decem dies pars victa iterum audiri postulet, Emin. Relator novæ audientiæ beneficium tribuere potest. XIII. Quoties cunctis suffragiis res dijudicata fuerit cum clausula *et amplius,* vel uno tantum suffragio discrepante, cum clausula, *et non concedatur*, tunc venia redeundi non tribuitur, nisi a plena Congregatione. XIV. Causa denuo proponitur, servato modo, et terminis primæ propositionis. XV. Dijudicata causa, authenticum resolutionis exemplum ei traditur, qui causam obtinuit. XVI. Victor instat coram auditore cameræ, qui ut merus executor resolutionem S. Congregationis exequendam decernit. » Ex comparatione hujus edicti cum egulis supra expositis in judiciis coram S. Congregatione Concilii cile colligi potest, in quo utriusque Congregationis procedura conveniat, et in quo discrepet. Sequens tamen decretum adhuc perspiendum erit.

924. Cum vero huic Congregationi demandatum fuerit onus ecipiendi appellationes ab omnibus Ordinariorum sententiis causis criminalibus, ut supra jam vidimus, eadem necessaio habere debet normam pro his appellationibus in criminalius causis expediendis : nam aliud est judicium in causa civili aliud in criminali causa, quæ majorem probationem et majem rigorem. Hanc normam recentioribus nostris temporibus bi præfixit eadem S. Congregatio per decretum a Gregorio VI confirmatum (1).

(1) Hoc decretum editum fuit die 18 decembris anni 1835, cujus tenor est, ut sequitur. « I. Reis a curiis episcopalibus criminali judicio damnatis spatium decem dierum conceditur, quo ad S. Congre-

« gationem EE. et RR. appellare possint. II. Decem dies numerari in-
« cipiunt non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo, vel
« ejus defensori per cursorem denunciata fuit. III. Eo tempore
« elapso, quin reus, vel ejus defensor appellaverit latam a se sen-
« tentiam Episcopus exequetur. IV. Interposita intra decem dies
« appellatione, Curia episcopalis acta autographa totius causæ ad S.
« Congregationem transmittat, nempe: 1° processum ipsum in Curia
« confectum; 2° ejus *restrictum*, seu compendiariam expositionem
« eorum, quæ eodem ex processu emergunt; 3° defensiones pro reo
« exhibitas; 4° denique sententiam latam. V. Ipsa Curia reo, ejus-
« que defensori denunciabit, appellationem coram eadem S. Congre-
« gatione prosequendam esse. VI. Si nemo compareat, aut si appel-
« lationis acta negligentur, vel malitiose protrahantur, congruens
« tempus a S. Congregatione præfiniatur, quo inutiliter elapso, cau-
« sa deserta censeatur, et sententia Curiæ episcopalis executioni
« mandetur. VII. Reo, aut illi, qui ejus defensionem suscepit, tra-
« dendus est *restrictus* processus, qui a Judice delatore conficitur.
« VIII. Allegationes, seu defensiones Eminentissimis Patribus distri-
« buendas typis non committantur, nisi judex relator imprimendi
« veniam dederit. IX. Causa definietur statuta die ab Emin. Patribus
« in pleno auditorio congregatis. X. Eidem Congregationi Procura-
« tor generalis fisci, et Judex relator intersunt. XI. Judex rela-
« tor de toto statu causæ ad Emin. Patres referet, et Procurator
« generalis fisci stabit pro Curia Episcopi, suasque conclusiones ex-
« planabit. XII. Post hæc Emin. Patres judicium proferent, senten-
« tiam Curiæ episcopalis aut confirmando, aut infirmando, aut etiam
« reformando. XIII. Prolata sententia una cum omnibus actis causæ
« ad eamdem Curiam episcopalem remittitur, ut eam exequatur.
« XIV. Revisio, seu recognito rei judicatæ non conceditur, nisi ejus
« tribuendæ potestas a Sanctitate sua facta fuerit, et subsint gravis-
« simæ causæ, super quibus cognitio, et judicium ad plenam Con-
« gregationem pertinet. » Ita S. Congregatio procedit post leges no-
vissimas a S. Sede editas in bul. *Post diuturnas* Pii VII. Anal. jur. Pont. ad an. 1856, pag. 2420.

925. Tertia Congregatio, quæ de contentiosis criminalibus cognoscit, est Congregatio sacræ universalis Inquisitionis et Sancti Officii, quæ ante omnes alias instituta habet summum Pontificem in Præfectum, plures quam sex Cardinales in judices, alium Cardinalem in secretarium, Regularem de familia S. Dominici in commissarium, qui partes gerit judicis ordinarii, et coadjuvatur ab alio assessore (1), Regularem de familia Minorum Conventualium in consultorem, et præterea multos sanctitate vitæ, et doctrina præclaros Episcopos, Prælatos, et cle-

os regulares, ac sæculares in consultores (2). Ad eum au-
n finem fuit instituta, ut fidem catholicam integram invio-
amque contra impiorum conatus in toto mundo servaret :
le judicat, et pœnas infligit in omnibus criminibus, quæ ad
em spectant, ut de hæresi, de suspicione hæresis, de schi-
ate, de apostasia, de abusu Sacramentorum, de sortilegio,
gia, et superstitionibus, de polygamia, et de matrimonio
ıtracto ab iis, qui vel per ordinem sacrum, vel per votum
giosum contrahere prohibentur, de sollicitatione in Confes-
ne, de celebratione Missæ ab eo, qui sacerdos non est, de-
e similibus.

) Hic efformat processum S. Congregationi præsentandum. — Circa originem, causam, et ministros primos hujus S. Congrega-
iis videri potest Card. De Luca in relat. Rom. Cur. disc. 14.

926. Causæ quæ ab hoc sacro tribunali definiuntur tanti
ıt momenti, ut præter accuratam processus efformationem
ta sacrorum canonum dispositionem in causis criminalibus,
s regulariter requirat Congregationis conventus : quorum
o primi appellantur præparatorii, et ultimus generalis, in quo
ıtentia ab ipso summo Pontifice profertur. Prima Congre-
io cogitur feria secunda in palatio S. Officii prope Basili-
n Vaticanam, cui intersunt commissarius S. Officii, asses-
, consultores, fiscalis, notarius, et alii inferiores ministri.
hac Congregatione processus criminalis legitur, ac litteræ,
relationes Episcoporum, aliorumque localium Inquisitorum
ente perpenduntur : nomen tamen rei, et omnes circum-
ntiæ, quæ reum possunt manifestare, ex industria prudenti
untur silentio ; et ita maturo examine omnia discutiuntur,
determinantur. Secunda Congregatio cogitur sequenti feria
arta in conventu Ordinis S. Dominici prope ecclesiam
Mariæ supra Minervam in aulis ad id destinatis, cui inter-
ıt Cardinales. In hac Congregatione assessor factum, et ne-
ium refert, processum cum litteris, et relationibus legit,
dinales inter se causam discutiunt, ac postea ad discus-
ıem admittunt consultores, qui prius assistebant in aula
eriori, eorum audiunt consilium aut votum, et negotium

determinant Sanctissimo proponendum. Tertia Congregat cogitur sequenti feria quinta in Palatio Apostolico coram ip summo Pontifice, cui compendiose referuntur omnia in præc denti Congregatione gesta cum tota causa, et specialiter exp nuntur responsiones datæ a consultoribus, quos quandoq iterum audit, conclusiones antecedentis Congregationis, et vo Cardinalium, ac postremo ipse summus Pontifex suum j dicium profert (2).

(1) Hic processus efformari nequit, nisi reus suum habeat defe sorem a se electum, vel a judice ad hoc ex officio deputatum. T stes suggestive in eo interrogati non probant, ex causa inimiciti vel lucri facile excipiuntur. Ad pœnam canonicam reo infligenda delicti probationes debent esse plenissimæ : ex quibuscumque eni præsumptionibus, indiciis, et probationibus, ut præfertur, non cor pletis, condemnatoria sententia, numquam profertur. Quandoq tamen his in casibus processus suspenditur cum clausula, *firmo r manente processu*, cujus effectus est, ut reus liber ab inquisitio maneat, donec delicti sufficientes probationes afferantur, vel ip inquisitus ab hoc gravamine petat liberari suam demonstrando i nocentiam. Pœnæ pecuniariæ a S. Officio non admittuntur : omn actus fiunt gratis omnino, et Congregationis ministri, ac opera suos ob labores, vel operam præstitam nil omnino percipiunt, u pote qui ex beneficiis ecclesiasticis, vel aliunde habent ab Eccles unde vivant. — (2) Executio hujus judicati, ut in praxi aliarum s crarum Congregationum, locorum Ordinariis remittitur.

927. Aliæ quoque sacræ Congregationes in illo negotioru genere, cui sunt præpositæ, de contentiosis, immo et de cr minalibus debent quandoque cognoscere. Quoties autem h faciunt, summaria forma utuntur ad eum fere modum, que supra de Congregationibus Concilii, et Episcoporum ac Reg larium retulimus. Inter Congregationes tamen, quibus quæstionibus, et criminibus sæpius cognoscere occurrit, du præsertim recensendæ sunt, nempe : Congregatio Immunitat cui addicuntur processus, et judicia in casu appellationi quando de immunitate locali agitur (1); et Congregatio de Pr paganda fide, cujus est omnes fere causas definire, quæ in vic riatibus Apostolicis totius orbis occurrunt (2).

(1) In immunitate reali, et personali, sicuti etiam in jurisdictio bus hæc Congregatio etiam cognoscit, sed tantum cumulative cu

aliis Congregationibus. — (2) Hujus Congregationis jurisdictio extenditur etiam supra Episcopos, quando de regionibus agitur, quæ inter hereticos, et schismaticos sunt constitutæ. Sacra quoque Congregatio Rituum de contentiosis in materia præcedentiæ judicat.

928. Sacræ Romanæ Congregationes præter contentiosa negotia, ut innuimus, etiam non contentiosa tractant, ac definiunt. Hæc negotia juxta eorum gravitatem vel expediuntur ab ipsa Congregatione, aut ab ejus Præfecto, vel secretario post audientiam Sanctissimi. Spectat autem ad ipsum Præfectum, vel secretarium statuere, quæ sint causæ ante S. Congregationem proponendæ ut graviores, et quæ alio modo a se solvendæ ut leviores. Quando negotium plenæ Congregationi proponitur, ejusdem secretarius summaria precum conficit, in quibus statum rei exponit, informationes, et vota ab Ordinariis ea super re interrogatis habita repræsentat (1), jungit doctrinas, et exempla ad rem facientia, totamque causam ad unam, vel duas breves quæstiones reducit a Congregatione resolvendas (2). Si vero negotium gravissimum judicetur, causa ponitur in folio ordinario, et a S. Congregatione more solito deciditur (3).

(1) Ordinariorum informationes, et vota regulariter semper vel ab ipso Ordinario, vel a viciniore Episcopo, aut alio Prælato exquiruntur. Excipiendus tamen est casus, in quo quæstio consistat in solo jure, quia tunc informationes de facti circumstantiis evadunt inutiles, et votis Ordinoriorum in jure explicando S. Congregatio non indiget. — (2) Ita præparantur resolutiones, et scripturæ typis eduntur, ut ante dies decem a Congregatione habenda singulis Cardinalibus distribuantur. Quando tamen resolutiones dantur ad instantiam partium, monentur partes habentes in causa interesse ad jura sua in Congregatione deducenda, quod tunc maxime fit, cum dubium positum est *in concreto*, an scilicet lex aliquem peculiarem casum comprehendat. — (3) Anal. jur. Pont. ad annum 1856, pag. 2406 et seqq.

929. Inter negotia non contentiosa quædam sunt, quæ ad ecclesiasticam administrationem spiritualem, et temporalem referuntur, ut indulta, privilegia, dispensationes, etc. et alia, quæ ad habendam juris explicationem, vel interpretationem diriguntur, ut sunt consultationes, dubia, quæstiones, quæ sa-

cris Congregationibus pro norma in rebus fidei, et morum resolvendæ proponuntur. Negotia hujusmodi vel libere expediuntur a Præfecto, aut a secretario S. Congregationis, si sub eorum ordinaria potestate cadant, et si id magis expedire illis videatur ; vel consulendus est summus Pontifex, et in ejus audientia decisio sumenda, sicut ut plurimum contingit ; vel demum ipsi Congregationi proponenda sunt, cujus decisio summo Pontifici refertur, et in ejus audientia confirmatur, quod tunc maxime observandum est, cum jus præexistens interpretatur (1). Decisiones demum sic captæ locorum Ordinariis pro earum executione committuntur.

(1) In praxi hæc negotia coram S. Congregatione introducuntur, observata in substantialibus supracitata forma, prout videre est penes Stremler de pœn. eccl. part. 3, sect. 2, c. 7, art. 2 et 3.

930. Sacræ denique Congregationes hæc omnia negotia expediunt juxta earum attributiones, et competentiam : nam summi Pontifices singulis Congregationibus proprium negotiorum genus assignarunt, tum ut evitaretur confusio, tum ut negotia melius, et celerius expedirentur, cum in determinato genere facilius per continuam praxim, atque experientiam promptitudo ad negotia gerenda acquiratur. Hoc tamen ob negotiorum affinitatem, et diversos eorum respectus non potest ita perfecte fieri, ut rigorosi attribuantur cuique Congregationi termini : nam, ut jam vidimus, idem negotium a diversis Congregationibus potest quandoque definiri. Verum attendendum est, quod supplicantes ab una Congregatione dimissi, nequeunt amplius ad aliam recurrere, a qua, si forte indultum, vel gratiam obtinuerint, ea nulla et nullius effectus est, nisi factum exposuerint (1).

(1) Bul. *Ut occurratur* Innocentii XII. Alia quæ ad sacras Papæ Congregationes pertinent videri poterunt penes Stremler cit. part. 3. per tot.

FINIS LIBRI TERTII ET ULTIMI.

INDEX TITULORUM.

LIBER SECUNDUS.

		Pag.
Titulus I.	De Rebus ecclesiasticis	1
II.	De Baptismo et Confirmatione	6
III.	De Eucharistia, et Pœnitentia	14
IV.	De Extrema-Unctione, Ordine et Matrimonio	36
V.	De Sponsalibus	48
VI.	De Matrimonii Impedimentis	61
VII.	De Impedimento cognationis, affinitatis et publicæ honestatis	78
VIII.	De Impedimento criminis, vis, metus et raptus	92
IX.	De Impedimento disparitatis cultus, Ordinis, ligaminis, impotentiæ et clandestinitatis	99
X.	De Dispensatione a Matrimonii Impedimentis	118
XI.	De Divortio	136
XII.	De Ecclesiis	147
XIII.	De Ecclesiarum Immunitate	161
XIV.	De Sepulturis, aliisque Ecclesiæ bonis	166
XV.	De Beneficiis ecclesiasticis	174
XVI.	De Electione et Postulatione	182
XVII.	De Collatione et Institutione	186
XVIII.	De Beneficiorum reservatione	201
XIX.	De Beneficiorum unione	213
XX.	De Beneficiorum divisione et dismembratione	222
XXI.	De Beneficiis Jurispatronatus	234
XXII.	De Beneficiorum vacatione	250

Pag.

TITULUS XXIII. De Beneficiorum renunciatione 255
XXIV. De Decimis, Primitiis et Oblationibus..... 263
XXV. De Jure Ecclesiæ ad bona temporalia..... 273
XXVI. De Acquisitione Bonorum per actus inter vivos..... 290
XXVII. De Contractibus consensualibus..... 299
XXVIII. De Contractibus realibus..... 317
XXIX. De Donatione et Transactione..... 332
XXX. De Acquisitione Bonorum per actus ultimæ voluntatis..... 341
XXXI. De Peremptione jurium et obligationum.... 353
XXXII. De Bonorum ecclesiasticorum alienatione... 366
XXXIII. De Peculio Clericorum..... 375

LIBER TERTIUS.

TITULUS I. De Judiciis ecclesiasticis..... 39
II. De Judicibus..... 39[illegible]
III. De Actoribus et Reis, aliisque judicii Personis.. 40[illegible]
IV. De Foro competenti..... 415
V. De Libello et citatione..... 423
VI. De Litis contestatione..... 429
VII. De Probationibus..... 435
VIII. De Instrumentis et testibus..... 442
IX. De Juramentis et præsumptionibus..... 448
X. De Exceptionibus..... 455
XI. De ordine Cognitionum..... 463
XII. De Conclusione in causa..... 467
XIII. De Sententia et re judicata..... 470
XIV. De Executione sententiæ..... 476
XV. De Appellatione..... 480
XVI. De Judiciis criminalibus..... 497
XVII. De Judiciis summariis..... 507
XVIII. De Judiciis coram sacris Papæ Congregationibus..... 517

CALVOMONTE, EX TYPIS CAROLI CAVANIOL.

742